



Bodleian Libraries

UNIVERSITY OF OXFORD

This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.

For more information see:

<http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks>



This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.








J. m. —

Mason D.D. 244.



CHRISTIANI CORDIS
GEMITUS

SEU

ÆGRÆ ANIMÆ,

ET DOLOREM SUUM LENIRE CONANTIS

PIA IN PSALMUM CXVIII

SOLILOQUIA;

Opus eximium; doctrinâ, pietate, & singu-
lari spiritûs unctiõne commendabile.

Accesserunt piïssimæ ejusdem Aauthoris Preces.



PARISIIS,

Typis PHILIPPI-NICOLAI LOTTIN, viâ San-Jacobæâ,
juxta Ædem Sancti Yvonis, ad Insigne Veritatis.

M. DCC. XXXII.

Cum Approbatione & Privilegio Regis.

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..



... ..

... ..

I N D E X.

A nte orationem prepara animam tuam.	Pag. j
Ad postulandum à Deo Spiritum sanctum.	ibid.
Ad postulandum à Deo , ut creet in nobis novum hominem , &c.	iij
Præcepta vitæ in argumentum orandi.	v
<i>Quid vis ut faciam tibi.</i>	vj
Adversus distractiones.	vij
Ad postulandum rectum passionum animi usum.	ibid.
Ad postulandas præcipuas virtutes.	ibid.
Vitæ christianæ compendium.	viii
<i>Cor mundum crea in me Deus.</i>	ibid.
Ad postulandam sensuum , mentis & voluntatis rectitudinem.	ix
Post sacræ Scripturæ , aut libri alicujus pii lectionem.	ibid.
Mensa Divitis.	ibid.
Post sanctam corporis Christi participationem.	xi
Ad postulandum amorem Dei. quatuor.	xii
Ad postulandam humilitatem.	xvj
Humilis confessio miseriarum.	ibid.
Ad postulandum à Deo fructum incarnationis Christi.	xvij
Ad postulandum amorem Crucis.	xix
Lux & puritas cogitatum , ex amore Crucis.	xx
Simplicitas inter patiendum.	xxj
Consideratio dolorum Christi.	ibid.
<i>Erit vita tua quasi pendens ante te.</i>	xxij
Pro obtinenda pace in quacumque tribulatione.	xxiiij
Contra mortis metum.	xxv
Præparatio ad mortem.	xxviij
Mors Christi , mortis nostræ solatium.	xxx
Eleemosina pauperis.	xxxj
Eleemosina humilis.	xxxiv
Ad obtinendum donum paupertatis.	xxxvj
Monachorum Syriæ gratiarum actio post cœnam.	ibid.
Ad postulandam unitatem & pacem.	xxxvij
<i>Orate pro invicem ut salvemini.</i>	ibid.
Ad postulandam proximi conversionem.	xxxviij
Ad postulandum sincerum veritatis amorem.	xxxix
Pro præposito. 1. 2. 3.	xl
Pro præposita	xliv
Pro ædituo	xliv
Soliloquium , de verbis mortis , & de verbis vitæ.	xlvj
Soliloquium , in parabolam Samaritanæ.	xlix
Ad sanctos Angelos custodes.	liij

Ad Angelum quem vidit Ezechiel signantem T.	lv
Ad sanctum Joannem Baptistam.	lvij
Ad sanctum Paulum.	lvij
Litanæ in honorem sancti Joannis Evangelistæ.	ibid.
Ad sanctum Augustinum.	lx
Ad sanctam Mariam Magdalenam.	lxj
Ad sanctam Mariam Bethanit.	lxij
Ad sanctam Peccatricem.	lxij
VARIA SCRIPTURÆ LOCA, IN ARGUMENTUM ORANDI	
<i>Vigilate.</i>	lxvj
<i>Hic est Filius meus dilectus, Tc.</i>	ibid.
<i>Offerre spirituales hostias, Tc.</i>	lxvij
<i>Quicumque in Christo baptizati estis, Tc.</i>	ibid.
<i>Non est regnum Dei esca T potus.</i>	lxvij
<i>Da nobis auxilium de tribulatione, Tc.</i>	lxix
<i>Dilectus meus mihi, Tc.</i>	ibid.
<i>Videte qualem charitatem, Tc.</i>	ibid.
<i>Nolite conformari huic sæculo.</i>	lxx
<i>Nos sumus circumcisio, Tc.</i>	ibid.
<i>Abscondes eos, Tc.</i>	ibid.
<i>Particeps ego sum, Tc.</i>	lxxj
<i>Aut pati aut mori. S. Ther.</i>	ibid.
<i>Timuius valde, Tc.</i>	lxxij
<i>Non quod volo bonum, Tc.</i>	lxxij
<i>O Domine ego servus tuus, Tc.</i>	ibid.
<i>Diligentibus Deum omnia, Tc.</i>	ibid.
<i>Dimittite T dimittemini.</i>	lxxiv
<i>Ostendam vobis quem timeatis.</i>	ibid.
<i>Humiliavit semetipsum, Tc.</i>	ibid.
<i>Omni custodia serva cor tuum.</i>	lxxv
<i>Mori lucrum.</i>	lxxvj
<i>Det vobis Deus, Tc.</i>	ibid.
<i>Radix omnium malorum, Tc.</i>	ibid.
<i>Os meum aperui, Tc.</i>	ibid.
<i>Templum Dei estis, Tc.</i>	lxxvij
<i>Mementote victorum, Tc.</i>	ibid.
<i>Sanat contritos corde.</i>	lxxvij
<i>Corripe me, Domine, Tc.</i>	ibid.
<i>In orationem Dominicam, &c.</i>	ibid. & seqq.

Errata sic corrige.

P. xxxvj, l. 4, lege sit mihi P. xxxvij, l. 13, leg. corda nostra
P. lvij, l. 15, leg. tuæ sint P. lxx, l. 12, leg. transeuntia
P. lxxij, l. 12, leg. pœnitentiam

Extat Privilegium ad calcem Versionis Gallicæ hujusce Operis
cui titulus, *Les Gémissemens d'un cœur chrétien exprimés dans
les paroles du Pseanne CXVIII.*

ILLUSTRISSIMO
CASTORIENSI
EPISCOPO.

Non dubito quin jure reprehendi
possim, ILLUSTRISSE PRÆ-
SUL, qui minùs habità ratione Digni-
tatis tuæ, & morum tuorum omnem san-
ctitatem spirantium, longum quoddam, ut
ita dicam, mendacium patrocínio tuo di-
gnum judicaverim. Nonne enim menda-
cii genus est verba amantis exhibere tam
parùm amantem? Verùm etsi opusculum
istud ad fraudem compositum videri possit,
nolim tamen cuiquam fraudem facere, ne-
dum Tibi. Non ergò Librum luce dignum,
sed morbum sapientissimi Medici curà &
solicitudine dignissimum offero Domino
meo, ut illi medeatur. Magnus morbus,
ILLUSTRISSE PRÆSUL, loquacem
esse hominibus & mutum Deo. Fæ-
dum hunc & turpem morbum precibus
tuis & Ecclesiæ tuæ sanari posse arbi-
tror, cùm remediis Domini tui omnipo-
tentis, quæ ab ipso omnipotentiam
consequuntur, nihil difficile nedum im-
possibile judicari debeat. Impende lacry-
mas salvatrices calamitati meæ, quæ

salutem tot Provinciis attulerunt. Dic
Domino tuo; Dimitte illum quia cla-
mat post nos. Si sanitatem, Te obse-
crante, impetravero quàm nihil amplius
optandum esse in corpore Christi monet
Augustinus, cùm ab ipso amore non di-
stinguatur; nullum erit amplius, ut spe-
ro, in hoc Opusculo mendacium; & ver-
ba charitatis, ob impetratam precibus
Tuis charitatem viventia habebuntur.
Ità beneficio tuo utilia esse poterunt le-
gentibus. Misericordiã ergo motus ob
viscera misericordiæ, quæ viscera sunt
*Episcoporum, * ora ad Dominum, &*
ascende & incumbe super puerum
(nam Ambrosius libros tanquam liberos
habet). Pone ostium super os ejus, ut
salutaria loquatur; & oculos tuos super
oculos ejus, ut rore lucis aspergatur; &
manus tuas super manus ejus, ne abs-
que fructu remaneat: & incurvare super
eum ut aliquid de humilitate tuã conse-
quatur, & calefiant verba mortua, sic-
que calorem impertiri possint aliis quem
acceperint. Ità enim & opus ipsum quo-
dammmodo vivet, & non erit inter mor-
tuos fors ejus. Votum est obsequentissi-
mi, & Religiosæ Dominationi tuæ ad-
dictissimi.

JOANNIS BERNARDI.



P R Æ F A T I O. *

Sunt iis qui vilem habent mundum & omnia quæ delectant in mundo, quædam deliciae sanctæ & bonæ in Libris, & præsertim in Scripturis sanctis, quorum verba omnia sanguine morientis victimæ nostræ imbuta sunt, à quo traxerunt omnem sanandi vim. Sed ausim dicere, post Evangelia & Novi Testamenti libros qui sanguinem Christi ex ipsis ejus venis adhuc, ut ita dicam, ferventem nobis exhibent, nullum alium Librum esse veteris Testamenti pretio nostro pleniorum, & in quo sapor Verbi incarnati magis sentiatur, quam Psalmus centesimus decimus octavus.

Ut enim Psalmi inter alios libros, ex Patrum consensu, ita hic Psalmus inter alios Psalmos principatum sibi vindicat. Psalmum amoris meritò dixerim, in cujus versibus singulis radiantem habemus legem amoris. Ità totus in amore est, ut nihil in eo videatur esse præter amorem, cujus sagittis qui percutitur, tanto amore ardet regni coelorum, ut omnium resistentium & à proposito sancto revocare volentium linguas contemnat, & persecutiones derideat. Hinc illum Ecclesia, non dicam

Verùm quæ me subit cogitatio pronum est ut alios etiam moveat; nimirum quâ ratione cum Libri titulo qui *Ægræ animæ Soliloquium* præfert, & Authoris pietate quæ se vel invito prodit, non pugnet quod pluribus in locis, non modo ægræ animæ sensum, dolorem, alloquium exhibere, sed tanquam pro mortuâ animâ, & (quod magis mireris) pro suâ sollicitus, Omnipotentem interpellare videatur. Quid enim aliud judices, dum audis animæ vocem, nunc plangentis se quidem delectari sed non in viâ mandatorum Dei, nunc dolentis se non amare, nunc orantis ut saltem amare incipiat? Quis has voces tribuat animæ quam Regi nuptam Deo, ab illo dotatam, ab illo decoratam, ab illo redemptam, ab illo sanatam pium & justum est sentire? Unde igitur irrepsērunt peregrinæ illæ voces quæ non ab ægrâ modo sed mortuâ animâ proficisci videntur? At fallimur; voces istæ, non mortuæ sed fortè conturbatæ vel certè humilis animæ, sunt voces. Quomodo enim mortuæ, si loquitur & voces emittit? Confessionem humilitatis semper suscipit Dominus; non reprehendamus nos, & supercilio Pharisaïco non condemnemus tundentem pectus, offerentem medico vulnera sua & sanari petentem. Nemo se sanum putet: vivit qui loquitur, cum mor-

te vivit ; sed si spiritus vivit propter justitiam, corpus tamen mortuum est propter peccatum ; & * *corpus quod corrumpitur, aggravat animam, & deprimit terrena cogitatio sensum multa cogitantem.* Patiuntur ergo etiam recti corde interdum delectationes non bonas, & ideò non in via testimoniorum Dei: nam phantasmatarum temporalium, quæ sibi animus fingit, inanibus imaginationibus afferunt sæpè deliram falsamque lætitiã; non tamen cordi hæc delectatio, sed renibus tribuenda est. Tales etiam renum delectationes improbat pia hæc anima, quò fiat ut scrutans corda & renes Deus & perspicuus in corde rectas cogitationes, in renibus nullas delectationes, justum auxilium præbeat recto cordi suo ubi mundis cogitationibus supernæ delectationes sociantur.

Noverat, & puto certâ conscientia noverat, se Dominum suum, Sponsum suum amare: tamen quia non satis fortè amabat, dolet tanquam si non amaret; & omnipotentem interpellat ut incipiat amare validius, cui serviendum est totâ & plenâ & libenti voluntate. Permittit interdum Deus ad exercitium suorum, ut lateat in corde justorum charitas quam ipsemet diffudit; ut dum piâ anxietate quærunt, & clamant non adesse quod solùm latet, quærendo

* Sap. 2, 15.

inardescant & clamando obtineant ; & tunc placet quod amant, si non placet quod falluntur. Sed fortè nusquam falluntur ; quamdiu enim nondum sumus liberati à corpore mortis hujus, inest etiam justis undè dicant se non amare ; se delectari non in via mandatorum Dei ; se pacem, se sanitatem non habere, à facie nimirum peccatorum suorum, * *in multis enim offendimus omnes* ; à timore supremi Judicis, cui displicet etiam laudabilis vita, si femotâ misericordiâ eam examinet, & in cujus conspectu justitiæ nostræ tanquam pannus menstruatæ inveniuntur. Ructet ergò de saturitate Pharisæus ; de fame ploret anima humilis, clamet, gemat, confiteatur ; non se exaltet, non se jactet, non se suis meritis glorietur ; quia etsi habet aliquid undè gaudeat, totum accepit. Infirmitur ergò potiùs ut perficiatur ; agnoscat se indigentem ut repleatur ; Dominus enim egenti paravit, non abundanti, cui opprobrio est ista paupertas. Adeò non erubuit istam paupertatem devota anima quæ in hoc opere loquitur, quin potiùs unicam curam, unicum studium ipsi fuisse dixeris se egenam probare, paupertatem revelare & ostendere mendicorum more, qui ut divites ad misericordiam flectant, misericordiam omnem coram ipsis expandunt & explicant. Ita morborum suorum sensu &

* Jac. 3, 2.

cogitatione occupatam interdùm videas, ut nihil aliud cogitantem aut attendentem affirmes. Interdùm ità primi & maximi mandati apicem suspicit & meditatur, ut cùm se nondùm implere videt & dolet, se non obedire dicat & suspicetur. Accidit nimirùm plerumque, in ea quæ antè sunt cum Apostolo extentis & ea quæ retrò oblitis, ut nec honorum operum quæ in illis operatus est Deus meminerint, quia totâ intentione sequuntur ad palmam supernæ vocationis quam se non apprehendisse arbitrantur. Quidquid aut cursum impedit aut retardat, pro magno habent; & quo magis perspecta est pulchritudo Dei, eo magis perspectam habent deformitatem sui. Hinc (ut Soliloquii verbis utar) Sanctis nullum peccatum leve est quo offenditur Deus; & sæpè etiam cùm non admissum est, admissum esse suspicantur: uti enim qui Deum non amant, etiam in manifestis apertissimisque peccatis suspicantur sæpè nihil esse peccati, & rationis humanæ lethalibus conjecturis innocentiam mentiuntur, quasi eam disputando assequi possent quam vivendo noluerunt; ita & qui Deum amant, sæpè suspicantur se peccato obstrictos à quo liberi sunt; quod ea facile suspicamur accidisse quæ magis timemus ne accidant.

Nemo igitur molestè ferat, hanc ani-

X

P R Æ F A T I O.

mam tanquam viduam destitutam & desolatam auxilium quærere, infirmitatem suam confiteri. Etsi enim donata sint ipsi peccata & jam cœperit sequi præcepta Dei, adhuc tamen egena & pauper est quandiu videt aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ, quandiu nondum saturata est eâ quam esurit & sitit justitiâ, nec se apprehendisse arbitratur. Hoc unum erat illi studium scribendo, ut se odio haberet, & Deum diligeret. Non aliud nobis sit dum legimus quæ scripsit, ne frustra legamus, & ut de verbo otioso, ita judicemur de cognitione otiosâ, quæ Dei amori, & nostri ac mundi odio fovendo & augendo non inferviret. Utinam utilem hanc scientiam assequamur. Quidquid enim scimus, sive ex sacris litteris, sive ex aliis, si ex hoc nec cupiditas minuatur, nec charitas augeatur; inane studium est, & nihil scimus. Hoc qui nondum confitentur, confitebuntur mortui; & utinam antea de re tam certâ non dubitent, ne frustra confiteantur. Quid enim aliud est, * *veritatem Dei in injustitiâ detinere*, quod in antiquis philosophis tam acriter reprehendit Apostolus, quàm veritatem, cum ad humilitatem & charitatem non refertur, in vanitate detinere, quæ nimis sæpè studiorum nostrorum omnis fructus est, quæ

* Rom. I. 2. 8.

tantum abest ut novam lucem afferant, quin potius augeant cæcitatem. Cùm enim ad veritatem, quâ liberandi sumus, tanquam ad Reginam Omnipotentissimam supplices confugere deberemus, non pudet nos illam vitiorum nostrorum velut ancillam efficere, vanitati & forsan avaritiæ famulaturam, quâ miserior & turpior servitus & captivitas nulla esse potest; sed illa semper libera est, nos verò, quod justo Dei judicio accidit, veram libertatem filiorum Dei amittimus, & reddimur nescientes non Domini studiorum nostrorum quæ nobis nihil profunt, sed mancipia vitiorum nostrorum, non dissimiles Philosophis qui, ut ait Augustinus, *quod curiositate invenerunt, superbiâ amiserunt.*

Hunc scopulum, qui non nisi maximo studio caveri potest, studeamus cavere: ita fiet ut ex hoc, & ex quocumque libro amplissimos fructus percipere poterimus, si legentibus non desit humilitas, quæ sola, ut ait Bernardus, *meretur ut charitas detur.* Charitas autem, aut Regnum Dei est, aut via ad Regnum tam beatum.

Sed ut ad Librum redeam. Si quæras quomodo acciderit ut non lateat qui scriptus fuerat ut lateret; paucis accipe. Non mutavit author consilium; sed nec iis qui illud mutaverunt pertinaciter resisten-

dum esse existimavit. Post sex aut septem annorum silentium, cum scriptiunculæ nihil penitus apud ipsum remansisset, ipsum etiam autographum vero amico dederat, cui longè major silentii cura & amor. Tandem illius copia amico communi facta est, qui post plures annos typis censuit excudendam. Prior ille assensus est; ipse quoque Author assentiri coactus est. Vale, & nos ita ama, ut simul Deum amemus. Amen.





PSALMUS CXVIII.

BEATI *immaculati in via, qui
ambulant in lege Domini.*

*Beati qui scrutantur testimonia
ejus; in toto corde exquirunt eum.*

*Non enim qui operantur iniquita-
tem, in viis ejus ambulaverunt.*

*Tu mandasti, mandata tua custo-
diri nimis.*

*Utinam dirigantur viæ meæ, ad cu-
stodiendas justificationes tuas.*

*Tunc non confundar, cum perspe-
xero in omnibus mandatis tuis.*

*Confitebor tibi in directione cordis,
in eo quod didici judicia justitiæ tuæ.*

*Justificationes tuas custodiam; non
me derelinquas usquequaque.*

*In quo corrigit adolescentior viam
suam? in custodiendo sermones tuos.*

*In toto corde meo exquisivi te: ne
repellas me à mandatis tuis.*

*In corde meo abscondi eloquia tua,
ut non peccem tibi.*

*Benedictus es, Domine: doce me ju-
stificationes tuas.*

*In labiis meis , pronuntiavi omnia
judicia oris tui.*

*In via testimoniorum tuorum dele-
tatus sum , sicut in omnibus divitiis.*

*In mandatis tuis exercebor , & con-
siderabo vias tuas.*

*In justificationibus tuis meditabor ;
non obliviscar sermones tuos.*

R *et tribue servo tuo , vivifica me ;
& custodiam sermones tuos.*

*Revela oculos meos , & considerabo
mirabilia de lege tua.*

*Incola ego sum in terra : non ab-
scondas à me mandata tua.*

*Concupivit anima mea desiderare
justificationes tuas , in omni tempore.*

*Increpasti superbos : maledicti qui
declinant à mandatis tuis.*

*Aufer à me opprobrium & contem-
ptum , quia testimonia tua exquisivi.*

*Etenim sederunt principes , & ad-
versum me loquebantur : servus au-
tem tuus exercebatur in justificationi-
bus tuis.*

*Nam & testimonia tua meditatio
mea est , & consilium meum justifica-
tiones tuæ.*

*Adhæsit pavimento anima mea:
vivifica me secundum verbum tuum.*

*Vias meas enuntiavi, & exaudi-
sti me: doce me justificationes tuas.*

*Viam justificationum tuarum in-
strue me, & exercebor in mirabilibus
tuis.*

*Dormitavit anima mea præ tædio:
confirma me in verbis tuis.*

*Viam iniquitatis amove à me, &
de lege tua miserere mei.*

*Viam veritatis elegi: judicia tua
non sum oblitus.*

*Adhæsi testimoniis tuis, Domine:
noli me confundere.*

*Viam mandatorum tuorum cucurri,
cum dilatasti cor meum.*

LEGEM pone mihi, Domine, viam
justificationum tuarum; & ex-
quiram eam semper.

*Da mihi intellectum, & scrutabor
legem tuam; & custodiam illam in
toto corde meo.*

*Deduc me in semitam mandato-
rum tuorum, quia ipsam volui.*

*Inclina cor meum in testimonia tua,
& non in avaritiam.*

Averte oculos meos ne videant vanitatem ; in via tua vivifica me.

Statue servo tuo eloquium tuum ; in timore tuo.

Amputa opprobrium meum quod suspicatus sum , quia judicia tua jucunda.

Ecce concupivi mandata tua : in æquitate tua vivifica me.

Et veniat super me misericordia tua , Domine , salutare tuum secundum eloquium tuum.

Et respondebo exprobrantibus mihi verbum , quia speravi in sermonibus tuis.

Et ne auferas de ore meo verbum veritatis usquequaque , quia in judiciis tuis supersperavi.

Et custodiam legem tuam semper : in seculum , & in seculum sæculi.

Et ambulabam in latitudine , quia mandata tua exquisivi.

Et loquebar de testimoniis tuis in conspectu regum , & non confundebar.

Et meditabar in mandatis tuis , quæ dilexi.

Et levavi manus meas ad manda-

na quæ dilexi, & exercebar in justificationibus tuis.

M*emor esto verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti.*

Hæc me consolata est in humilitate meâ, quia eloquium tuum vivificavit me.

Superbi inique agebant usquequaque; à lege autem tua non declinavi.

Memor fui judiciorum tuorum à seculo, Domine, & consolatus sum.

Defectio tenuit me, pro peccatoribus derelipientibus legem tuam.

Cantabiles mihi erant justificationes tuæ, in loco peregrinationis meæ.

Memor fui nocte nominis tui, Domine, & custodivi legem tuam.

Hæc facta est mihi, quia justificationes tuas exquisivi.

Portio mea, Domine, dixi, custodire legem tuam.

Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo: miserere mei secundum eloquium tuum.

Cogitavi vias meas, & converti pedes meos in testimonia tua.

*Paratus sum, & non sum turbatus,
ut custodiam mandata tua.*

*Funes peccatorum circumplexi sunt
me, & legem tuam non sum oblitus.*

*Media nocte surgebam ad confi-
tendum tibi, super judicia justifica-
tionis tuæ.*

*Particeps ego sum omnium timen-
tium te, & custodientium mandata
tua.*

*Misericordià tuà, Domine, ple-
na est terra: justificationes tuas do-
ce me.*

B*onitatem fecisti cum servo tuo,
Domine, secundum verbum
tuum.*

*Bonitatem, & disciplinam, &
scientiam doce me, quia mandatis
tuis credidi.*

*Priusquam humiliarer, ego deliqui:
propterea eloquium tuum custodivi.*

*Bonus es tu, & in bonitate tua
doce me justificationes tuas.*

*Multiplicata est super me iniqui-
tas superborum; ego autem in toto
corde meo scrutabor mandata tua.*

Coagulatum est sicut lac cor eorum;

ego verò legem tuam meditatus sum.

*Bonum mihi quia humiliasti me ,
ut discam justificationes tuas.*

*Bonum mihi Lex oris tui , super
millia auri & argenti.*

*Manus tuæ fecerunt me , & plas-
maverunt me : da mihi intellectum ,
& discam mandata tua.*

*Qui timent te , videbunt me & læ-
tabuntur , quia in verba tua super-
speravi.*

*Cognovi , Domine , quia æquitas
judicia tua , & in veritate tua humi-
liasti me.*

*Fiat misericordia tua ut consoletur
me , secundùm eloquium tuum servo
tuo.*

*Veniant mihi miserationes tuæ , &
vivam ; quia lex tua meditatio mea
est.*

*Confundantur superbi , quia inju-
ste iniquitatem fecerunt in me : ego
autem exercebor in mandatis tuis.*

*Convertantur mihi timentes te , &
qui noverunt testimonia tua.*

*Fiat cor meum immaculatum in ju-
stificationibus tuis , ut non confundar.*

DEFECIT in salutare tuum anima mea, & in verbum tuum super speravi.

Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes: Quando consolaberis me?

Quia factus sum sicut uter in pruína: justificationes tuas non sum oblitus.

Quot sunt dies servi tui? Quando facies de persequentibus me iudicium?

Narraverunt mihi iniqui fabulationes: sed non ut lex tua.

Omnia mandata tua veritas: inique persecuti sunt me, adjuva me.

Paulominus consummaverunt me in terra: ego autem non dereliqui mandata tua.

Secundum misericordiam tuam vivifica me: & custodiam testimonia oris tui.

In æternum, Domine, verbum tuum permanet in cælo.

In generationem & generationem veritas tua: fundasti terram, & permanet.

Ordinatione tua perseverat dies:

quoniam omnia serviunt tibi.

Nisi quod lex tua meditatio mea est : tunc forte periissem in humilitate mea.

In æternum non obliviscar justificationes tuas , quia in ipsis vivificasti me.

Tuus sum ego , salvum me fac ; quoniam justificationes tuas exquisivi.

Me expectaverunt peccatores ut perderent me : testimonia tua intellexi.

Omnis consummationis vidi finem : latum mandatum tuum nimis.

Q*uomodo dilexi legem tuam , Domine : tota die meditatio mea est.*

Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo : quia in æternum mihi est.

Super omnes docentes me intellexi , quia testimonia tua meditatio mea est.

Super senes intellexi , quia mandata tua quæsi.

Ab omni via mala prohibui pedes meos , ut custodiam verba tua.

*A iudiciis tuis non declinavi, quia
tu legem posuisti mihi.*

*Quàm dulcia faucibus meis eloquia
tua! super mel ori meo.*

*A mandatis tuis intellexi: prop-
terea odivi omnem viam iniquitatis.*

*Lucerna pedibus meis verbum
tuum, & lumen semitis meis.*

*Furavi & statui, custodire iudicia
justitiæ tuæ.*

*Humiliatus sum usquequaque,
Domine: vivifica me secundum ver-
bum tuum.*

*Voluntaria oris mei beneplacita
fac, Domine, & iudicia tua doce me.*

*Anima mea in manibus meis sem-
per, & legem tuam non sum oblitus.*

*Posuerunt peccatores laqueum mi-
hi; & de mandatis tuis non erravi.*

*Hereditate acquisivi testimonia
tua in æternum, quia exultatio cor-
dis mei sunt.*

*Inclinavi cor meum ad faciendas
justificationes tuas in æternum, prop-
ter retributionem.*

I*niquos odio habui, & legem tuam
dilexi.*

PSAL. CXVIII. xxiiij

Adjutor & susceptor meus estu, & in verbum tuum supersperavi.

Declinate à me maligni, & scrutabor mandata Dei mei.

Suscipe me secundum eloquium tuum, & vivam: & non confundas me ab expectatione mea.

Adjuva me, & salvus ero; & meditabor in justificationibus tuis semper.

Sprevisti omnes discedentes à iudiciis tuis, quia injusta cogitatio eorum.

Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ: ideo dilexi testimonia tua.

Confige timore tuo carnes meas, à iudiciis enim tuis timui.

Feci iudicium & iustitiam: non tradas me calumniantibus me.

Suscipe servum tuum in bonum: non calumnientur me superbi.

Oculi mei defecerunt in salutare tuum, & in eloquium iustitiæ tuæ.

Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam, & justificationes tuas doce me.

Servus tuus sum ego, da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua.

Tempus faciendi, Domine; dissipaverunt legem tuam.

Ideo dilexi mandata tua, super aurum & topazion.

Propterea ad omnia mandata tua dirigebar: omnem viam iniquam odio habui.

M*IRABILIA testimonia tua: ideo scrutata est ea anima mea.*

Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis.

Os meum aperui & attraxi spiritum, quia mandata tua desiderabam.

Aspice in me, & miserere mei, secundum iudicium diligentium nomen tuum.

Gressus meos dirige secundum eloquium tuum, & non dominetur mei omnis iniustitia.

Redime me à calumniis hominum, ut custodiam mandata tua.

Faciem tuam illumina super servum tuum, & doce me justificationes tuas.

Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.

Iustus es, Domine, & rectum iudicium tuum.

Mandasti iustitiam testimonia tua, & veritatem tuam nimis.

Tabescere me fecit zelus meus, quia oblitum sunt verba tua inimici mei.

Ignitum eloquium tuum vehementer, & servus tuus dilexit illud.

Adolescentulus sum ego & contemptus: justificationes tuas non sum oblitus.

Iustitia tua, iustitia in aeternum; & lex tua veritas.

Tribulatio & angustia invenerunt me: mandata tua meditatio mea est.

Æquitas testimonia tua in aeternum: intellectum da mihi & vivam.

C*lamavi in toto corde meo, exaudi me, Domine: justificationes tuas requiram.*

Clamavi ad te, salvum me fac; ut custodiam mandata tua.

Præveni in maturitate, & clamavi; quia in verba tua supersperavi.

Prævenerunt oculi mei ad te diluculo, ut meditarer eloquia tua.

Vocem meam audi secundum mise-

xxvj PSAL. CXVIII.

ricordiam tuam, Domine; & secundum judicium tuum vivifica me.

Appropinquaverunt persequentes me iniquitati: à lege autem tua longe facti sunt.

Prope es tu, Domine: & omnes viæ tuæ veritas.

Initio cognovi de testimoniis tuis; quia in æternum fundasti ea.

Vide humilitatem meam, & eripe me; quia legem tuam non sum oblitus.

Judica judicium meum, & redime me: propter eloquium tuum vivifica me.

Longe à peccatoribus salus, quia justificationes tuas non exquisierunt.

Misericordiæ tuæ multæ, Domine: secundum judicium tuum vivifica me.

Multi qui persequuntur me, & tribulant me; à testimoniis tuis non declinavi.

Vidi prævaricantes, & tabescebam; quia eloquia tua non custodierunt.

Vide quoniam mandata tua dilexi, Domine: in misericordia tua vivifica me.

PSAL. CXVIII. XXVIJ

Principium verborum tuorum veritas : in æternum omnia judicia justitiæ tuæ.

P*Rincipes persecuti sunt me gratis, & à verbis tuis formidavit cor meum.*

Laetabor ego super eloquia tua, sicut qui invenit spolia multa.

Iniquitatem odio habui & abominatus sum ; legem autem tuam dilexi.

Septies in die laudem dixi tibi, super judicia justitiæ tuæ.

Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum.

Expectabam salutare tuum, Domine, & mandata tua dilexi.

Custodivit anima mea testimonia tua, & dilexit ea vehementer.

Servavi mandata tua & testimonia tua ; quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.

Appropinquet deprecatio mea in conspectu tuo, Domine : juxta eloquium tuum da mihi intellectum.

Intret postulatio mea in conspectu tuo : secundum eloquium tuum eripe me.

Eruentabunt labia mea hymnum,

xxviii PSAL. CXVIII.

cum docueris me justificationes tuas.

*Pronuntiabit lingua mea eloquium
tuum , quia omnia mandata tua
æquitas.*

*Fiat manus tua ut salvet me, quo-
niam mandata tua elegi.*

*Concupivi salutare tuum , Domi-
ne ; & lex tua meditatio mea est.*

*Vivet anima mea & laudabit te ,
& judicia tua adjuvabunt me.*

*Erravi sicut ovis quæ periit : quære
servum tuum , quia mandata tua
non sum oblitus.*

A P P R O B A T I O

Censoris Regii.

L E G I jussu Illustrissimi D. D.
Regiorum Sigillorum Custodis
Librum cui titulus, *Christiani cordis
Gemitus , seu ægræ animæ , & dolorem
suum lenire conantis pia in Psalmum
CXVIII Soliloquia* , in quo nihil est
reprehensione dignum , neque quod
adversetur Religioni aut bonis mori-
bus. Parisiis , die 28 Februarii 1731.

C. LEULLIER.

ÆGRÆ



ÆGRÆ ANIMÆ

P I A

IN PSALMUM CXVIII.

SOLILOQUIA.

ψ. i. *Beati immaculati in via, qui
ambulant in lege Domini.*

QUID retribuam Domino meo
qui creavit me; qui creavit, ut
essem beatus; qui docuit me
quid sit esse beatum; & qui
dedit mihi spiritum suum ut sim bea-
tus? Nihil deest dono Domini mei.

Respiciat nos tantum, & lati serviemus ei.

Non fecisti taliter omni nationi. Ecce Gen. 47^a
25.
foelices sæculi, & qui putantur esse foelices, infoelicissimi; qui ne quidem id sciunt se esse infoelices. Non beatus dives, non beatus qui dominatur, sed *beatus immaculatus.* S. Aug. Libera me, Domine, semper ab hac foelicitate, quæ miseria est. Libera me ab his bonis quæ non fa-

A

2 PIA IN PSAL. CXVIII.

ciunt bonos, & quibus fit sæpiùs ut mali simus & faciliùs pereamus. Non sim
S. Aug. foelix, ut sim foelix: quid enim *falsâ foelicitate infelicius*? Nolo foelicitatem, quæ maculis & fordibus animam repleat: nam *beatus immaculatus*.

Hoc tantùm peto à Domino meo, ut reddat immaculatum, prohibeatque ne recedam à viâ, quæ sola facit immaculatos. *Non sic* aliæ viæ, *non sic*; quales enim susceperint, tales reddunt. Sed via tua, Domine, si ægrotaverimus, sanos præstat: si infoelices ad eam accesserimus, reddit beatos: si sordidi & squalientes, reddit immaculatos. Non satis dixi, &
S. Bern. *de penuria cordis mei loquutum est cor meum*. Via tua, Domine, non invenit innocentes, sed facit. Quisquis errat extra viam tuam, non tantum ægrotat & plenus est sordium, sed mortuus est, nec poterit ad vitam revocari, nisi in viâ. Non mirandum si via sit hæc viventium, nam vita est; aut si sit via immaculatorum, quæ sanctitas ipsa est.

O via mea, fac in te ambulem, ut sim immaculatus, & ideo beatus. Quid enim mihi deesse potest, si te non reliquero? Non impediunt me tenebræ, quia lux es. Non me debilitent morbi, non revocet mors, quia sanitas & vita es. Ambulem, Domine, ambulem in

SOLILOQUIA. *Beati.* 3

hac viâ , nihil aliud timens quàm recedere de viâ tuâ , nihil aliud amans quàm viam tuam. *Ambulem in lege ; & ipsa lex Domini mei amor ejus.* Quis dubitet beatos esse qui ambulant in hac viâ , cum ament. Nemo miser est amando Dominum meum : nemo beatus non amando.

Sed non amo , nisi ambulo. Non me feducat cor meum, Domine. Non amant te pigri, qui non ambulant. Qui non vult ambulare, non vult amare : ideò non immaculatus , ideò non beatus. *Ambulem ergo in lege tuâ , & proficiam in eâ , amans ardentius quod cognoverim , cognoscensque manifestius & humiliter quod amaverim.* *Ambulem in lege cognoscens legem : sed major sit cura ambulandi quam cognoscendi, antè enim vita quàm doctrina quærenda est.* Non enim tam beati qui cognoscunt , quàm qui immaculati , & qui ambulant. S. Ambr.
brof.

¶. 2. *Beati qui scrutantur testimonia ejus , in toto corde exquirunt eum.*

QUAM beati sunt qui inveniunt Dominum meum, cum etiam beati sint qui quærent ! Verè , Domine , beati qui scrutantur testimonia tua ; quia scrutando scripturam veritatis , quod in Evangelio tuo præcipis , veritatem quærent , & ideò inveniunt. Beati qui quæ-

4 PIA IN PSAL. CXVIII.

Marci 8. 3. runt te ut fruantur te ; non enim *despiciunt in via*. Qui falsis bonis sæculi delectantur , tantùm se beatos putant , cuna assequuti fuerint quod quærunt. Nam laborant in quærendo , non minus laboraturi in possidendo , utrobique infortunati. Sed qui scrutatur thesaurum Domini mei ut pretiosam margaritam inveniat , jam beatus. Nunquid enim quæreret , nisi speraret ; Sed *spe tuâ* , Domine , jam *salvi* facti sumus , secundùm Apostoli tui testimonium. Si jam salvi , ergo jam beati.

Pf. 39. 17. *Exultent ergo , & latentur super te qui quærunt te* : nam qui quærit te , jam invenit te. Non sim ex iis , Domine , qui *Deum sine Deo quærunt*. Non illi beati quærendo , quia se sibi sufficere putant ad quærendum te. Non ita est , Domine. Prius quæsiti sumus , ut quæreremus. Pastor quæsivit ovem , ut ovis quæreret pastorem. Ergo beati qui quærunt , quia jam aliquâ ex parte invenerunt quod quærunt.

Da mihi partem in verbo hoc , Domine J E S U. Scruter verba veritatis , ne me occupari contingat verbis mendacii. Delectet me veritas , ne delectet vanitas. Non scrutabitur inimicus cor servi tui ad occidendum , cum ipse scrutatus fuero testimonia Domini mei ad

SOLILOQUIA. *Beati.* §
vivendum. Nunquid coram te, Domine, & in ipsâ luce veritatis quam reformidat, me intus invaderet? Fieri non potest.

Cum foris vagor, incido in homicidam: cum intus scrutor verba tua, invenio Salvatorem. Novit hoc inimicus, qui quantum potest subtrahit me à spectaculo veritatis, & velut alter Cain, Gen. 4. 8. *Egrediamur foras*, inquit. Non credam, Domine, non credenti: non credam homicidæ. Remaneam intus, ut fruamur dulcedine veritatis tuæ: sed da mihi, Domine, ita scrutari *fontem lucis*; ut bibam. s. Aug. *Nihil in eâ quæram præter sanitatem meam*, quæ gloria sanantis est. Totus vacem tibi, nec me avertant nugæ à tanto bono. Nullum fit mihi negotium, quod non fit tuum. Nihil quæram in verbis tuis præter loquentem.

Cum audio verba vitæ, *in toto corde exquiram eam*. Vivam, Domine, scrutando vitam; nec scrutor, nisi ut vivam. *Exquiram te in toto corde*, ut aliud non amem: *in tota mente*, ut aliud non cogitem; *in tota anima*, ut aliud non agam; *in totâ fortitudine mea*, ut aliud non sperem, & de alio non gaudeam. Affectus cordis mei, fortitudo mea, cum ipse amaris; & infirmitas mea, cum aliud amatur, aut ipse me amo. Nihil ergo

6 PRA IN PSAL. CXVIII.

mihî placeat in mendacio; nihil mihî displiceat in veritate. Sed totus mihî displiceam, ut tota mihî placeat. Totus amem, & totam amem, ut semper amem, & non solus amem. Ille enim foeliciter *scrutatur testimonia tua*, qui in eis invenit salutem suam & fratrum suorum. Amen.

ÿ. 3. *Non enim qui operantur iniquitatem, in viis ejus ambulaverunt.*

SI non movet me foelicitas scrutantium testimonia tua, Domine, & in toto corde exquirentium te, moveat me saltem eorum miseria, qui ea non scrutantur, nec te exquirunt. *Operantur enim iniquitatem, & in viis tuis non ambulaverunt.* Si non delectat lux quâ nihil pulchrius habenti oculos, terreant me tenebrae in quas certâ necessitate incurrunt qui fugiunt lucem tuam. Etsi ergo lex tua non faceret beatos amatores suos, sed tantùm eos liberaret à maximis calamitatibus & miseriis; nonne hoc nobis beatum videretur, summum malum evadere posse quod non finiretur? Nunc verò utramque hanc nobis foelicitatem affert lux tua, cujus beneficio summum malum vitari potest, & conciliari summum bonum.

SOLILOQUIA. *Beati.* 7

Pigrum, Domine, & tam tardè ambulans in viis tuis, utroque hoc stimulo impelle ad festinandum; hoc est, tanti mali metu, & tanti boni desiderio. Nihil mihi foelicius videatur quàm scrutari testimonia tua, quibus pervenitur ad regnum vitæ. Nihil mihi infœlicius videatur quàm operari iniquitatem, quâ tam miserè servitur in regno mortis. Timeam, Domine, quod mundus non timet, & quod tantùm timendum est; quia id amo te miserante quod non amat, & quod tantùm amandum est. Si amaret justitiam, timeret iniquitatem. Tantùm abest ab amore tuo quantum à timore; & quæ non amet satis intelligimus per ea quæ non timet. Etiam, Domine, *discerne causam meam de gente non sanctâ.* Probem tibi amorem, justitiæ tuæ timore, & odio iniquitatis meæ; *non enim qui operantur iniquitatem, in viis tuis ambulaverunt.*

Non sim ex iis qui utrumque fieri posse arbitrantur, tibi & mammonæ fervientes, quod fieri non posse docuisti. Apud quem non regnas, inimicus tuus regnat; & signum est necessariæ & miserimæ servitutis, non servire tibi; *Non enim qui operantur iniquitatem, in viis tuis ambulant,* quod certum est. Sed nonne hoc etiam verisimile est, nec in iis an-

8 PIA IN PSAL. CXVIIII.

rea ambulasse quas tam citò reliquerint? Ut enim quædam præcepta servaverint, timendum est ne non servaverint omnia, & in via saltem humilitatis non ambulaverint qui tam citò cadunt & operantur iniquitatem. Ut eam non operer, fac me humilem. Ambulem in omnibus viis tuis, ut in nullâ cadam. In via vulgari non cadit, nisi qui ambulat. Sed in via tua nemo cadit, nisi qui non ambulat, & qui piger est.

ψ. 4. *Tu mandasti, mandata tua custodiri nimis.*

GRATIAS tibi, Domine, qui nos omnem curam adhibere voluisti ut mandata tua custodiremus. Quid enim aliud est *mandare* id, quàm hoc imperare ne simus miseri? Cùm jubes multùm custodiri, multùm satagis ut simus foelices. Nonne hæc nostra foelicitas, ut obsequamur præcipienti? Nec beati esse possumus non obsequendo, nec miseri obsequendo; cùm non obedire tibi ipsa miseria sit, & obedire ipsa foelicitas.

Quid tibi debeamus tantâ curâ jubenti ut impleamus justitiam tuam, facile perspici potest ex eorum miseriâ qui operantur iniquitatem, cujus voragine ideò absorpti sunt, quòd *non fortiter & attentè, sed dissoluto animo* in mandatis tuis

Hieron.

SOLILOQUIA. *Beati.* 9

versarentur. Etiam, Domine, multum præcipe tam facile obliuiscienti quid præceperis. Terreat superbum autoritas iubentis; & jam territum, ad amandum invitet tanta cura tam sollicitè admonentis. Non terreres nisi amares: & quâ sum contumaciâ, non amarem nisi timerem. Jube, & multum jube; ut multum orem confugiens ad iubentem. *Da quod jubes, & jube quod vis.* August.

Nonne hoc voluisti, Domine, ut cum audirem tam necessariam esse ad vivendum obedientiam, dolerem me non obsecutum fuisse præcipienti, & ignosceres confitenti; damnarem ego inobedientiam quâ cecidi, & tu dares obedientiam quâ surgerem. *Tu mandasti.* Quis mandavit, & cui, & quid mandavit? Hæc enim omnia valere possunt ad commendandam magnificentiam gratiæ tuæ; & nihil horum prætereundum est. Deum præcipere, summa æquitas: ad eum enim jubere pertinet, cujus vocem audiunt etiam quæ non sunt, & quæ jam esse incipiunt cum audiunt vocem iubentis. Sed præcipere Deum homini jam reo, & ad eum loqui velle, in hoc jubendi parendique commercio summa misericordia est, etsi alia juberentur. Nunc verò ea jubentur tam efficaciter, quæ foelicitatem obsequentis com-

IO PIA IN PSAL. CXVIII.

plectuntur. Qui enim iussit ut simus potentiâ creantis, jubet ut justi simus potentiâ redimentis.

Duæ sunt tabulæ mandatorum Domini mei. Hæc jubet ne moriamur, aliquid præter ipsum concupiscendo; altera jubet ut vivamus, illum amando. Ita verò jubet ne moriamur, ut mortem deleat quâ morimur. Ita jubet se diligendum, ut Spiritum nobis largiatur quo diligimus. Ecce mortuus est ut viveremus. Ecce vivit ne moriamur. Talia mandata, Domine, præcipienda erant ut custodirentur nimis.

¶. 5. *Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas.*

QUAMVIS tantâ autoritate præceperis ut mandata tua servarentur, non servarem tamen nisi adjuvares. Docendus sum, Domine, quia nescio quid agendum sit; sed etiam adjuvandus sum, quia infirmus sum. Utinam dirigantur viæ meæ. *Vocem optantis agnosco, ut deponam superbiam præsumptis. Non optarem quod sic haberem in arbitrii potestate, ut nullo indigens adjumento, id possem efficere. Ergo si optat homo quod præcepit Deus, ut det ipse quod præcepit rogandus est Deus.*

Ita est, Domine; nihil certius infirmitate meâ quam fides docet, quam

SOLILOQUIA. *Beati.* II

probat experientia , & quam sentio vel invitus. Præter spem auxilii tui nihil mihi relictum est; nec illud saltem quærerem nisi quæsitus. Ipse hoc offers nec cogitanti , & facis ut quæram. Jam auxiliaris , Domine , cum ad te confugio ; & ipsum votum optantis gratia est miserantis.

Utinam dirigantur via mea. Et ipsi pedes confirmandi ut ambulent , & dirigendi ut ad finem suum tendant , ne contingat , aliquid præter te optanti , infœlix & fœda aberratio. Viæ quoque dirigendæ ; quia non est tantum in ambulante infirmitas , sed & corruptionis femina insunt creaturis , nisi miserearis. Nihil est quod nocere non possit tam infirmis.

Non ergo unam tantum viam , sed omnes dirigi postulamus ; quia , si vel una absque custode remanserit , ubi non dirigar ibi cadam. Etsi verò non caderem coram hominibus , coram te caderem : quamvis enim legem foris custodirem , intus non custodirem. Unde Propheta vias suas à te dirigi rogat , non ut hominum iudicio , sed ut tuo justus sit : *Ad custodiendas* , inquit , *justificationes tuas.* Non sibi quærit justitiam , sed tibi ; non ut securus sit ipse , sed ut Domino suo placeat ; non quia benè sibi esse vult , sed

12. PIA IN PSAL. CXVIII.

quia te amat. *Justificationes ille tuas custodiebat*, sicut avarus thesaurum suum custodiret, nullum homini majus bonum esse ratus quàm justitiam Dei. Cùm tanto studio custoditur, ipsa custodit.

Da mihi, Domine, ut zelum Prophetæ conferens cum pigritiâ & tepiditate meâ, erubescam. Ille igne tuo incensus, & jam *secundùm cor tuum*, nil aliud optat quàm ut dirigantur viæ ejus, quamvis jam curreret in viâ mandatorum tuorum: ego verò post tot peccata tam tepidus, post tot morbos tam infirmus, ut ne quidem pedem movere possim, cum tot res cupiam mihi noxias, id non cupio quod mihi utilissimum est, ut *dirigantur via meæ ad custodiendas justificationes tuas*.

¶ 6. *Tunc non confundar, cùm perspexero in omnibus mandatis tuis.*

CUM perierim audiendo serpentem, non possum salvari nisi audiendo Salvatorem. Audiam te, Domine; sed da mihi *aures audiendi*, ut audiam. Non tantùm aures fecisti, quia Creator es; sed aurem audientem, quia Salvator es. Loqueris intus, audiam intus. Non sola superficie contentus sim verborum tuorum, in quibus soni sunt similes aliis sonis,

SOLILOQUIA. *Beati.* 13

sonis, qui etsi utiles & pleni vitâ, non faciunt tamen ut vivam: & hoc unum mortuo quærendum est, ut vivat. Da mihi ergo ut quæram vitam in verbis vitæ. Quæram & inveniam, ut non confundar. Cùm inveniris in verbis tuis, tunc aperta sunt, tunc *perspiciuntur*. Quamdiu non videro Dominum meum in verbis Domini mei, adhuc cæcus sum, & *lumen non est in me*, quia solus es lumen. Malè sciuntur quæcumque sciri possunt, quamdiu non sciris. Non ergo *perspicio* quod latet in *mandatis tuis*, nisi magis cognoverim te, nisi magis cognoverim me.

Aperi oculos meos, Domine, & remove *sacrata vela* quibus occultaris, ut in omnibus verbis tuis intelligam quàm pulcher es, & quàm foedus sum. Hæc sit pulchritudo mea, scientia deformitatis meæ & pulchritudinis tuæ. Hæc sit scientia mea, scire quia omni odio dignus sum, & quia omni amore dignus es. Prorsus mentior, Domine, & *decipit me cor meum*, si credam laudare pulchritudinem tuam, & non vituperem deformitatem meam. Quomodo sciam te pulchrum, si me foedum ignorem? Cùm ita contrarius sim pulchritudini tuæ, non potes mihi placere nisi mihi displiceam; ideoque, quidquid mentia-

14 PIA IN PSAL. CXVIII.

tur lingua, nolo te laudari, cum nolo me vituperari; cum ipsa vituperatio mea laus tua sit.

Eccl. 4.
50.

Utinam, Domine, *confunderer de mendacio ineruditionis meae.* Nec scio te, nec meipsum scio. Hæreo in cortice mandatorum tuorum, sed non *perspicio in mandatis*; & periculosâ ignorantiam latet me quid intus sit. Argumentum ignorantiam meam, quia amo me, & non amo Dominum meum. Si enim non *ignorarem te & voces Prophetarum quæ per omne sabbatum*, imò & cunctis diebus *leguntur à me, amarem te.* Si *perspicerem in omnibus mandatis tuis*, essem in tui nominis amore ardentior, & in mei contemptu humilior; sicque non confunderer.

A& 13.
27.

Nunc verò tam scientiam nostram quam ignorantiam confundimur. Nihil est enim quod cum manifesto periculo non sciatur, cum nesciris. Rea est omnis scientia quam non absolvis; & litteram occidentem quis non timeat, nisi & ipse homicida sit? Da nobis spiritum vivificantem, quo movente, non confundimur, quo illuminante perspiciamus in mandatis. *Tunc non confundar*, cum in iis perspexero. Tunc perspexero in omnibus mandatis tuis, cum nullum erit quod non impleam, & quod veram & utili scientiam humilitatem non augeat

S O L I L O Q U I A. *Beati.* 15
& charitatem. Si verò, quod absit, audiam aliquod verbum Domini mei, quo audito non sim humilior, nec te magis amem, non perspiciam; & tunc confundar, nisi emendet saltem humilis poenitentia quod peccavit superba ignorantia.

ÿ. 7. *Confitebor tibi in directione cordis, in eo quod didici iudicia iustitiae tuae.*

S I G N U M foelix scientiæ, in confessione laudum tuarum. Non dubito Prophetam perspexisse in omnibus mandatis tuis, cum audio confitentem. Ideò, Domine, locutus es servis tuis, ut in meditatione verborum tuorum ardeat cor eorum, & amantes te laudent te, nihilque amplius ament, tam immensâ foelicitate contenti.

Qui ergo affecutum se putat verborum tuorum scientiam, nec te amat ardentius, nec tibi confitetur humiliter, sed mundi amator est, & fumi sæcularis periculosâ caligine delectatur; non tantùm imperitus est, sed scientiæ huius & vim & rationem prorsus ignorat. Qui audit loquentem, colit docentem, & confitetur misericordiam eius. *Confitebor tibi in directione cordis.* Rectè confitetur; cum enim cor dirigi-

16 PIA IN PSAL. CXVIII.

tur, laus est ista docentis, ad quem unum movendi cordis scientia pertinet.

August.
ibid.

Confitebor, inquit, *quoniam tu fecisti*; & *tua laus est ista, non mea*. Quomodo non confiteretur in directione cordis, cum ipsa cordis directio, confessio sit amantis?

Pedes cum diriguntur, ambulant; cor cum dirigitur, amat. Hoc tantum cor novit, & hæc ejus scientia est. Sed si amat te, cum dirigitur à te, ergo & laudat; cum non ameris, nisi lauderis; ideòque certum est confiteri, si dirigatur.

Pf. 89.
12.

Confitebor tibi in directione cordis, in eo quod didici judicia justitiae tuae. Discam & ego, Domine, scientiam hanc quæ non inflat, sed confitetur. Fac me *eruditum corde*, ut justitiæ subditus judicantis, amem judicem ipsum. Qui se illi subjicere non potest, amare non potest; sola charitas judicis æquitatem veneratur, sola æquitas amat judicem: quò fit, ut neque superbi ament te, quia non subjiciuntur, neque injusti subjiciantur æquitati tuæ, quia non amant. Rectè ergo se ideò confiteri ait, quod didicisset *judicia justitiæ tuæ*; cum vir justus amet, & qui amat confiteatur. Doce me, & docebor. Frustra alii docerent justitiam quam nemo discere potest, nisi doceas ipse qui justitia es. Frustra etiam

docerer confessionem, nisi docerer justitiam. Doce utrumque, ut & justus sim tibi obsequendo, & non ingratus confitendo.

Multa sunt, Domine, quæ confiteri debeam, sed maximè confitear *tibi in directione cordis*. Nam cum manus diriguntur, sumunt quidem illæ justitiam ab auxilio dirigentis, sed fieri potest ut solæ dirigantur, & cor ipsum injustum sit, tuncque inutilis est sua illa manuum justitia quæ justitiâ cordis non commendatur. Sed si cor dirigitur, non tantùm contingit ipsum justum esse, sed ab eo velut à fonte in omnes corporis partes justitiam profluere.

Dirige totum hominem, qui totus eget misericordiâ redimentis; sed maximè interiorem illum, qui formatur in justitiâ veritatis; & tunc *confitebor in directione cordis*, quæ perfectior gratiarum actio esse consuevit.

ÿ. 8. Justificationes tuas custodiam; non me derelinquas usquequaque.

NON dixit, *justificationes tuas custodiam*, nisi cum se sensit adjutum, aut speravit adjuvandum, postquam dixerat, *confitebor in directione cordis*. Hac confessione factus alacrior, justificatio-

18 PIA IN PSAL. CXVIII.

nes tuas se custoditurum pollicetur; ut nobis ostenderet verum animæ robur laudando te comparari.

Da mihi, Domine, similem affectum laudandi, ut merear implere mandata quæ præcepisti. Tu vince inimicos meos, & ego cantem laudes tuas. Nulum timere debeo inimicum, quamdiu laudo te. Sim securus laudando; sed postquam laudaverim, non minùs me timeam. Sed ut in me perpetua quædam mortis ex corde meo velut scaturientis origo est, ita perpetuum illi vitæ desiderium opponatur. Cum apud me statuerò custodiendas esse justificationes tuas, hoc iterum atque iterum statuam majoribus votis; quia nisi meipsum sæpius impulero ad observationem mandatorum tuorum, periculum est ne torrenti cedam in contrariam partem abripien-
ti. Et certè si relinqueres, quis resisteret?

August.
ibid.

Spes nostra non in viribus nostris, sed in defensionis tuæ auxilio est. Si deseris, misericordia deserat, non justitia. *Si enim derelinquis, ut sine adjutorio tuo infirmus appaream; noli usquequaque, ne peream.* Non audeo petere ne nunquam deseras, quia aliquando deseris & miseris: sed hoc peto, quantum possum, & adjuvas petentem, ut si me deseris

oporteat, ita deseras ne unquam te deseram.

Si ipsâ mortis vicinitate gratiam tuam commendari vis, & reddi dulciorrem, fiat quodcumque vis, dummodo non moriar deserendo te. Quis medico sapienti præscribere audeat ne unquam theriacam adhibeat in medendo? Suo medici consilio relinquuntur, & peritiæ artis humanæ, quæ nec ipsa multùm certa est; licet homines sint qui medentur, homines credunt hominibus. Cur Deo igitur medenti non crederemus, qui nec fallit nec fallitur, & cujus remediis vi divinâ sanantibus mortem ipsam cedere necesse est? Sub homine medico quamvis perito moriendum est: te medente non morimur. Tantùm illi pereunt qui tuo consilio non utuntur, & te medico caruerint.

Sana ergo, & fac quod vis. Credam sapientiæ non erranti. Credam veritati non mentienti. Credam Deo sananti; & nihil timeam cum crediderim; quia tantùm timere debent qui non credunt. Tuis ergo utere remediis ut placuerit, & quo tempore volueris: Tantùm sana. Hoc unum quæram à vitâ, ne moriar, & *ne me derelinquas usquequaque.* Ne relinquas sicut Judam quem penitus reliquisti, cum illum sceleris sui permisisti effectui.

Ambros.

Ne ita relinquantur ut deseraris, sed ut diligentius quæraris, & ardentius amaris.

ψ. 9. *In quo corrigit adolescentior viam suam? in custodiendo sermones tuos.*

Ambros. **B**ENE ad Deum conversus respondet deliberanti sibi ipsi, quasi, prece atque oratione delatâ, consilium hoc Domini inspiratione reperiret, ut non præsumptionis humane, sed dignationis divinæ remedium crederetur. A te doceri voluit, antequam nos doceret; & oravit te, ut à magistro sumeret quod condiscipulis largiretur. *In quo corrigit adolescentior viam suam, &c.*

Hic orationis fructus quo frui nos voluit, & hoc primum monet, curare quâ magis ratione placere tibi valeamus. Quemadmodum enim avaro non aliud est consilium quàm lucrandi; ita neque Christiano aliud esse debet quàm bene vivendi, & in viâ tuâ proficiendi. Hoc etiam sæpè à nobis quæramus, Domine, in quo & ipsi corrigere viam nostram possumus. Quantum enim studia nostra emendamus, tantum amanti jungimur. Beati verò illi qui futurorum certaminum materiam amputantes, hoc præstant in ipso ætatis exordio, ut tunc in

S O L I L O Q U I A . *Beati.* 21

incipiant benè vivere, cum incipiunt vivere : si enim peccato cor occupari con-
tingerit , *usus erroris instabilem facit.* Inno- Ambros
centiæ magis juncta est constantia , &
quædam æquabilitas vitæ. Quod ab aliis
tempus certando impenditur, ab istis in-
fumitur in laudando. Dum alii quæ-
runt quem amiserunt, isti fruuntur &
delectantur *in multitudine pacis tuæ.* 134

Ergo, Domine, in viâ tuâ proficere
fœlicitas est; sed hoc adolescenti con-
tingere, duplex fœlicitas; quod si asse-
quitur, hoc meditationi debet eloquio-
rum coelestium.

In quo corrigit adolescentior viam suam? August.
In custodiendo sermones tuos : frustra enim *ibid.*
custodiuntur memoriâ, si non custodiantur &
vitâ. Non autem ait, In quo exercet junior
memoriam suam; sed in quo corrigit viam
suam. Sola vitæ emendatio innocentia
jungitur, quæ verborum tuorum fru-
ctus est. Verbo creati sumus, Verbo
redimimur. Divinum hoc Verbum om-
nes quæcumque sint tuetur vel absolvit
ætates.

Non tantùm iste adolescentior, sed
populus etiam junior, te loquente, cura- August.
tus est, & fœdissimi morbi Evangelii
tui medicina cesserunt. Sub veteri Te-
stamento populus vetus salutem suam
quærebat in sanguine victimarum; non

alium habemus sanguinem nisi **Verbi**. Ut sanarentur illi, fundebatur **sanguis** animalium: sed nos, diviniori & **faciliori** remedio, audimus te, & sanamur. Verba tua, Domine, quæ sanguine tuo imbuta sunt, remedia nostra sunt. **Verbis** Agni & sanguine Agni, lupi in agnos mutati sunt.

Sap. 16.
12. Nec aliter sanabantur tempore sacrificiorum: *Etenim neque herba, neque malagma sanabat eos; sed tuus sanguis qui in sanguine victimarum à veris Judæis intelligebatur, sed tuus, Domine, sermo qui sanat omnia.*

†. 10. *In toto corde meo exquisivi te; ne repellas me à mandatis tuis.*

CREDAM, Domine, correctam esse viam meam, & sermones tuos à me custodiri, cum, Prophetam tuum imitatus, in toto corde meo exquiram te. Non inveniris, nisi quæraris. Quamvis enim offeras te aliquando, etiam non quærenti, ad commendandam magnitudinem misericordiæ tuæ; tamen cum te agnoscere incipit, jam & quærit. Signum est ergo te nondum inveniri, cum nondum quæreris. Si non quæro te, non invenio. Si non invenio te, quomodo corrigor; cum corrigi non possim nisi corrigas. Salus mea ex me

SOLILOQUIA. *Beati.* 23

effet , si mores emendari possent nec te invenientis, nec te quærentis. In hoc igitur constabit an reverà desiderem sanari, si quæram sanantem.

Quæram te, Domine. Da gratiam quærendi, largiturus majorem jam inveniēti. Nec te quæro sine te; quomodo solus invenirem qui nec solus quæro? Sed hanc tribue ad quærendum diligentiam, quæ te inveniāt. Toto corde quæram qui toto corde amandus est. Si in quærente aliquid vacare inveniat, quo non quæraris, servatur inimico tuo quod tibi negatur; & ideò æquum est ut non inveniaris. Toto igitur corde quærendus es. Si ideò petit Propheta ut eum non repellas, quod toto corde quæsiverit; ergo merentur repelli qui toto corde non quærun. Et hoc sæpè misericordiæ est, repelli indignum, qui non meretur exaudiri.

Terret me quod ait unus ex servis tuis.

Etiam ipsi consulitur, qui remissior cum sit, repellitur, ne plus offensionis contrahat; sicut & illis consulitur qui vomuntur.. Nam quemadmodum manens in corpore quod vomendum est, plus acescit; ita qui debet excludi, si retineatur, nec se corrigat, totum corpus exulcerat, majore damno corporis non excludentis, & majori corruptione humoris non exclusi.

Ambr.in
Pl. 110:

Domine, si excludor à corpore ipsius vitæ, statim morior: si non excludor, & pravitate morum noceam corpori Domini mei, non minus morior; & fortè adhuc magis perit per quem alii pereunt. Quid ergo superest, Domine, nisi ut convertas me? ita enim neque nocebo membris tuis immutatus, neque ipse peribo exclusus.

Da ergo quæram ut quærendus es. Non enim repelles à mandatis tuis quærentem te in toto corde, quia cum sic quæreris, jam amaris. Sed cum amaris, custodiuntur mandata quæ eò tendunt omnia ut ameris. Quamobrem non repellis nos ab eis, quia si repelleres, neque servarentur, neque amareris. Si repelleremur, non adjuvaremur. Si non adjuvaremur, mandata non implerentur.

August. Mandatis enim tam rectis & arduis humana non contemperatur infirmitas, nisi præveniens adjuvet charitas.

Ps. II. In corde meo abscondi eloquia tua; ut non peccem tibi.

UNDE hoc mihi, ut salus mea non sit tantùm à Domino meo, sed ipse sit Dominus meus. Ecce verbum Dei vita est hominis. Ecce quasi bonum proprium abscondo in corde meo summum bonum; nam hoc est verbum.

SOLILOQUIA. *Beati.* 25

tuum. Nisi vitam meam in me absconderem, non viverem. Nisi verbum tuum vita sit cordis mei, cor meum moritur, & regnat in me mors, occupatâ vitæ ipsius origine. *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi.* Quid enim aliud est peccare tibi, quam mori sibi? Æquum est, Domine, ut qui tibi non vivit, sibi moriatur.

Hæc ipsa justitiæ lex, & nihil congruentius, quàm ut tibi vivant qui de te vivunt; sed non minùs etiam necessarium est, ut de te vivant qui tibi vivunt. Non enim placere tibi potest alienum bonum; & non est bonum, si tuum non est; quia fons es omnis boni, & summum bonum. Quod tibi placet, tuum esse convincitur; & hoc etiam tibi debet quod placeat. Quis ego sum, Domine, ut placerem Domino meo, nisi stupendâ prorsus misericordiâ acciperem Spiritum Domini mei. Da mihi ergo Spiritum tuum, ut placeam tibi.

Sit verbum tuum in corde meo, ut tuum sit cor meum. Cum audiero verbum Domini mei, non remaneat in sensibus, quorum vim superat, sed statim in corde boni sui avido abscondatur. Quàm magna & mira societas verbi & cordis. Verbum licet vita sit, non vivificat nisi in corde accipiatur; & cor non vivit,

nisi in omni verbo quod procedit de ore Domini mei. Ergo verbum tuum descendat in cor meum, ut de eo vivat cor meum. Sed ut vivat, fileat. Væ mihi, si sciens verbum, sciri ipse voluero. *Absit hoc à me tam grande peccatum. In corde meo abscondam eloquia tua:* accipiantur & abscondantur: utrumque æquè necessarium. Non vivunt qui verbum non quærunt; neque vivunt qui cum quærant verbum, gloriam ipsi suam quærunt, non verbi.

Longè ab impiis salus carentibus verbo: longè à superbis glorientibus in se, non in verbo. Abscondam ergo thesaurum meum in corde meo. Non abscondat malignitas quæ invidet. Non abscondat pigritia quæ laborem timet. Abscondat humilitas pio amittendi metu. Abscondat charitas pio fruendi desiderio. Non curæ sæculi, non verba hominum abscondant mihi verbum, sed spiritus tuus. Abscondam verbum tuum, non ut ipsum abscondatur, sed ut ipse abscondar. Abscondam verbum, sed ipse me non abscondam verbo. Confitear illi iniquitates meas & misericordiam ejus. Nihil illi abscondam, sed de omni verbo consulam verbum Domini mei. Nihil aliud cogitem. Totum cor vacet verbo; & tam magno intentum negotio alia omnia aut contemnat aut non curet.

Loquar veritatem semper in corde meo; ut cum, te jubente, loquendum erit fratribus meis, nihil aliud loquar; sed sit hoc tantum in ore, unde vixerim & in corde. Amen.

†. 12. *Benedictus es, Domine; doce me justificationes tuas.*

ECCE quod præstant eloquia tua, Domine, cum absconduntur in corde amantis. Excitant ad laudandum. Nisi ea in corde suo Propheta abscondisset, non te laudaret. Quemadmodum enim semina plantarum, sterilia cum aëri exponuntur, amplissimos fructus ferunt cum committuntur terræ gremio ritè subactò: ita verbo tuo quod sterile est cum ostenditur, nihil foecundius esse potest, cum absconditur intùs humili silentio velut terrâ occultatum. Nonne hic primus ejus fructus est in corde timentium te, ut deformitatem suam animadvertant, & pulchritudinem Domini sui?

Quocirca qui se scripturarum peritum arbitratur, & te non laudat, earum sensum non percipit: si verò nec advertat quàm laudandus sis, nihil in eis intelligit. Qui earum luce fruitur, laudat te. Si verò nondum satis aperiantur

oculi, sed tamen aliquâ jam luce perfundantur, laudare saltem desiderat.

Benedictus es, Domine, doce me justificationes tuas. Et id sapienter, ut beneficium petiturus, laudet antequam petat. Da mihi quoque imitari Prophetam, & votum orantis antecedit laus benedicientis. Priùs laudem, efficacius oraturus quem laudavero. *Benedictus es, Domine.* Non tam laudat iste, quàm gaudet laudari te ab aliis & benedici, non tantùm timentium te particeps, sed & laudantium. Nimirum numquam otiosus est amor. Nam si contingere potest ut non laudet ipse, aliorum laudes usurpat ad gaudium suum, & ad profectum suum. Mihi laudat quisquis laudat, quia amo laudantem & eum qui laudatur.

Gratias tibi, Domine, quòd nobis ad benedicendum satis esse voluisti ut diceremus: *Benedictus es, doce me justificationes tuas. Doce, dixit, quomodo eas discunt qui faciunt; non quomodò qui, ut habeant quod loquantur, tantummodò meminerrunt.* Doce me justificationes tuas, quibus justus mihi videatur, non reus, sed judex: id est, fac me amare justitiam tuam, non meam. Nisi enim Deus hominem superbum docuerit, ut eo intus docente sit humilis, *justitiæ Dei non eris.*

August.

Rom. 10.

SOLI LOQUIA. *Beati.* 29

subjectus, ut sibi sit justus, quæ maxima injustitia est.

Doce me, Domine, hoc genus justificationum tuarum, quas cum didicerim, non superbiam, sed damnem injustitiam meam, non jam damnandus, ut sim particeps justitiæ tuæ jam coronandus. Doce me justificationes tuas, *non dicta, sed facta justitia, opera scilicet justorum quæ imperas.* Ideo autem tua dicuntur, quamvis à nobis fiant, quia nisi te donante non fiunt. S. Aug.

ψ. 13. *In labiis meis pronuntiavi omnia judicia oris tui.*

HOC habet laus tua, Domine, quod ipsâ ejus commemoratione accendimur ad laudandum. Nec mirandum id. Cùm enim laudaris, magis amaris; hinc amor ipse qui laudibus tuis creverit, velut memor originis, laudandi desiderium excitat, & pium auget affectum. En Propheta iterum laudat, quia jam laudaverat; & postquam brevem orationem interseruit, rursus ad consuetum argumentum laudum tuarum revertitur, ut nos doceret, nec semper orandum, nec semper laudandum; sed hæc in loco exilii distingui oportere, ut necessitatis habeatur ratio ad petendum, & amoris ad laudandum.

30 PIA IN. PSAL. CXVIII

In patriâ semper laudabitur, nec erit amplius quod petatur. In exilio *miseris* orandum est; sed quia spe jam beati sumus, etiam laudandum est. Urget necessitas ad petendum, & non minus urget charitas ad laudandum. Ergo indulgendum necessitati, & petendum unde laudemus; & indulgendum charitati, quia laude amantis excitatur oratio, & ipse interdum prævenitur orationis effectus, quia bonus es, & hoc dicis:

Isa. 65.
24.

Antequam clament, exaudiam.

Sed nonne hoc, Domine, dici potest; Prophetam in labiis suis pronuntiare omnia judicia oris tui, non tantum ut laudaret postquam oraverat, sed ut etiam ipsi laudaremus? Quemadmodum mater liberorum egentium, statim ac panem obtinuerit à divite, ad eos festinat, ut habeant quod manducent; ita Propheta materno affectu quem ipse inserueras visceribus ardentissimæ charitatis ejus, quod à te orando obtinuerat, id statim refundebat in profectum parvulorum. Ideò labia adhibentur ad pronuntiandum, ut nos aliquando cum audiremus inflammaremur ad amandum. Non tacuit ergo judicia oris tui, ne ea taceremus. Orabat ut doceres. Cum docueras, jam labiis pronuntiabatur, non tantum quod tibi confiteretur, sed

SOLILOQUIA. Beati. ¶
quod alii etiam docerentur, ut & nos
viveremus *de abundantia cordis ejus.*

In labiis meis pronuntiavi judicia oris
tui. Judicia tua se annuntiatorum pro-
fitetur, quia amat; sed non omnia, quia
humilis est. Ea se loqui gloriatur quæ
loquutus es. Ea se tacere gloriatur quæ
tacuisti. *Judicia oris tui*, quæ manifesta
sunt, ut pascere parvulos & essent
cibus cordis nostri, veneratur in labiis
suis pronuntiando, & quæ revelari nolui-
sti veneratur tacendo.

Theodo-
Sic Am-
brof. sine
verbo
omnia.

Quid enim honestius homo loquetur
quàm quod Deus loquutus est? Quid
utilius quàm quod salvat & loquentem
& audientem? Similiter quid melius &
sapientius taceri potest quàm quod ipse
taces qui sapientia es; & quod vis ta-
ceatur, periculosissime dicitur & audi-
tur. Ergo, Domine, judicia oris tui
quæ scrutari possumus erudiant nos:
judicia occulta quæ sunt velut abyssus
multa, cum investigari non possint, ter-
reant nos & securitati silentii commit-
tantur.

¶. 14. *In viâ testimoniorum tuorum*
delectatus sum, sicut in omnibus
divitiis.

QUI non tacet judicia oris tui
periculoso silentio, non sine præ-

mio relinquatur; & quia laudat te, hoc illi concedis ut gaudeat in te. **I**psis eloquiis quæ *in labiis pronuntiat* delectatur. Et illis delectari foelicitas est, quæ majoris adhuc foelicitatis causa sit. **N**ihil enim certius ad comparandum gaudium illud æternum quod polliceris, quàm spe illius jam gaudere, quia jam spe beati sumus. Si spe beati, ergo & spe gaudentes.

In viâ testimoniorum tuorum delectatus sum. Et ipse quoque, Domine, interdum testimoniis tuis delectatus sum; sed non in viâ testimoniorum; quia cum illa adhibeam ad loquendum, non adhibeo ad vivendum. Mihi non sunt via, hærenti semper in eodem vestigio, & non ambulanti in eis. Delectat me quidem sapientia scripturarum, dummodo nihil patiendum sit. Crucem quoque commendari patienter fero, si aliis imponatur; sed si *ad me fiat verbum Domini mei*, & rebus ipsis loquentibus ad patiendum voces, non tantùm non delector in verbo hoc *sicut in omnibus divitiis*, sed tristitiâ afficior quasi in maximam calamitatem incidissem. Ecce ut contrarius sum testimoniis tuis. Quàm periculosum hoc, Domine, non consentire legi libertatis, & servitute pessimâ delectari, quod genus est amentia.

SOLILOQUIA. *Beati.* 33

Da mihi ergo delectari testimoniis tuis. sed omnibus; nec tantum audiendo quod jubes, sed maxime faciendo delectari. Delecter in via testimoniorum ducentium me ad beatissimam patriam. *Per Augustinus*
hanc viam enim nihil certius, nihil brevius, nihilque grandius intelligimus quam te ipsum. In unoquoque verborum tuorum comprehenderis: & cum audimus loquentem, si fides non desit, habemus ipsi quem audimus. Audiendo te tui sumus, & noster es. Non enim hominum more loqueris voces tantum inanes jactantium, & cum loquuti sunt, ecce vacui sumus, & nihil remansit præter cujusdam soni memoriam & simulacra verborum fallentia. Tu Verbum es Patris: Verbum non transiens, sed æternum; *non loquax, sed efficax*; quod qui *S. Bern.*
audiunt & ipsi æterni sunt. Non moritur verbum hoc sicut verba hominum, cum ipsi illud audiendo non moriantur.

Non mirandum si in verbis tuis delectari debeamus sicut in omnibus divitiis, cum vel unum verbum Verbi sufficiat ad beatitudinem audientis. Qui vel unicum animo complexus, credat quod audit, & adoret quod credit, in verbo tam simplici & nudo inveniet Verbum. O beatum, Domine, qui te invenit in uno verborum tuorum! Nonne

34 PIA IN PSAL. CXVIII.

tantam mundi paupertatem mirabitur ;
nec alias reputabit divitias quam fruī
Domino suo, & gaudere in abundantia
pacis ejus ?

ψ. 15. *In mandatis tuis exercebor ,
& considerabo vias tuas.*

LÆTITIA possumus decipi alienā :
utilitatem ergo gaudii probat effe-
ctus. Si tuum sit, multum prodest. Tuī
spiritus erat gaudium Prophetæ qui in
mandatis tuis postea exercebatur. Benè
gaudet audiendo, qui exercetur facien-
do, & cui vivere nihil aliud est, quàm
obedire mandatis tuis, ut pugnet adver-
sus seipsum misericordiæ innixus & au-
toritati jubentis.

Exerceri se dixit, Domine, non vin-
cere. Aliquando vincebat, aliquando
vincebatur; aliquando fortis, aliquan-
do infirmus, sed semper tuus, quia sem-
per humilis. Quemadmodum enim a-
quæ diluvii, licet *irent euntes & redeun-*
tes, & arcam adhuc ferrent procellis ob-
noxiam, non minus tamen in dies mi-
nuebantur; ita neque experientia infirmi-
tatis nostræ quâ labimur interdum, aut
proximi sumus labendi periculo, salu-
ti tuæ contraria est; & si humiles simus,
quamvis fluctibus aquarum inundan-
tium terreamur, nec multa adhuc emi-

neant, transiturum tamen diluvium sperandum est, quia hoc polliceris qui omnia potes.

Quid mihi aliud est in mandatis tuis exerceri, Domine, quàm vigilare ne cadam, & humiliari cùm ceciderim, ne amplius cadam, considerans vias tuas quarum sanctitate viæ meæ perversitas emendetur. Frustra enim vigilerem, & exercerer inutili conatu, sive ad non cadendum, sive ad surgendum, nisi adjuvares, & ante oculos versare-
ris. Nam ideò inter homines vivere voluisti tamquam unus ex nobis, ut proposito tam illustri exemplo ad imitandum, formam vitæ nostræ non ignoraremus, sed tantum ducem sequendo, optimè viveremus. An deciperent me divitiæ quamvis tam aptæ ad decipiendum, si paupertatem tuam cogitarem quâ nos tueri voluisti, & securos reddere, sive ab apertâ vi, sive ab insidiis impugnantium?

An placeret fastus sæculi, & infœlix tumor pereuntium, consideranti viam humilitatis tuæ? An fatiarem me inani gloriâ, si cernerem *saturatum opprobriis*? Nihil utilius, Domine, quàm *considerare vias tuas*, plenas luce tuâ & vitâ tuâ; quæ revocant me ab errorum viarum mearum, quas si sequar, certif-

36 PIA IN PSAL. CXVIII.
simo exitio incidam in latrones.

In mandatis tuis malè exerceor, aut potius non exerceor, legis tuæ oblitus; quia non confidero vias tuas. Placent mihi viæ meæ: hinc incuria, & quidam contemptus viarum tuarum quæ nostris contrariæ sunt, & quibus offendimur. Hinc aberramus, quia finem vitæ ipsius, & scopum non intuemur.
Basiliius. *Nam sicut clavis ad aperiendum idonea fieri non potest, si artifex aliud cogitet, nec intueatur exemplar ad similitudinem operis; ita neque à me emendari possunt viæ meæ nonconfiderante vias tuas.*

ψ. 16. In justificationibus tuis meditabor, non obliviscar sermones tuos.

OR D I N E laudabili & necessario Propheta exerceri se in mandatis tuis testatus est antequam ea meditaretur, ut doceret nos frustra cogitari quæ non fiunt. Sed quod hic docet nos, non minus salutis nostræ necessarium: quia sicut non sufficit meditari nos mandata quibus non obtemperamus, ita neque sufficit obtemperare nisi meditemur; quòd earum rerum oblivio vitari non possit quæ non cogitantur. Ergo mihi utrumque largire, Domine. Exerceantur manus necessariâ operum tuorum tractatione

tractatione quæ mandatis injunguntur; sed non minùs cor perpetuâ mandatorum tuorum recordatione exerceatur. Quid melius faciam, quàm quod me oportet meditari? Quid aptiùs meditabor, quàm quod mihi necessariò faciendum est?

Juvant manus memoriam meditantis; & ipsâ meditatione operis, manus ad agendum confirmantur, ut id faciliùs fiat cui cogitatio viam quasi molli-verit. Libera me, Domine, ab oblivione pessimâ verborum tuorum, quæ exitio meo conjungitur. Vitam enim non recordanti moriendum est. Possideri quidem possunt temporali hoc & brevi dominio quorum obliviscimur, quia possessio ipsa minus vera, & nihil eâ inanius esse consuevit. Sed vera bona ab animâ possideri non possunt, si eorum obliviscatur. Non recordari carere est, & statim iis privatur quæ contempserit.

Quis unquam audivit talia? Nunquid virgo amatrix ornamentorum fasciæ pectoralis obliviscetur? Turpis hæc pulchritudo neque excoli recordando, neque augeri potest; tamen perpetua ejus recordatio est, & inutilis cogitatio ad idem semper saxum naufragii sui alliditur. Ecce cœlestis pulchritudo cujus tu ad-

Jerem. 2
32,

mirator es, quâ tibi placemus, & cuius præmium est regnum æternum, recordatione verborum tuorum augeri potest, & si desit, comparari; eorum tamen damno æterno obliviscimur. Rogarem ut misereris tam miseræ oblivionis; sed cum sit ingrata, ad cumulum malorum accedit ut etiam misericordiâ indigna sit.

Quid tibi confitear, Domine? Animas nostras quamvis tanto honore tam indignas, sponsas tuas fieri voluisti. Misere erant & deformes. Redemisti ne fervirent; lavisti ut placerent. Eodem sponsi sanguine libertas & pulchritudo comparata est. Ecce ad eas scribis. Litteræ sunt plenæ magnificentiâ scribentis. Quia scripsit qui vita est, & ipsæ vivunt. Nihil pulchrius, nihil magis necessarium. Si vita delectet, necessariae sunt ad vivendum. Si placeant divitiæ, necessariae sunt ad regnandum. Si se sponsas saltem meminerint ad quas scribuntur, necessariae sunt ad amandum. O nos foelices, dummodò non ingrati!

Quid hîc agimus? Alia omnia omitantur, & si volueris, amittantur. Fruamur litteris nostris, in quibus sanitatis robur, divitiarum abundantiam, & ipsum invenimus quem amamus. *Fiat, fiat.*



Ψ. 17. *RETRIBUE seruo tuo, vivifica me ; & custodiam sermones tuos.*

VOTUM hoc orantis, signum est non obliviscentis. Quicumque sermones tuos obliviscitur non te orat amplius ; quod enim vitæ ipsius oblivionem affert, vitæ quoque desiderium extinguit ; ita ut labiis tantum orantibus, otiosi cordis nulla amplius oratio sit. Sed qui non obliviscuntur verba vitæ, ab ipso eorum calore accenduntur ut ardeant ; & hic ardor desiderium est amantium, quod tu audis, Domine, quia amas, & fecisti ut amarent. Aperi cor meum, ut audias orantem servum tuum.

Retribuē seruo tuo, inquit, vivifica me. Quid aliud amator vitæ peteret quam vitam ? præsertim cum is rogatur qui author est vitæ, & vita amantium. Vitam corporis non petit quam non amat ; & *vita tam misera non est loco præmii, quæ in* Ambros. *loco mortis est.* Tanquam præmium petere non potest, quod patitur tanquam poenam. Quantum ergo assequor sensum Prophetæ tui, non optat vivere sed amare. Augeri charitatem postulat, quæ illi vita est dulcior vitâ. Charitatis hæc vox, nil aliud optantis quam dile-

ctum. Sed non minus vox humilitatis
 seipsam contemnentis. En amicus tuus,
 Philip. 3. *quæ retro sunt oblitus, in anteriora extendi-*
 13. *tur; & hoc totum quod de luce tuâ hau-*
sit, scintillas arbitratus, ardentiore desi-
derio rapitur ad fontem ipsum luminis
tui.

Quod vivit, nondum illi vita est.
Vivifica me, inquit; aut fortè periculum
 mortis eo magis intelligit, quo longius
 abest à morte. Hoc enim habet illa, ut
 non timeatur à suis. Mortem hanc pes-
 simam, quam non sentiunt mortui, ti-
 mere, vitæ saltem inchoatæ signum est;
 & qui magis vivit, magis eam timet, ut
 magis anxie clamet ad vitam, *Vivifica*
me.

Non aliud ostendit meritum quàm
 servitutis suæ, quæ donum tuum est.
Retribuere servo tuo. Domine, si quod me-
 remur & quod justitiæ est, reddere-
 tur, *retribueres mala pro malis; sed*
 August. quia misericors, & non vis mortem pec-
 catoris, *retribuis per indebitam gratiam bo-*
na pro malis. Hanc gratiam bona pro
 malis retribuente mirabatur qui dicebat;
 August. *Retribuere servo tuo, vivifica me, & custo-*
diam sermones tuos; quod quid est aliud
quàm dicere, mortuos eos custodire non posse?
 Ita est, Domine, verba vitæ non audiun-
 tur à mortuis. Suis ista terminis conti-

S O L I L O Q U I A. *Retribuere.* 41.
nentur. Qui moriuntur audiunt mortem.
Qui vivunt audiunt vitam.

Tam magnus es, ut nihil præstari tibi possit ab alienis; tantum à tuis accipis, tantum accipis quod tuum est. Sed ut tui simus, prius vivificandi sumus; ut accipias à nobis quod tuum est, prius condona nobis quod nostrum est, & *custodiemus sermones tuos.*

ÿ. 18. *Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua.*

S E Q U A R & ipse, Domine, ordinem Propheticae orationis. Prius optem vivere quam videre. Non tantum non prodesset videre non viventem; sed inutilis scientia etiam noceret mortuo, & ex iis ipsis quæ viderentur mors invalesceret. Sit mihi igitur vitæ ipsius major cura quam scientiæ. Hoc prius orem, ut *vivifices me* ad obediendum, antequam petam ut *reveles oculos* ad videndum, & ad cognoscendam vel Scripturæ ipsius scientiam. Cum vita, cujus fundamentum in visceribus ipsis intus stabilendum est, in tuto fuerit, jam de oculis cogitabitur, & suo loco petam ut *reveles oculos meos.*

Nihil sine te possumus, Domine. Quemadmodum labia non aperiuntur

42 PIA IN PSAL. CXVIII.

ad laudandum antequam illa aperias, & laudem ipse qui laudaris inspires, movens cor amantis & linguam confitentis; ita interiores oculi ante lucem tuam non aperiuntur, cum ipsa eos aperiat. Oculi corporis absque luce salvi esse possunt; & eum sol abscesserit, non ideo ægrotant. Sed longè alia ratio est oculorum cordis. Lux tua illis sanitas est. Si longius absint à sole justitiæ, conturbantur; si sol ipse occiderit, cæci fiunt. Et utinam cæci tantum fierent; minus esset periculum nihil penitus videntium. Quidquid uspiam hæreticæ est doctrinæ, quidquid erroris, ab oculis inductum est quos ipse non aperueras, & sine luce tuâ videntibus.

Revela igitur oculos meos. Da illis lucem suam ut videant: & cum sit pars quædam lucis intelligere cæcitatem suam quam cæci non intelligunt, antequam convertar ad videndum, prius me convertam ad orandum. Antequam intuear, quæram oculos ad intuendum, clamans ad te: *Revela oculos meos.* Quæ amentia est, privatum oculis irruere in turbam, & oculos aperire non sentientes? Cur ignorare volumus oculos non pertinere ad sortem aliorum membrorum, & nusquam in corpore inveniri præterquam in capite? Numquid ipsi caput sumus?

S O L I L O Q U I A. Retribue. 43
Nonne membra? Nonne tu caput membrorum tuorum? Non caremus oculis; sed in capite nostro nobis servantur, non tantum ad securitatem, sed etiam ad gloriam videntium.

Si proprios haberemus, humanis certe oculis uteremur; & ecce divinis utimur, quia capitis ipsius oculi sunt, non membrorum. Sunt quoque nostri; sed locum tantum in capite habere debuerunt, quod ipsum etiam nostrum est. Admone nos ergo cæcitatæ nostræ, & antè oculos à te repetamus quàm ad videndum festinemus. Tales oculi, qui à tali capite vim omnem nanciscuntur, in tali lege, quæ & ipsa divina est, quid aliud cernerent quàm quod omnem admirationem superaret? Quare cum nihil admirabile cernitur, defectus iste oculorum; & non tam rebus ipsis videndis, quàm luci obtinendæ per quam videantur, studendum est. Jam Propheta oculos Christianos optabat quibus Evangelium in Lege ipsâ intueretur. Quàm ergo rei sumus, Domine, qui in Evangelio tantum Legem quærimus, oculis usi Judæorum.



ÿ. 19. *Incola ego sum in terrâ : non abscondas à me mandata tua.*

QUAM citò exaudiuntur qui diligunt ! Aperiri sibi oculos postularat , quos pulcherrimo legis tuæ spectaculo recrearet ; statim concessisti ut aperiret. *Incola ego sum in terrâ.* En divinæ fructum scientiæ. Hoc primum in cœlestibus libris intellexit , se hîc peregrinum ; nec patriam in terrâ , sed in cœlo , quæri oportere. Hæc sit quoque eruditio mea, Domine , separari à præsentibus , & id amare quod non cernitur. In libris tuis intelligam exilium meum. Doctiorem me arbitrer , non memoriâ verborum , sed patriæ & mortis recordatione , quæ necessaria via est ad beatissimam patriam proficiscentium.

Qui divinarum rerum eruditus est, brevitate non vit. Theodor.

Sit hoc melioris Theologiæ initium , scire me moriturum , & hâc mortis proximitate gaudere magis quàm terreri.

Incola ego sum in terrâ , non abscondas à me mandata tua. Si non absconduntur peregrino , iis certè qui non peregrini sunt absconderentur. Væ habitantibus terram , ita morbis suis assuescentibus , ut nec remedia norint , quibus sanari potuissent. Mortem amantibus vita absconditur. Ipse amor tenebrarum

S O L I L O Q U I A. *Retribue.* 45

velut necessariam lucis ignorantiam secum invehit. Cùm iis abscondatur lux mandatorum cœlestium, qui non sunt peregrini in hoc sæculo, ergo quantum diliguntur temporalia hæc, tantum æterna nesciuntur. Cupiditas nostra, mensura ignorantiae nostræ. Quantum cupiditati additur, tantum detrahitur scientiæ. In paupertate igitur, quæ amorem mundi, lucem nobis occultantem amputat, videndi vis; & magnum ipsa est collyrium.

Hoc inunge oculos meos, Domine, ut videam. Sim pauper, ut sim doctus. Da mihi scientiam hanc contemnentem præsentia, & mala sæculi quæ magis horrentur, ipsiusque inopiæ tristitiam, in æternas divitias, & in æterna gaudia convertentem. Hæc amatoribus sæculi absconduntur. Non amem id, Domine, unde cæcutiam. Non sit mihi inimicus amor meus. Non sit in causâ ut abscondas à me mandata tua; sed potius id præstet ut non abscondantur. Si amavero te, Domine, & ipsa mandata quæ præcipis, hoc scio, non abscondes. Nihil amanti absconditur. Sed si quid abscondere-tur, non ille certè absconditur qui diligitur. Non illa certè absconduntur per quæ diligit.

Hoc primum mandatorum, ut ipse

46 PIA IN PSAL. CXVIII.

Hilar. docuisti; *Diliges Dominum tuum ex toto corde tuo.* Sufficit mihi, Domine, lux tanti hujus solis. Dummodò non occultes hoc mandatum, occulta cætera si volueris. Sed neque occultabuntur, si illud non occultetur *per quod digni illuminatione cognitionis efficimur. Ex mandato mandata cernemus.* Quicumque te toto corde amaverit, quid sibi agendum sit ignorare non potest. Corde non errante, non errant manus.

Ps. 20. Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas in omnî tempore.

Ps. 20. 3. **N**ON abscondisti Prophetæ mandata tua, & *voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.* Agnosco eum fruentem luce tuâ, quia cerno amantem. Non dubito an amet, quia audio desiderantem. Desiderat, ergo amat. Amat, ergo non absconduntur illi mandata, quorum primum est præceptum amoris. *Concupivit anima mea desiderare.* Ut video, Domine, caro nostra *non habet partem in verbo hoc.* Et si enim cum liberatur amori inferviat, amare tamen non carnis est, sed pati. Regnat illa tecum in doloribus, & gloria ejus hæc est ut crucifigatur. Regnat cor in amore, & ad illud perti-

SOLILOQUIA. *Retribue.* 47

net magnus hic gloriæ principatus. Coërtenda caro, ne inficiat amorem, & gloriam ejus immutet, reddendo carnalem, & obnoxium sensibus quibus imperat.

Ergo, Domine, impera asino huic ne ascendat ad montem, sed expectet, ne ^{Genes.} se caro immisceat amoris tui negotio. ^{22, 5.} Sola *anima concupiscat desiderare justificationes tuas.* Quid enim melius desideraret, quàm per quod justa est, & tibi placere potest? Affectus animæ varios tribuisti, ut tibi unì impenderentur. Nil perdam, Domine, desideriorum cordis mei, quibus comparari potest regnum cœlorum, & quibus amaris. De cæteris statue ut tibi aptius videbitur; tantùm amemus. Hoc tantùm desideremus. Quid frustra optamus quod sapientissimè & utilissimè non fiet aut fiet, velim aut nolim? Perit mihi, quod nolo aut quod volo privato arbitrio: & quidquid accidit in bonum meum vertitur, si summæ auctoritati consentiam, cujus tantùm imperio accidere potest.

Parcam, Domine, inutilibus desideriiis, & voluntas integra ad amandum afferatur; & quæ semper amoris tuo vacare potest numquam vacet alieno. Ideò vivimus u amemus, & amare vivere est. Semper ergo desideremus, & omni tempore hoc fiat quod facit æternùm beatos.

48 PIA IN PSAL. CXVIII.

Miserere, Domine, infirmitatis meæ.
 En bonum cordis mei, bonumque maximum, & non rapitur ad illud anima mea; vix vigilat, vix movetur. Utinam desideraret, tantum concupiscit desiderare. *Sapè quid agendum sit videmus, nec agimus; quia non delectat ut agamus, & concupimus ut delectet. Prævolat intellectus, & tardè sequitur, & aliquando non sequitur humanus atque infirmus affectus.*

Hoc saltem initio salutis consolare miseriam pereuntium. *Desiderare concupiscamus quæ bona esse cernimus, cupientes eorum habere delectationem quorum potuimus videre rationem. Concupiscam saltem desiderare, ut incipiam amare. Desideretur ipse amor, & id unde desiderare possimus. Citò fiet, si semper fiat. Concupiscamus ergo desiderare in omni tempore, ut nullum momentum bonæ prætereat vacuum cupiditatis.*

† 21. *Increpasti superbos: maledicti qui declinant à mandatis tuis.*

NO B I S multum optanda est justitia tua, Domine, ut à nostrâ liberemur. Tuâ enim justî & humiles reddimur; nostrâ injusti & superbi. Sed increpas superbos; & nullum aliud peccatum est quod tanto odio prosequaris.

SOLILOQUIA. *Retribue.* 49

Utinam, Domine, intelligerem reprehensionem hanc & timerem, quam non intelligunt neque timent ipsi qui reprehenduntur. *Ecce ista tota dura & infelix ærumna mortalium, quodammodò hereditaria est increpatio superborum.* Sed si filii superborum, quamvis jam humiles, sic puniuntur, quænam potest esse superbæ ipsius increpatio in superbis? August.

Increpas superbos tantò severius quanto occultius; & peccata quidem alia flagellis tuis pœnisque communibus puniuntur; superbia verò ipsa gravissimis quibusque peccatis. Curantur sæpè alia peccata cum plectuntur, & vitâ succedente finiuntur: pœnis suis non curatur superbia sed augetur, donec per multas mortes in ultimam devolvatur.

Increpasti superbos, cum carnem assumendo, humilis factus es. Paupertate tuâ, Domine, & vitâ tam abjectâ damnantur superbi. Crux Dei humilis, hominis de se præsumptis aperta damnatio est.

Increpasti superbos. Et hoc dici potest quomodo increpaveris: sed quænam futura sit ultima illa superborum reprehensio, hîc non dicitur, nec cogitari hoc potest, cum tandem subjecti judici quem contempserunt, æternæ damnationis sententiâ percutientur.

Maledicti qui declinant à mandatis tuis.
Maledicti revera, quia dices : *Ite, maledicti, in ignem aeternum.* Noluerunt benedicere ; maledicentur. Mandata longè à se projecerunt quibus invitabantur ad vitam : jam & ipsi longè à vitâ projicientur in pabulum mortis sempiternum : ipsi suæ damnationis autores ; non enim maledicti ab aliis, sed à seipsis. Non tunc primùm maledicentur ; sed se tum maledictos sentient, cum à mandatis tuis declinarent ; *maledicti enim qui declinant.* Illi mandatorum contemptum inerat jam maledictio ; sed non cognoscebatur à miseris.

Libera me, Domine, à peccato quod causa est omnium peccatorum. Quod magis odisti, magis & ipse oderim. Ne increpes aliquando superbum, hîc me ipse increpem ; non enim reprehendis superbos, nisi qui se non reprehenderint. Cor humile crea in me, Deus, quod declinare non potest à præceptis, cum præcipienti conjungitur. Quidquid jubeas, placeat mihi semper qui jubet, ut placeat quod jubetur. Antequam enim declinemus à præceptis, jam certè à præcipiente declinaveramus. Prius amoris tui mandatum violatur, & magno hoc crimine ingrati convincimur, antequam cætera violentur. Nemo servat innocen-

S O L I L O Q U I A. *Retribuere.* 51
tiam, nisi fervet amorem. Sed ut non declinemus à mandato charitatis, non declinemus à mandato humilitatis.

ψ. 22. *Aufer me opprobrium & contemptum; quia testimonia tua exquisivi.*

Q U O D majus opprobrium, quàm quod æternum est? hoc unum timet Propheta, declinantium à mandatis tuis opprobrium. Hoc unum etiam timeam. Angelorum ille judicium, non hominum malè de rebus ipsis opinantium reformidat. Non quid isti, sed quid illi judicent curandum est.

Aufer à me opprobrium, quod tibi tale est; ut quod in membris tuis erubescis, ipse tantùm hoc erubescam. Cùm paupertatem amaveris, eamque ad hominum salutem adhibueris, turpes & inhonestæ mihi divitiæ videantur; ut sit *opprobrium abundantibus*, cùm regem nostrum vel necessariis indigere intuemur. Unicum esse debet Christiano opprobrium, non esse similem Christo.

Nonne, Domine, in aulâ regum hoc gloriæ ducunt, ut quo reges ornatur utuntur, ipsi eodem aut quantùm fieri potest simillimo utantur? ad hanc similitudinem non accedere, aut nimiam

52 PIA IN PSAL. CXVIII.

esse dissimiles, apud illos pudoris est.
Cur hanc non sequimur legem gloriæ
& opprobrii, ut tibi similem esse, & in
iis versari quæ magis probes, fervorum
tuorum gloria habeatur?

Libera me ab opprobrio divitiarum,
quia pauper es. *Aufer à me opprobrium* su-
perbiæ, quia humilis es. Deus humi-
lis factus est, erubescat homo esse super-
bus. *Aufer à me* denique opprobrium
vitæ mollioris, quia spinis coronatus
es, & in cruce gloriaris. Hoc unum
timeam, Domine, ne humana oppro-
bria reformidem, quæ non reformida-
sti. Ad crucem tuam illa jam pertinent,
quæ non timenda, sed adoranda est. Cer-
tè ex quo contemni voluisti, gloria hu-
mana Christiano erubescenda est; & ip-
se hominum contemptus gloriæ loco ha-
bendus est.

Ambros. Id mihi timendum, Domine, ne
tibi opprobrio sim. Quod in hoc mundo con-
temptui, hoc apud te pretiosum est; hoc &
mihi pretiosum sit. Aufer à me opprobrium
dissimilitudinis, morumque tuis contra-
riorum. Non me contemnant inimici
mei. Nam si dissimilem viderint, con-
temnent; quia solâ crucis similitudine
vincimus. Aufer à me tale opprobrium,
talemque contemptum.

Tunc meritò contemnunt, si con-

temni vereamur; & opprobrium depute- August.
 mus ad pœnam, cùm potius inde perveniamus
 ad coronam. Cùm contemnimur, con-
 temneris; quia *nomen tuum invocatum est*
super nos. Liberentur membra ab hoc con-
 temptu qui redundat in caput. Ame-
 mus te, & liberamur. Solus enim amor
 non contemnitur, cùm ipse omnia facilè
 contemnat. Nonne Propheta tuus ideò
 à se auferri opprobrium hoc & contemp-
 tum rogat, quia testimonia tua exquisie-
 rit, quæ exquirunt tantùm ii qui amant?

Legem tuam amemus, Domine, &
 hæc amoris tui testimonia quæ totam le-
 gem occupaverunt. Quid enim aliud
 Evangelium univèrsam, quàm crux
 amantis & amor patientis? Nec aliud in
 lege prædicabatur; sed ob velamen agnos-
 ci non poterat. Hoc maxime quæram in
 Evangelio, quod Evangelii ipsius causa
 est, & quod nullâ vi eripi potest.

ψ. 23. *Etenim sederunt principes, &*
adversum me loquebantur: ser-
vus autem tuus exercebatur in ju-
stificationibus tuis.

MUNDUS non esset quod est, si
 amantibus te amicum se exhibe-
 ret. Cum Propheta zelo tuo adversus
 peccatores commoveretur & maledice-

54 PIA IN PSAL. CXVIII.

ret superbis, quid aliud expectandum erat, quàm ut ipsi maledicerent, non amore sed odio? Exquirebat ille justificationes tuas, isti vanitates suas. Nonne studiorum tantâ diversitate contrariorum ipsa pugna, ad bellum hoc excitandum sufficiebat, in quo ille amore, isti odio certaverunt.

Ambros. Etiam *adversum te, Domine, sederunt principes elati fastigio principatus; & quia tribunalium fulcro sublimes erant, excæcati superbiâ, iudicem suum, & principem principum videre non potuerunt. Non sola adversum te sedit Synagoga; ipsi quoque postea sæculi principes sederunt adversus martyres tuos; ut Ecclesia tua honestaretur sanguine morientium, & illum tamquam victoriæ fructum, sanguini tuo qui victoriæ causa erat, conjungeret.*

Amem, Domine, parvus esse. Non quæram eminere, sed nesciri. Quàm periculose sedetur, cum jam sæpius qui sedebant Dominum meum damnaverint? Minori periculo stamus. Præstaret judicari vel injustè, quàm eam judicandi potestatem nactos esse, quâ adversus Dominum uteremur. En non semel in te loquuntur, cum sedent. Vix fieri potest, ut qui sedet, aliis stantibus, non gloriatur; aut qui gloriatur, non

S O L I L O Q U I A. *Retribuē.* 59

damnet humiles ; quia nimirum cathedra , ut bonos sanctiores , sic malos nequiores facit. Sed sedeant principes , & in Prophetam tuum insurgant ; quid hoc nocet amanti pœnas suas quibus coronetur ? Quidquid isti moliantur , tantum verba sunt ; quia cum vel occidunt , non nocent. Verba irati & quorum sonus paulò asperior malè audientem afficere videbatur , eâdem festinatione transierunt : tantum verba sunt , quorum duratio puncto temporis absolvitur.

Sederunt principes , & adversum me loquebantur : Servus autem tuus exercebatur in justificationibus tuis. Da nobis , Domine , imitari Prophetæ tui plenam mansuetudine constantiam. Hoc tantum curabant principes ut nocerent ; hoc iste tantum curabat ut amaret. Hæc enim Dei justitia est , quæ justitiam Phariseorum multum antecedit , ut amentur etiam qui sæviunt. In his iste justificationibus exercebatur , ut magnitudinem odii & injuriarum magnitudine amoris superaret. Ita vincunt , Domine , qui pro te certant. Nimirum sic exercebatur , ut contrario iectu diabolum vulneraret. Ille enim ab intentione justitiæ & studio devotionis conabatur abducere : hic magis se divini operis & cultus meditatione occupabat ad

victoriam ; & cum odio vinci posse crederetur , charitate vincebat.

ψ. 24. *Nam & testimonia tua meditatio mea est ; & consilium meum justificationes tuæ.*

QUOMODO non vicisset , qui veritate nitebatur semper vincente ? Nil aliud quàm victoria obtingere poterat , nil aliud quàm veritatem meditantis. Servi tui , Domine , nil aliud cogitando aut timendo quàm quod æternum est , invicti sunt , quia quod amant vinci non potest. *Ecce consilium contra consilium. Consilium sedentium principum fuit inventos martyres perdere : consilium patientium martyrum fuit inimicos perditos invenire. Reddebant illi mala pro bonis ; isti bona pro malis. Quid ergo mirum si illi occidendo defecerunt , isti moriendo vicerunt ?*

Victi sunt qui sæviebant , quia illi in quos sæviebatur , amabant. *Potestas tenebrarum* adversus eos prævalere non potuit , quos protegebant arma lucis. Veritate muniebantur adversus dolos sive vim apertam mentientium. Meditabantur legem tuam prohibentem fieri quod impietas suadebat. Non cum carnificibus suis ad iram incitantibus , nec cum pœnis suis ad desperationem impellentibus , sed cum Deo suo loquebantur.

intus pascente, intus ungente ad victoriam, & totum cor occupante unde vincerent. *Nihil crus sentiebat in nervo, quia animus erat in cœlo.* Nihil alienum cogitantibus, sed in veritate defixis, nullo externo timore aut desiderio dissipatis, sed charitate ardentibus, quælibet tormenta cedebant. Mundum sive minantem, sive promittentem facile contemnebant, quia Deum loquentem audiebant; & mundus quidem perstrepebat longè positus, quia foris: Deus verò ad sustentandum proximior, quia intus.

En veritatis liberantis auxilium in *testimoniorum meditatione: Nam & testimonia tua meditatio mea est.* En charitatis, omnem vim majore vi superantis, admirabile præsidium in consilio justificationum tuarum: *Et consilium meum justificationes tuae.* Cum enim nil aliud vellent quàm adhærere justitiæ tuæ, non cedebant injustitiæ persequentium. Nunquam illustriori exemplo ostendi potuisset, quanto intervallo prudentia spiritûs prudentiam carnis relinqueret. Nam cum prudentissimi tunc viderentur principes qui sedebant, & loquebantur adversus servos tuos; isti longè prudentiores, qui *stantes in fide* hominibus tacebant, ut tibi tantùm loquerentur.

Hoc tacendi & patiendi consilium,

58 PIA IN PSAL. CXVIII.

quàm utilius fuerit consilio saviendi ;
nunc experimur. Silentio vincentium
cedere coactæ sunt omnes minæ loquen-
tium. Ecce qui sedebant ceciderunt *us-*
que ad fundamentum laci ardentis. Ecce
qui stabant sedent cum Agno , & victo-
ria eorum beatissima & æterna est.

ψ. 25. *Adhæsit pavimento anima
mea , vivifica me secundum ver-
bum tuum.*

REVERA , Domine , *virtus tua in*
infirmirate perficitur ; quamobrem ex
præsentiâ virtutis non rectè concludere-
tur absentia infirmitatis. Etsi Propheta
exerceretur in justificationibus tuis , &
in perpetuâ legis meditatione versare-
tur , non minus adhærebat pavimento ,
quasi jam diceret quod dicturus erat
Apostolus ; *Mente servio legi Dei , carne*
autem legi peccati. Quæ est ista Domine,
vitæ mortisque societas , quod cœli ter-
ræque commercium ? Ecce vivimus &
morimur. Ecce cum Angelis versamur
parte meliori , & ipsâ tamen belluarum
societate delectamur. *Adhæsit pavimento*
anima mea. Si corpus pavementum est ,
cur non calcatur ? Cur favetur inimico ?
Cur non contemnitur ?

Utinam , Domine , parti infimæ ani-

ma non adhæreret, ut memor originis, ea tantùm saperet quæ cælestia sunt. *Adhærere terrenis mors animæ est*, quæ ideò creata est ut tibi adhæreret. Adjuva me, Domine, in hoc conflictu, & adversus meipsum certantem ne deseras. Concupiscentiæ perpetuò deprimenti orationem perpetuò erigentem opponamus, ne vincamur si fortius est quod impugnat.

Vivifica me secundùm verbum tuum. Mors mea intus est, & à me. Abest vita mea, & quærenda est. Mortem ex corde ipso scaturientem si constantissimò labore non exhaurimus, ut quod semper influit semper rejiciatur; hoc vitiorum & mortis diluvio liberius redundante pereundum est.

Vivifica me, Domine, moriturum si non succurras. Oppone vitam tuam morti meæ. Vita mea in verbo tuo, donec perfectâ jam sanitate, verbum ipsum sit non amplius morituri. Nondum capax verbi, verborum opera necessaria est ut deducar ad verbum. Hic incipiam vivere ex meditatione verborum tuorum, quantùm competere potest infantia parvuli, ut vitæ suæ assuescat. Nam in verbis tuis vita est, ut mors in meis. Audiam te loquentem, ut vivam. Taceam ipse, non moriar. Taceat ho-

60 PIA IN PSAL. CXVIII.
mo & loquatur Deus, ut vivat homo.
Si enim te, quod absit, tacente loqui
præsumam, ad mortem propero.

Vivifica me secundum verbum tuum. Cum enim in scripturis tuis omnis vitæ nostræ ratio & lex contineatur, quàm stultum est, ad vivendum, hominum sequi iudicium morientium, abjicientes ipsam normam vitæ, sine quâ non vivitur. Non quod rationi humanæ placeat, sed quod legi æternæ, id tutum. Ratio ad disputandum valeat, vita ad vivendum. Non ut morti videbitur, sed ut vitæ, vivendum est. *Vivifica me ergo secundum verbum tuum*, ne falsam vitæ normam sequentibus mors vitari non possit.

ψ. 26. *Vias meas enuntiavi, & exaudisti me: doce me justificationes tuas.*

VARIIS quidem morbis, & prope modum infinitis obnoxii sumus? Sed si velimus sanari, abundamus remediis; & nihil iis facilius esse potest aut efficacius. Ipsi quidem infirmi sumus, sed medentis robur, si ad illum confugiamus, sufficit ad salutem. Ecce, Domine, quòd tibi morbos nostros aperimus, remedium est. Cùm tibi confitemur, jam sanamur. Cùm loque-
ris,

SOLILOQUIA. *Retribue.* **68**
ris, inest verbo tuo sanandi vis, & ipsum est vita nostra. Cùm te alloquimur medicum vitæ nostræ, iterùm sanas.

Vias meas enuntiavi, & exaudisti me. Exaudisti, & sanasti. Tam audiendo sanas quàm loquendo; quia & quod ad te loquimur, ipse hoc in nobis loqueris. Nec enim exaudires, si verbis tantùm nostris & non tuis, si tantùm ex nostro spiritu, & non ex tuo loqueremur.

Vias meas enuntiavi. Hoc enim jubes, ut ipsi peccata nostra accusemus, ne gravius accusentur ab inimico. Et hoc jubere, jam condonantis est. Jam parcis hoc jubendo ut accusemus nos, quos ideò à se accusari jubes, ut parcas. Quid benignius, sed quid justius? *Qui enim* Ambrosi
sua delicta non tacuit, videtur in se doluisse quod fecit, & in diabolo prodidisse quod suasit. Confessionem jubes, Domine, absolventem nos, & tantùm damnantem inimicum nostrum à quo decepti sumus. Remedio ille nostro occiditur, & ipsâ ejus morte uteris ad salutem nostram. *Confessus sum ergo vias meas,* Augusti
vias malas valdè. Delesti eas, doce me tuas. Sed sic doce me, ut agam, non ut tantummodò sciam quid agere debeam.

Doce me justificationes tuas; non homo doceat, ipse doce. Cùm docet homo, hoc disco, oportere me esse ju-

stum: sed cum docet Deus, jam justus esse incipio. Doce me acquiescere justitiæ tuæ, non meæ. Doce me delectari justitiâ tuâ, non meâ. Si enim amavero meam, superbus sum; & ideo injustus. Si amavero tuam, duplici hac amoris justitiâ & humilitatis securus sum. Nam neque humilem damnare potes qui sibi displicet; nec amantem cui tu places. Places amanti te, si verè amet, & ideò tibi displicere non potest; undè certum est jam esse justum.

Ecce, Domine, *exaudisti me*; & iterum cum oro ut docear, opus est exaudiri. Nam nisi iterum sanares quem jam sanavisti, statim ægrotarem. Non possum abesse à medico meo & benè valere, quia salus mea in illo est. Remedium quo sanamur, sanguis est medentis. Non opus illi externo remedio, vitâ suâ sananti nos. Ideò vivimus, quia vivit. In ipso vivimus, & de ipso vivimus; & nobis sanitatem largiri non potest, nisi seipsum largiatur ægrotantibus ut convalescant.



ψ. 27. *Viam justificationum tuarum
instrue me; & exercebor in mira-
bilibus tuis.*

O BEATUM Prophetam, qui ma-
jore flammâ, non tantum in dies,
sed in horas, charitatis accensâ, & cres-
centibus votis, perfectiora precatur, &
impetrat. Antea rogaverat ut docere-
tur justificationes tuas, nunc earumdem
viam edoceri rogat; & litterâ non con-
tentus nec sensu Judæorum, spiritum
qui perfectæ fidei sensus est, velut jam
Christianus, adipisci desiderat. *Viam* Hieron.
justificationum tuarum instrue me; hoc est,
justificationes, quas legis littera protulit, spiri-
tualiter capiam. Jam te finem legis esse perspe- Hilar.
xerat. Hinc lege ipsâ, & omnibus ejus
cæremoniis & justificationibus tamquam
viâ utebatur ut ad te perveniret, non
tam legis amator quàm Evangelii, quod
adhuc in lege abscondebatur suo tempo-
re revelandum.

Non hærebat in umbris, quamvis
tempus esset umbrarum, in quibus hæ-
rere nos non pudet, quamvis in ipsâ lu-
ce versemur Evangelii tui. Amabat le-
gem, quod te amaret. Quia te ab eâ
prædicari noverat, illam meditabatur li-
bens, ut te inveniret. Legebat quod le-

64 P I A I N P S A L. CXVIII.

gunt Judæi; sed hoc intelligebat quod intelligunt Christiani. Contemnens Judaicam scientiam, & sterilem fructum synagogæ, jam tum *in Apostolicis, ceterisque doctrinis Ecclesiasticis versabatur*. Hæc alterius temporis miracula omni admiratione digna arbitrabatur. In his optat exerceri mirabilibus; hoc amplius certè ad veram gloriam ratus, discipulum esse Evangelii & Apostolorum, quàm Prophetam in lege.

Hieron.

Viam justificationum tuarum instrue me, & exercebor in mirabilibus tuis. Non deerant tunc qui docerent legem; sed hanc tu melius doces. Nondum audiverat te *unum esse magistrum*; & jam noverat quod semper audimus & semper obliviscimur. Da nobis, Domine, imitari tantam fidem Prophetæ, & nihil aliud quærere in Scripturis tuis præter teipsum. Non plura scire, sed magis amare, scientia nostra sit. Verba tua quasi ligna ad arandum aptissima circumponamus altari tuo, quibus major flamma amoris excitetur.

Matth.
23. 10.

Legamus, Domine, ut amemus; nec lectio ipsa ab amore distinguatur. In omnibus quæ audiuntur, te audiamus; quidquid scitur, te prædicet. Minor justificationis non contemnatur, quamvis *ad modicum utilis sit*, sed via sit justificationis

1 Tim.
4. 8.

SOLILOQUIA. Retribue. 89
perfectioris, hoc est amoris. Amortuus,
ipsa pietas est utilis ad omnia : præter
amorem & ea quæ amorem conciliant,
nihil miremur. Paupertas nutritrix cha-
ritatis, patientia & crux ejus perfectio,
mansuetudo ejus unctio, veritas lux
ejus, humilitas fundamentum quo cæ-
tera sustentantur, nostra sint miracula.
Hæc quæramus in Evangelio: in his mi-
rabilibus exerceamur. Cùm hæc docent
homines, humiliter audiantur; sed non
minus obsecremus te, ut iterùm hæc
nos doceas, quæ tantùm sciri possunt
Deo docente.

ÿ. 28. *Dormitavit anima mea præ
tædio; confirma me in verbis tuis.*

TERRET me, Domine, humi-
lis confessio Prophetæ. Nam si is
ipse qui exercebatur in mirabilibus tuis
hominem se fatetur, memor infirmitatis
& naturæ; si dormitat, & periculo vi-
cinus est quem tu docuisti viam justifi-
cationum tuarum, & qui pietate vigi-
lantissimâ fidei intentus est; quid de iis
fiet qui nondum ferè evigilârunt? Cùm Hilar.
enim se dormire dixerit non verò dor-
mire, si periculo non caret vel somno
tentari in tantâ luce Scripturarum & in-
ter tot hostes vigilantissimæ nequitiae

66 PIA IN PSAL. CXVIII.

quibus cingimur, quàm timendum iis qui toti dormiunt, & profundissimo somno detinentur?

Dormitavit anima mea præ tædio. Utinam, Domine, amarem te: non enim dormiret anima mea, nec tædio vinceretur. Nescit amor tædium qui gaudii æterni fons est, & somnum faciliè superant qui amant. Somnus in periculis tam securus, non ea satis timeri argumentum est; ideoque cùm firmior est somnus, infirmior est amor, qui ea maximè timet quibus destrui potest. *Perfectus non dormitat qui divinis animum intendit mysteriis.*

Ambros.

Sed si terrere potest exemplum Prophætæ dormitantis; consolatur nos remedium quod adhibet ad vigilandum. *Confirma me*, inquit, *in verbis tuis*; cùm hoc remedio nullum aliud aut præstantius, aut suavius esse possit. Ecce vel leves animæ morbi magno remedio curantur, nempe Dei verbo, sine quo nihil est tam leve, ut non habeat occidendi vim. Ecce remedium nobis proponitur quod non privatâ vi uni morbo opponitur & non alteri; sed quo omnia morborum genera expelluntur. Nec verò tantùm remedium est quo sanamur, sed alimentum quo vivimus & confirmamur. Non solùm vitam conservat & tuetur, sed robur auget & divitias conciliat. Quid-

SOLLILLOQUIA. *Retribuere.* 67
quid nobis deest, Domine, in verbis
tuis invenimus. Ea sunt verba vincen-
tium, divitiarum regnantium, & vita bea-
torum. *Hæc est enim vita æterna ut cognos-*
cant te. Non ita ignis aquam extinguitur,
ut omne adimitur tædium cum audiris.

*Verbum
Dei re-
pulsio-
rium tæ-
diorum
est.*

Ambros.

Si enim hominem doctum & elo-
quentem audiendo oblectamur, quod
appositè dicat ad persuadendum, quam-
vis id quod persuadeat non ita nobis
utile sit; quis te, Domine, audit, & tæ-
dio laborabit, qui sapientia es Patris
omnipotentissima, quæ omnia creata
sunt; qui loqueris quia amas nos, &
ut ameris? Et hoc ipsum quod loque-
ris amor est; qui miram facilitate persua-
des quod vis, & hoc persuades ut beati-
simus, tecumque regnemus. Quis ta-
lia dicentem quæ nec dici possunt nec
cogitari, & ea sine strepitu verborum
dicentem in quodam beatissimi silentii
regno, intus suadentem & sanantem, &
utrumque amore suavissimo efficientem
in amantibus, audire potest cum tædio?

*ψ. 29. Viam iniquitatis amove à
me, & de lege tua miserere mei.*

MISERERE cordis mei, ô Deus
cordis mei. Ecce quod querebatur
servus tuus Job, horribiles transeunt c. 20. 25.

D i v

per cor meum. En patet incurfibus ad-
 verfariorum meorum, quòd Domino
 fuo fidele non extiterit. *Justus es Domi-
 ne, & rectum judicium tuum.* Pati amoris
 tui inimicum, pœna est non amanti.
 Fortes sunt in viâ fuâ; ideo vincunt,
 quia me non inveniunt in viâ tuâ. Se in
 fuo verfari gloriantur, & viam fuam
 tenere jus effe gentium aiunt. Non est,
 Domine, quod respondeam, nisi mife-
 rearis. *Via enim iniquitatis* via illorum
 est, & hanc viam in meipfo reperiunt.
 Pugnant adverfum me defideriis cordis
 mei, & damnat me amor meus.

Væ mihi idipfum amanti ad perni-
 ciam meam quod amant tam crudeles
 inimici, qui nihil aliud volunt quàm
 pœnam meam. Annuo votis perire me
 volentium, & hoc est amor meus &
 cupiditas mea quæ *via est iniquitatis.*

In hac viâ ftabilita est iniquitas; ve-
 ra peccati via, in quâ nihil aliud quam
 peccatur. Si in viam hanc, ambulan-
 tes in eâ *devorantem*, non fponde fed coa-
 ctus incidiffem, infœlix haberer. Quàm
 infœlix ergo qui hanc viam elegerim;
 quàm miser qui amo! Si via tam noxia
 circumfufa effet ambulanti, meipfum
 flere deberem: quod longè gravius est;
 in meipfo est, & gaudeo. Libera me,
 Domine, ab hac viâ quæ dementes red-

SOLILOQUIA. *Retribue.* 69
dit. *Viam iniquitatis amove à me*, ut liberer ab iniquis. Interclude omnes aditus viæ pereuntium, ut intrem in viam salvandorum.

Non aliam norim viam quàm tuam; non aliam quàm teipsum, & in me non habebit ubi pedem ponat adversarius. Huic viæ meæ cum non abrenuntio, intrat in cor meum inimicus, te exeunte: neque enim fieri potest, ut viam ingrediaris quæ tua non sit. Pereat ergo via, quæ excludit sponsum, & dat locum adultero. Pereat via iniquitatis, ut non peream.

Et de lege tua miserere mei. Lex tua secundum quam judicas filios tuos, charitas tua. Prorsus non misereris, nisi amares. Non potest valere causa tot criminum rei, nisi judex amet reum. Sed si amet, cum amor ipsius ipsa justitia sit, non amplius erit reus. Ama ergo & judica. Nam si ames, confido me amaturum, quia frustra non amas. An punires amantem, qui parcis reo? Miserere, Domine, non quia dignus sum, sed ut dignus sim. Indignum me invenies, & dignum facies. Miserere, quia amas: miserere, ut amem. Ob legem misereris, cum misereris ob amorem. Vim habet legis amor tuus, & lex ipsa est, non vetus sed nova; non montis Sinæ, sed

montis Sion. Quid justius hac lege, quæ non tantùm absolvit reos, sed facit justos.

Agnoſce hanc legem, Domine, in cauſâ meâ, & accuſatoris mei injuſtiam non vereor, nec meam; non quia non ſim reus, ſed quia abſolvit. Lege agam adverſus inimicum meum, & lege æternâ, quâ nihil potentius. Hæc mea fiducia eſt. *Jus meum, voluntas judicis mei.* Lex tua, amor meus; de *hac tuâ lege miſerere mei.* Hanc amem, in hac ſperem. Sit ipſa gaudium meum, & ſemper obverſetur ante oculos. Nam quâ fronte rogarem ut hanc legem reſpiceres, quam oblitus ipſe non reſpicerem. De lege ergo tua miſerere mei; & ita miſerere, ut legis ipſius, in quâ tota ſalus mea eſt, non oblivifcar.

ŷ. 30. *Viam veritatis elegi; judicia tua non ſum oblitus.*

MAGNIS, Domine, & multis obſtrinxifti me beneficiis; ſed unum adhuc exigo. Fac me memorem beneficiorum tuorum. Non ſim ingratus. Das omnia: ſed non ſufficit mihi, niſi amem dantem; ut non tantùm donis tuis, ſed teipſo beatus ſim. Recorder coram te, Domine, quid elegerim ut gratias agam.

Viam veritatis elegi. Nunquid ſine veritate? Abſit hoc credam. Sine veritate

SOLILOQUIA. *Retribuere.* 71
 non eligitur via veritatis; nihil certius.
 Mendax & non vera deberet dici electio,
 quæ veritate careret. Quod veritatem
 elegerim, veritati tribuendum, & ejus
 beneficium est. An rem perfectæ liber-
 tatis elegissem non liber? Fieri non po-
 test. Ergo jam veritas liberabat eligen-
 tem. Elegi, sed ut eligerem jam electus
 eram. Tu dixisti, Domine; *Veritas li-* Joan. 8,
berabit vos. Suam libertatem illi debet 32.
 quicumque liberatur. Tu liberaſti ut
 eligerem te, ficque adhuc magis libera-
 rer eligendo liberantem. Ergo cùm aſ-
 ſero *elegiſſe me viam veritatis*, beneficium
 tuum prædico, non meritum meum.

Sed meminerim, Domine, viam ve-
 ritatis elegiſſe me. *Veritas exulum patria* S. Bern.
eſt, ut in eâ aliquando maneamus; ſed
 facta eſt via ut in eâ ambulemus. Qua-
 modò enim ad patriam perveniet tanto
 intervallo diſjunctus, niſi ambulet ut
 perveniat? *Viam veritatis elegi*, ambula-
 turus non diſputaturus. Elegi ut ambu-
 larem ſollicitus, non ut gloriarer ſu-
 perbus.

Sed ut non gloriar, da mihi ut *judicia tua*
non oblivifcar. Terreat me exemplum Angeli
 ſuperbientis, & ideò *in veritate non ſtantis.* Joan.
 44.
 Qui tentat me, erudiat me. Illuc non
 aſcendam ſuperbus, unde cecidit qui
 ſuperbiit. Quid prodeſſet ſuperbo viam

veritatis elegisse, in qua non ambulant nisi humiles? Magnum quidem donum, Domine, dedisti, aperiens mihi oculum fidei quo veritas cerneretur. Sed qui dedisti veritatem, da & humilitatem, ne damnet superbum quæ tantum humiles absolvit. Non elegerim veritatem, nisi ut amarem. Sed quomodo amari potest nisi ab humili? Si superbus sum, meipsum amo. Ergo veritatem me non amare clamat ipsius amor mendacii.

Oderim me, Domine, oderim me, ut amem te. Hoc sit mihi initium sapientiæ. Noverim te, viam veritatis eligendo: sed noverim me, judicia tua non obliuiscendo. Noverim te, ut quæram; noverim me, ut fugiam me. Quod viam novi, veritatis est: ut in eâ curram, beneficium exigo charitatis; ut non cadam, erit humilitatis; ut facile non solvatur funiculus triplex, sed in te manens dicere possim: *Viam veritatis elegi, judicia tua non sum oblitus.* Amen.

ÿ. 31. *Adhæsi testimoniis tuis, Domine, noli me confundere.*

CUM non obliviscor judicia tua, sed humilis sum & mansuetus, *tremens & tremens sermones tuos*, tunc non desero Dominum meum, & *adhæreo testimoniis ejus*, quorum luce vivit anima

SOLILOQUIA. *Retribue.* 73

mea. *Quis me det talem semper habere mentem*, ut nunquam discedam à fonte vitæ, sed adhæream semper testimoniis fidelibus, quorum tanta vis, ut meipsum etiam fidelem præstare possint superatâ perversitate cordis mei?

Tuum hoc donum est, Domine; per te, non discedimus à te; per te, adhæremus tibi. Etiam, Domine, magis ac magis adhæream tibi. Propè est mendacium, propè sit veritas. Non longè sit à me Salvator meus, quia intra me est hostis meus. Nihil se interponat inter verbum tuum & cor meum, sed arctè complectar vitam meam, ne id statim occupet mors quod vitæ vacuum invenerit.

Corpus hominis tuum opus est, Domine, *mirabiles in eo ossium commissurae*; faciles ad motum & firmæ ad robur toti corpori stabilitatem conciliant. Sed si eorum in se invicem mutuâ adhæsione fubeuntium minus arcta sit colligatio, magnus morbus est. Quid hoc est, Domine? Si quid desit perfectissimæ illarum partium societati, multùm timeatur etiam in levi errore: cum verò cor meum ignavè & tam parum constanter ad verbum tuum adhærescat, securus sum. An os ossi magis necessarium quam cordi meo Deus meus?

Non miror jam infirmitatis meæ pon-

74 PIA IN PSAL. CXVIII.

dus , quod nec à me sustineri potest. Non adhæsi testimoniis tuis, Domine, in quibus est robur meum. Defero vitam meam, & morior. Quis ferat conquerentem de tenebris, qui claudit oculos volens? Quis misereatur argentis qui ignem repudiat? Is ipse sum. Calor meus, lux mea, & fortitudo mea in verbis tuis. Cum alio amore obstruuntur aures veritatem audientis, friget, versatur in tenebris, & ignavum est cor meum.

Adhæream testimoniis tuis Domine; & noli me confundere, ut semper adhæream. Nihil timendum adhærenti tibi, quia fortitudo ipsa es: omnia timenda non adhærenti, quia infirmitas ipsa sum. Quid confunderet adhærentem tam forti? quid non confunderet tam infirmum? Adhæream forti, & fortis sum.

Ut non confundar, parce peccanti, & dele peccatum meum. Prohibe peccatum, & peccandi aufer affectum. Peccaturum, & peccandi aufer affectum. Pereat in corde meo quidquid amore noxio amari potest, ne pereat cor meum. Pereat ipse amor qui damno est amanti, ut in eo regnet qui salvat amantem. Tantùm amando confundimur: tantùm confundimur non amando. *Noli me ergo confundere: sed tantam da mihi spiritus tui abundantiam, ut nihil amem, te toto corde amaturus. Amen.*

ψ. 32. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.*

BENEDICTUS Dominus qui omnia potest, & quo adjuvante omnia possumus. Quid nocet infirmum esse, cum tecum fortis sim? Tam infirmus sum, ut stare nequeam: tam fortis, ut curram. Benedictus Dominus etiam in infirmitate meâ, quæ divinæ illius fortitudinis argumentum est. Nisi infirmus essem, non ita constaret quàm fortis esses: & mirabilior misericordia tua, cum etiam currit qui jam moriturus videbatur; ut qui infirmus erat ad vitam, sit fortis ad cursum.

Hoc potest qui omnia potest. Quamquam enim ego ipse curram, & volens curram, cursus tamen iste *non currentis Rom. 9²
est & volentis, sed miserentis & adjuvan- 16.*
tis. Non curro, nisi quia amo. Sed non amarem, nisi amares. Amor tuus, causa mei amoris. Non amo te, nisi quia amas me. Et cum amo te, *charitas tua diffusa est Rom. 5²
in cordibus nostris per spiritum tuum qui datus 5.*
est nobis.

Confitear tibi misericordiam tuam, Domine. *Cucurri, cum dilatasti cor meum. Ambros.
Tu dilatasti, non ego dilatavi. Quomodo August.*
dilatarem cor meum, cum non sit in potestate meâ cor meum? Tuo beneficio amavi te, ut implem quæcumque præ-

ceperas. Omnia mandata tua, Domine, facile implentur cum amaris, quia amore ipso implentur.


Via mandatorum Domini mei amor ejus: non implentur nisi in hac viâ. Nam etsi aliquando impleri videantur à non amantibus, quia extra viam, non ambulant, in eisdem semper hærentes vestigiis. Nunquam se deserunt qui te non amant, & ideo inutilis labor non proficientium.

Non proficiunt qui non ambulant. Non ambulant qui non amant. Laborant quidem ut pereant in exilio suo, sed non ambulant ut salvi perveniant ad patriam ad quam ire amare est, ad quam pervenire perseverantia amoris & præmium.

Ut curram semper in hac viâ, Domine, dilata semper cor meum, quo nihil angustius. Quantum extendi cor & crescere necesse est, quod *capax doctrinæ Patris tui* esse debeat! Nihil veritate tuâ majus. Nihil Evangelio tuo angustius. Crescat cor in quo scribatur Evangelium litteris viventibus atque ipso caractere amoris. Extendatur cor quod veritatis templum esse oporteret. Tu dixisti: *Ad eum veniemus & mansionem apud eum faciemus*. Non maneat Dominus meus nisi in cœlo. Terra ipsa fiet cœlum, si dilataveris cor meum. Extendatur cor, & augetur charitas, ut adoretur veritas.

S. Hilar.

Joann.
24, 23.



ψ. 33. LEGEM pone mihi, Domine,
viam justificationum tuarum: &
exquiram eam semper.



ECCE, Domine, non implevi
legem, & peto legem. Legis
tuæ transgressor, quem lex ipsa
non tantum singulis diebus, sed
horis omnibus arguit, *legem poni* sibi fla-
gitat, quasi oblitus infirmitatis. Sed be-
nedictus sit Dominus meus, quia dono
misericordiae ejus, non postulat superbia,
sed humilitas.

Legem tuam quæro, Domine; non quia
implevi, sed ut impleam. Legem quæ-
ro non judicantem, sed absolventem; non
quæ in corde lapideo vi quâdam inscul-
patur timore pœnæ & quæ sit lex timo-
ris, sed quam scribas ipse *in corde carneo*
delectatione justitiæ, & quæ sit lex amo-
ris. *Cum timore pœnæ opus legis facio*, certum S. Augi
est, Domine, *invitus facio: quod autem in-
vitus facio, si posset fieri, mallet utique non
juberi; ac per hoc legis quam vellem non esse,
non sum amicus, sed potius inimicus.* Ita est,
Domine, *illo legis opere mundari non possum,*
*qui cogitatione ipsâ immundus sum & volun-
tate.*

Libera me, Domine, ab hâc fœditate cordis mei. Non trahat me in viâ tuâ *in-*tus repugnantem carnifex timor, quamquam mallem vel sic trahi, quam hærere in viâ meâ; sed potiùs trahat me gaudentem & festinantem urgens amor. Aptior dux esse non potest quàm amor ipse, cùm ducimur ad amorem. Nil ergo aliud peto à Domino meo quàm ut auferat à me spiritum meum causam mortis meæ, & det mihi spiritum suum vitam meam. Quod utcunque facio, Domine, *per litteram occidentem* cum periculo animæ meæ, hoc potius faciam *per spiritum vivificantem*, & salvabitur anima mea. Non possum vivere non amando; sed non possum amare nisi *ponas* in corde meo *legem amoris*. Si hanc legem jam dedisti, da adhuc amplius; ut amplius vivam; nam plenus morte, admodum sum indigus vitæ.

August.

August.

August.

Fac ut sitiam; & *da sitienti poculum* hoc vitæ & amoris. *Hauriam bibendo*, & adhuc *poscam desiderando*. Tam avidus accurram ad fontem tuum, ut ipsa aviditas haurientis, sit vox & oratio quædam postulantis. Sic *legem pone*, & *exquiram eam semper*. Hanc enim nisi prior dederis, nemo exquiret. Hanc non amat qui non habet. Nunquam desit, & semper quaeritur.

S. Hilar.

Sed cùm viæ etiam publicæ quædam

Lex & mensura sit, ut neque ad dexteram neque ad sinistram jus sit transeundi, quanta mihi necessitas est legis tuæ in viâ tuâ? Accipienti ergo legem charitatis, nihil securum videatur quam sequi legem voluntatis Domini mei. Ut seruari possit lex amoris tui, sit mihi alia lex quodcumque volueris. Hanc tantum eligam viam quam elegeris, ut justus sim. Ipsa hæc *via justificationum tuarum* sit lex amantis. Nulla certius ducet ad amorem Domini mei. Quod tibi placet, mihi placeat, & amo te; cum amor ipse *in studiorum & voluntatis conformitate* consistat.

ψ. 34. *Da mihi intellectum & scrutabor legem tuam; & custodiam illam in toto corde meo.*

VOx cæci & amantis; *Da mihi intellectum.* Nonne intellectus oculus est animæ meæ, quo cernuntur quæcunque cernit? Quomodo ergo non cæcus sum, qui ipso indigeo intellectu. Ita est, Domine. Valet corpus acumine oculorū; sed cor cæcum est, quia peccato corruptum est: lumen verum amisimus, & ipsum non est mecum. *Da mihi ergo intellectum, & redde oculos cordi meo, ut videam te.* Aliud videndo, lumen amissum. Tan-

80 PIA IN PSAL. CXVIII.

tum ergo te videam, Domine, ut videam.

Ephef.
18.

Da mihi oculos illuminatos cordis, qui claudantur mundo, & tantum aperiantur Domino meo.

In versiculo
preced.

Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam. Hoc antea postulaveram ut exquire-
rem eam semper. Non dares intellectum, nisi exquirerem; nec rectè exquirerem, nisi scrutarer. Da mihi ergo spiritum intel-

S. Hilar.

ligendi, ut videam; sed da etiam studium scrutandi, ut frustra non videam. Tamdiu

August.
Theodo.

scruter, donec te inveniam. Fodiam usque ad petram, quia tu petra es. Nullâ aliâ quamvis rerum non vulgarium scientiâ contentus sim.

Quid mihi prodesset omnem rerum naturam mente complecti, & scire quidquid in lege est doctrinæ reconditoris, te nescienti? Cùm solus possideris, ditiores sumus: cùm solus sciris, doctiores. Et ut paupertatis est aliud possidere, ita imperitiæ est aliud scire.

Sine lege
non per-
venitur
ad Chri-
stum.
Ambros.
S. Hilar.

Hoc voluisti, ut sine lege non invenireris. In eâ absconditur thesaurus meus. Intus veritas. Finis es legis, Domine. In fine ergo legis, non in principio acquiescam. Non quæram umbras abscondentes, sed lucem quæ absconditur. Hic, sit scrutationis fructus, ut custodiam illam in toto corde meo. Væ enim scrutanti, & non amanti. Ut tota cogitatio vacare debet contemplationi.

SOLILOQUIA. Legem. 81

ita & totum cor amori. Scruter legem ut August.
custodiam. Intensissimâ mente scrutanda
est, sed ut ferventissimo amore custodia-
tur. Oculi scrutationi, & ipsa scrutatio
amori inserviat.

Hoc pollicitus sum, Domine, cum di- Idem.
xi: *Et custodiam illam in toto corde meo*. Nec
alium quæro intellectum, quàm ut ame-
ris & lauderis. O sanum intellectum &
felicem, qui charitate evehitur, & humi-
litate stabilitur. Da mihi, Domine, intel-
lectum hunc quem optabat populo tuo
Moyse servus tuus: *Hæc est vestra sapien-* Deu. 4 6.
tia & intellectus coram populis, ut audientes
universi præcepta hæc, dicant: En populus sa-
piens; nec est alia natio tam grandis.

Da mihi intellectum laudantem te, &
quo lauderis. Miserere tot fidelium tuo-
rum solo nomine fidelium, tam miserè
& apertè pereuntium, Cùm nihil aliud
præstare possimus, convertamur saltem,
ut convertantur. Hæc sit nostra sapien-
tia, hic intellectus, ut amemus te & fra-
res nostros. Amen.

ψ. 35. *Deduc me in semitam manda-*
torum tuorum; quia ipsam volui.

Hoc tibi pollicitus sum, Domine,
ut *custodirem legem tuam in toto corde*
meo. Adjuvisti ut pollicerer: adjuva ut

82 P I A I N P S A L. CXVIII.

impleam. Si nec possum sine te promittere, an sine te possem implere quod promisi? Opus est gratiâ tuâ & promittenti & implenti. *Deduc me ergo in semitam mandatorum tuorum. Non sufficit mihi voluntas mea*, nisi adjuves volentem, quemadmodum antea adjuvisti ut vellem. **Nisi deducas ambulans, non ambulabo. Nisi sequar præeuntem, non deduces.**

August.

Ambros.

Sed non sequar portantem crucem, quam ipse portare noluerit. Amem ergo crucem tuam, ut amem te. Quàm periculosum est odium crucis! Cùm non amatur, non amaris: & quod pejus exitium, aut quæ poena acerbior & magis fugienda est, quàm non amare Dominum meum? Nulla est salus non sequenti te; sed ut sequamur, portanda crux; ut portetur, amanda est.

Da nobis ergo amorem crucis, qui si desit, periculum est ne non diu amemus veritatem quæ crucifixa est. Et hæc *semita* est in quam me deduci postulo. Lata via arridet carni: ad hanc semper paratus sum, nec indigeo deducente, & multi sunt inimici, qui vel spontè currentem acriter impellant ad promptius exitium, odio impatientes. Illos repelle, Domine, vi ipsâ crucis quam non portandam esse persuadere volunt, & deduc me in viam arctam, quæ currenti lata erit & quæ te

deducente etiam jucunda est.

Deduc me in semitam mandatorum tuorum.
 Deduc me, Domine, non tantum exemplo & præcepto, sed verbo illo tuo efficaci quod nunquam revertitur ad te vacuum, quodque fortitudo est, & salus audientis. Mandata tua quæro, quæ salvant quærentem Omnia quæcumque præcipis & quæcumque polliceris, in viâ illâ arctâ Evangelii tui reperiam; quæ ideò mandatorum semita est. Sed nonne, Domine, vel sola humilitas via est mandatorum tuorum, quæ nunquam nisi humilitate implentur? Hanc da, & curro in viâ salutaris; nihil est enim quod humilem remoretur. Fac me humilem, & *deduces me in semitam mandatorum tuorum, quia ipsam volui.*

Hanc si noluerim, & reliqua nolo. Cur me ipsum decipio, Domine? Si non voluerò humiliari, non deducis me. Superbus tam humili placere non potest. Amem ergo humilitatem, ut cum viam ipsam & ducem viæ amaverò, tum *me deducas* tecum currentem, & sine te cadentem. Deduc me in viam hanc omnis æquitatis, *in quâ Abel cucurrit, & Enoch placuit*; in quâ omnes justis expectant ambulaturos & favent ambulatibus. Deduc nos, ut *sis justus noster, & princeps justitiæ nostræ, cui gloria &c.*

S. Hilari

Isaia.

S. Hilari

ÿ. 36. *Inclina cor meum in testimonia tua, & non in avaritiam.*

QUID tam meum quàm cor meum, Domine? Ecce tamen *non est in potestate meâ cor meum.* Quod tam nostrum est, amittendo te, amisimus. Cor meum est, quia sui juris & liberum: non meum est, quia si non liberaveris, servit; & quod pessimæ servitutis genus est, servit inimicis.

S. Ambr.
à S. August. citat.

Ecce, Domine, *in conspectu meo vitam & mortem posuisti ut eligerem.* Et ut minus errari possit in eligendo, unâ ex parte vita æterna proponitur plena omnibus bonis, ex alterâ mors æterna plena omnibus malis. En summum bonum coram me, & summum malum. Quod magis amavero, meum erit. Nemo vim facit eligenti. Tâ sum liber, ut nemo cogere possit; quomodo enim aliquid amarem invitus?

Sed quid mihi prodest, Domine, amorem meum naturâ liberum esse, qui spontè & vitio suo inclinatur ad servitutem. Miserere cordis mei, Domine, sine te electuri mortem æternam. Ne relin-
quas sibi, Domine, cor statim periturum, & quod insanix simillimum est, periturum volens. Nisi inclines, amabit quod non amandum est. En festinat ad miseriam;

riam ; & si non subvenis , ipso suo amore rapitur ad exitium suum.

Inclina cor meum, Deus. Tu Deus cordis; notum est tibi opus tuum. Tam mirabili conversione vertis illud , ut seipsum vertat. Nihil magis vult quàm quod facis ut velit. Nollem, nisi *in me operareris & velles* & ipse sum qui volo. Non tantùm amorem infundendo libertati non nocet, sed ipso hoc amore liberum facis.

Tu ergo, Domine , *qui humanorum* Augusti *cordium quo placet inclinandorum omnipoten-* sape. *tissimam habes potestatem , inclina cor meum, Deus, in testimonia tua. Verba vite eterna habes. Da aures audiendi.* Illuc rapiatur cor meum, ut reliqua omnia pio contemptu fastidiendo, adhuc magis rapiatur. Nulli alteri rei vacare velit , ut vacet tibi , & totum suo bono impleatur.

Inclina cor meum, Deus, quod ita inclinare non posses nisi Deus esses. *Inclina in testimonia tua,* in quibus hauriamus vitam æternam, & non in avaritiam , *qua radix est omnium malorum* , germinans mortem. Deum meum eligam , quod verba tua hortantur. Quodcumque bonum esse suadet avaritia , mihi malum esse videatur : nec unquam acquiescam sceleratissimæ dementiæ. Da ut contempnam quod miratur , & fugiam quod appetit.

Sit mihi avaritia non contentum esse

Deo meo: & nobis dementiæ & furorî
simillimum appareat, in ipso fonte bono-
rum omnium sitire lutum quo inquina-
mur. Cùm se offert vita volentibus, non
quæram mortem. Convertite cor ad vitam,
Domine, quod ad mortem convertitur,

Aug. hic. *Inclina cor meum Deus. , Cùm peto inclinari
cor, peto ut velim; nec peterem nisi vellem.
Volo ergo, & peto ut velim; ut voluntate ipsâ
quam largiris, magis ac magis proficiam
in testimoniis tuis.*

ÿ. 37. *Averte oculos meos ne videant
vanitatem; in viâ tuâ vivifica me,*

NON sufficit, Domine, inclinari
cor in testimonia tua, nisi avertas
oculos à vanitate meâ. Cùm enim oculos
inter & cor ipsum tam arcta necessitudo
intercedat, oculis sive corporis sive ani-
mi in vanitate defixis, cor ipsum à veri-
tate avellitur: cùm id quod libenter vi-
detur aut cogitatur, tandem amari ne-
cesse sit; quemadmodum ea quæ aman-
tur, prohiberi non possunt quin cogiten-
tur. Serva tibi, Domine, voluntatem
meam ad amandum, & mentem ad co-
gitandum. Cur vanitate rerum caduca-
rum à pulcherrimo & necessario verita-
tis spectaculo avertimur? Cur amore
mundi tam noxio, ab amore tuo tam

S O L I L O Q U I A. *Legem.* 87

utili impedimur? Inclina cor non amaturum te, nisi inclines. Averte oculos ad exitium suum properantes, nisi avertas.

Quid possum, Domine, non adjutus à te; cum ea ipsa quæ magis posse videor, non possim sine te? *Cùm ergo rogaris ut ea* Amb. in Pfal. 118, *quæ videbantur esse in nostrâ potestate, nobis à te concedantur, quid nisi tua gratia commendatur? Quid potest, qui oculum avertere non potest? Averte igitur oculos meos, ne quod oculus viderit, animus concupiscat. Quàm erubescendum, cum tu in carne tuâ omnes mundi hujus crucifixeris vanitates ne membris nocerent infirmioribus, iis me adhuc tentari; & vanitati captivanti consentire potius ad exitium, quam veritati liberanti ad salutem!*

Averte oculos meos. Nocent mihi, quia mei sunt; & nihil prodesse potest quod non sit tuum. Claudantur oculi, quos nocet aperiri: & illi aperiantur, quos nocet claudi. Non videam, Domine, quod cum videtur, occidit incautum; ut hoc videam quod salvat videntem, & quod videre felicitas est. *Averte oculos meos ne videant vanitatem.*

In viâ tuâ vivifica me. Cùm à te absum, morior: jungar tibi, ut vivam. Recedente vitâ, necessaria mors. Vivifica, Domine, aut mortuum, aut statim moriturum, si differres. Sed ut non deludar

falsâ vitæ imagine, in viâ tuâ vivifica me. Hoc est, tu ipse vivifica. Nam si ab alio vitam expectem, periculosius morior.

Fugiendum quidem semper mendaciû; sed nunquam acerbius aut magis noxium videri potest, quam cùm vita ipsa mentitur. Ergo *in viâ tuâ vivifica me.* Non tantùm veritas, sed & via factus es. Jam liberat veritas in errore positos; quia in viam conversa est ut conveniret infirmis. Jam via tuta est, quæ non tantùm vera, sed veritas est. Libera me, Domine, ab omnibus viis quæ veritati non consentiunt, & in quibus non inveniris. Viæ quæ sunt sine te, tibi consentire non possunt. Nulla via salvare potest, in quâ veritas ipsa non salvat. Ergo ut vivam, *in viâ tuâ vivifica me. Amen,*

ÿ. 38. *Statue servo tuo eloquium tuum, in timore tuo.*

QUIA vanitas ingerit se aliquando etiam nolentibus, qui mox id volunt quod antea inviti patiebantur, meritò auxilium timoris tui Propheta implorat, quo tutus sit adversus vanitatem impugnantem quam excludat, & quo intimius admittat veritatem tuentem se quâ liberetur. *Statue servo tuo eloquium tuum in timore tuo,*

S O L I L O Q U I A. *Legem.* 89

Non optat augeri sibi scientiam, nisi augeatur timor; ne jungatur vanitati, quam castus timor non junxerit charitati. Ergo, Domine, nec illis prodest verbum qui non timent te, imò & multùm nocet, cum audiant & contemnant: contemneris enim, cùm non timeris. Quomodo non timens loquentem, implebo verbum loquentis?

Timeam te, Domine, ut amem. Ut amem securior, timeam damnum amotis; & ipsum augeat amorem timor. Da mihi spiritum timoris tui, & casti & facientis castos, quo timeamus multùm ne illi displiceamus quem amamus. *Timeam* August.
te, non sicut adultera, quæ timet virum suum ne veniat; sed sicut casta, quæ timet ne deserat.

Statue servo tuo eloquium tuum. Firmas jaciatur radices verbum veritatis in corde timentis. *Statutum, in quibus immobile est.* Constantem reddat timor, & non nutantem obedientiam, perspectâ ejus magnitudine cui obeditur. Multa sunt, Domine, quæ nos revocant à mandatis tuis: ipsa levitas animi seipsum non sustinentis, carnis ac sensuum incitatio in contrariam partem, & cordis deceptio semper amantis, sed malè amantis.

Adversus tantas ægritudines animæ, *meæ statue servo tuo eloquium tuum in timore tuo.* Lux verborum tuorum & veritatis

splendor, rapiat cor ad amandum. Quid melius amaretur quàm id quod facit bonos, cum reddit liberos. Amet veritatem cor quod non amare non potest; & beatum sit, naturæ suæ jam consentiens, & diligens. Caro non novit amoris tui præstantiam; sed coërceat eam utilis timor; & quod tantùm potest, patiendo, illa amori inferviat. Quod vero aptius remedium levitati sensuum in omnem partem errantium, quàm pondus timoris non errantis, cum semper circa id volvatur quod metuitur?

Statue servo tuo eloquium tuum. Si time-rem te, Domine, non ita errarent fluxæ cogitationes in conspectu tuo; sed ipsâ gravitate timoris modestiam imperantis, continerentur in officio, & silerent. Sed fortè Propheta charitatis non de se tantùm cogitabat, cum oraret te oratione hæc; sed populo Christiano, hæreditatem hanc veritatis quâ fruimur, transmitti precabatur. *Statue servo tuo populo christiano eloquium tuum.* Nobis jam tuam veritatem optabat ut viveremus, & timorem ne moreremur. Ecce nihil deest voto Prophetæ nobis veritatis amorem optantis ad felicitatem, & timorem non minus optantis ad securitatem.

Hieron.

ψ. 39. *Amputa opprobrium meum quod suspicatus sum; quia judicia tua jucunda.*

REVERA peccatum timet Propheta tuus, qui hoc unum opprobrium arbitratur, peccare tibi, & tam bono displicere Domino, nihil aliud à nobis exigenti quàm ut esse beati velimus. Quemadmodum enim pulcherrimæ mulieri opprobrium longè maximum videretur, si cum antea reginæ similis esset & simili cultu ornaretur, omnis ejus pulchritudo in deformitatem subito mutaretur, ita ut ad formam simiæ aut suis accederet, & vili veste ac inhonestæ ancillæ uteretur: ita & mihi idem propemodum contingeret, si vitâ sensuum magis quam fidei viverem.

Numquid enim me, Domine, non feceras ad imaginem & similitudinem tuam, quæ peccato magnâ ex parte amissa est, & inducta velut forma quædam exterior belluarum, cum non tam rationis judicio quam affectuum impetu nitimur? Cur ergo non erubescimus; nisi quia nec nobis perspecta est pulchritudo quam amisimus, nec deformitas quâ corrumpimur? Nec novi te, Domine, nec novi me. Hinc pecco sæpissimè, & non erubesco. Sed sanctis tuis, peccati foeditatem tantò

magis intelligentibus, quanto minus ipsi peccant, nullum majus videtur esse opprobrium hoc maximo peccati opprobrio. Hinc nullum illis peccatum leve est quo offenderis; & sæpe etiam, cum non admissum est, admissum esse suspicantur; quod eorum judicium quo anguntur, non tam rationis est quam timoris. Malus quidem rerum interpret hic timor, qui ipsam peccati proximitate deceptus, peccatum esse interdum ferè renuntiat; sed signum est non dubium amoris tui, qui ipsam peccati cujuscumque similitudine offenditur. Ut enim qui te non amant, etiam in manifestis apertissimisque peccatis suspicantur sæpe nihil esse peccati, & rationis humanæ lethalibus conjecturis innocentiam mentiuntur, quasi eam disputando assequi possent quam vivendo noluerunt: ita & qui te amant, sæpe suspicantur se peccato obstrictos à quo liberi sunt, quod ea facile suspicamur accidisse, quæ magis timemus ne accidant. Tuncque non placet quidem quod falluntur, sed magnopere placet quod amant. Quin non amore tantum, sed ipso illo eorum timore delectaris; quia timor est amoris.

Væ mihi, Domine. Pro peccatis de quibus tantum dubitat Propheta, anxius orat: ego verò in certis magnisque pec-

S O L I L O Q U I A. *Legem.* 93
catis securior, non oro te ut miserearis.
*Amputa opprobrium meum quod suspicatus
sum; quia judicia tua jucunda.* O beatum
Prophetam, qui non pusillanimitate qua-
dam animi, aut scrupulorum anxietate,
sed magnitudine amoris suspicabatur ne
peccasset: hoc enim ipse confitetur, quia
tantum amanti judicia tua jucunda sunt.
Si ideò suspicatus est quia judicia tua illi
jucunda erant, ex eo facile concluditur
ab amore tantum adductum esse ad sus-
picandum.

¶. 40. *Ecce concupiui mandata tua;
in aequitate tua vivifica me.*

REM utilissimam exemplo suo nos
docet Propheta. Hanc tu ipse doce
nos, Domine, ut non obliviscamur. Et-
si enim laudabile sit, vel peccata quæ
dubia sunt timere & suspicari, non ta-
men nimis diu in hac eorum cogitatione
hæreere oportet, quâ facile turbaremur.
Sed tota cordis intentio ad amorem con-
verti debet quo inardescat; *Ecce concupi-
vi mandata tua.*

Nonne primum mandatum est amor,
qui etiam in omnibus aliis commenda-
tur? Sed etsi in aliis mandatis, velut a-
nima in corpore, non includeretur; hæc ip-
sa concupiscere amantis est. Rectè ergo ne

94 PIA IN PSAL. CXVIII.

hac suspicandi anxietate aut scrupulorum molestiâ, pacem cordis amitteret in quâ tu amittereris, abjectâ peccatorum & mortis cogitatione, ad amorem melius & vitam convertitur. Aliquando timendum ne peccaverimus, aut quia peccavimus; sed semper amandum est, aut saltem ut amemus hoc votis omnibus optandum est. Etsi enim peccaverimus revera, nihil nocebit amantibus, quia peccatum amore aboletur. Quamvis autem constaret non fuisse peccatum, non propterea essemus feliciores nisi amaremus; quia nihil prodest non amanti te.

Utinam, Domine, relinquere nos ipsos possimus, ut inveniamus te! Quid proderit tam sollicitè videri nos, & odore tam gravi peccatorum nostrorum assidue caput tentari? Avertamus oculos à fœdo & tristi spectaculo, quod nimium intuenti non leve periculum afferre potest. Non obliviscamur quidem malum nostrum, quod valeret ad superbiam: sed nec obliviscamur bonum nostrum quod tu es, quod valet ad fiduciam & amoris incrementum quo beati sumus.

August. *Ecce concupivi mandata tua; in equitate tuâ vivifica me. Non in meâ, sed in tuâ... Hoc est istâ charitate quam concupivi, imple me. Adjuva me ut faciam quod commendas: dona*

ipse quod mandas. O incredibilem misericordiam tuam! Ipsa justitia Domini mei vita mea est. Cùm mihi spiritus meus mortis author extiterit, largiris spiritum tuum qui mihi sit author vitæ. Vivo, quod magnum est beneficium evadenti mortem æternam; sed quod adhuc beneficium majus est, de te vivo. Non id quod vivit, sed vita ipsa vita est morientium. Morte tuâ mortem nostram evasimus, & spiritu tuo ipsi vivimus. Non jam sanguine victimarum, sed spiritu Dei, homines Deo junguntur. Amamus & amamus; & amor noster, quamvis hominis sit quia datus est homini, reverà tamen divinus est.

Etiam, Domine; *in equitate tuâ vivifica me*, ut vivam. Nam verè si mea esset, falsa esset; & falsam vitam pareret infœlici abortu, nec duraturam. Jam ut spero, Domine, vivificasti, quia concupivi mandata tua; sed adhuc vivifica. Nam si cessares vivificare, cessarem vivere & justus esse.



Ps. 41. Et veniat super me misericordia tua, Domine; salutare tuum secundum eloquium tuum.

August. **Q**UID à te hic poscit, nisi ut mandata quæ concupivit per tuam misericordiam, faciat? Exponit enim quodammodo quid dixerit, In tuâ justitiâ vivifica me, cum subjungit: *Et veniat super me misericordia tua.* Ut ergo justitiæ tuæ participes redderemur, non illud opus justitiæ fuit, sed misericordiæ. Ad justitiam quidem, sed misericordiâ deducente pervenimus. Ut punias nos, habes à nobis: ut miserearis, habes à te. Ideò venit super nos misericordia tua, quia venit aliundè, ut ejus causam in nobis invenire non possimus.

Si enim hoc justum esset ut liberares nos, & salus nostra meritis quibusdam antecedentibus deberetur, non veniret super nos hæc liberantis misericordia; sed quodammodo nasceretur ex nobis, si ejus causas liberanti afferremus, sive ex justâ excusatione peccati, sive ex aliis meritis nostris repeterentur. Sed cum in nobis nihil justum invenias, non quid mereamur spectas, sed quid ipse meritis sine periremus. Unde misericordiam non apud reos inventam, sed in sinu ipso judicis natam, ita aliundè adducis, ut uni-

cuique nostrum exclamandum sit : *Et veniat super me misericordia tua.*

Cur igitur hæreo in me à quo non est salus? Illuc festinem , illuc tota rapiatur intentio , undè salvamur. Deferamus reum , cum quo tantum rei sumus ; & *adeamus ad thronum misericordiae* iudicis nostri , quem cum invenimus , iusti sumus & non amplius rei.

Veniat ad me misericordia tua, Domine , quia ipse ad eam ire non possum. Nisi enim apprehendat manu, non fugitur; & quidquid deserit , motu omni caret , & mortuum est. *Veniat super me*, quia supra me est; & non tantum meritum meum, sed omnem quoque cogitationem meam superat. *Veniat super me, Domine* , quia in eo maxime te Dominum cognoscimus, cum salvamur. Parum est te dominari creaturis ad nutum servientibus; dominaris & liberis , ut liberæ sint. Dominaris ipsi libertati, nec suo nomine digna est, nisi cum dominaris.

Admirabile hoc domini genus , in quo ita facis ex nolentibus volentes , ut ipsi hoc magis velint quod tecum volunt. O Domine , salva me , & dominare in medio inimicorum tuorum , non eripiendo me ab inimicis occidentibus corpus , sed ab inimicis occidentibus animam , & à me ipso , quia ipse sum ejus homicida.

Hieron.

Salutare tuum secundum eloquium tuum.

Quod precor ut facias, te facturum promissisti? Nonne hoc salutare eloquium, cum ipse dicis; nolo mortem peccatoris: Non fiat, Domine, quod fieri non vis. Jussisti ne moremur. Hoc jam petimus, ne moriamur. Ecce votum orantis consentit voluntati imperantis. Et hoc ipsum debeo misericordiae salvantis. Cum salus nostra verbi tui opus sit, hoc æquissimum, conformari nos verbo; ne si ab eo discedamus, pereamus.

ψ. 42. Et respondebo exprobrantibus mihi verbum; quia speravi in sermonibus tuis.

FA C I L I S responsio quæ verbo constat, & foelix quæ absolvit reum. Qui plura non respondet, vincit accusantem adversarium. Qui plura vult respondere, multum laborat, & nihil proficit. Verbo tuo vincimus, Domine, & verbis nostris vincimur. Nihil addam igitur verbo tam efficaci. Mendax est qui accusat; sed non minus mendax qui accusatur. Non acquiescam ergo accusanti, nec respondeam verbis meis. In nomine tuo, Domine, respondeam, non in meo, ut falsitatem veritate confutem. Non respondeam quod meum est, ne similiter

S O L I L O Q U I A. *Legem.* 99

sim mendax, & veritati damnanti me inimicus. Damnas defendentem; defendis accusantem. Quis mihi det ut me ipsum accusem, ne tuo patrocinio indignus sim? Liberabis me non fugientem te, sed fugientem ad te.

En coram Domino meo respondeo adversario meo; habes confitentem reum. *Peccavi in cœlum: sed benedictus Dominus Jesus qui venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum.* Nihil possum, sed omnia potest. Non sum dignus salvari, sed dignus est salvare vel indignum. Sed ne indignum causeris, salvando efficiet dignum. Hæc gloria Domini mei, & nolo aliam.

O Domine, ita semper respondeam exprobranti. Verbo tuo confunditur, & vim ejus infinitam reformidat. Gauderet in defensione meâ, si excusarem excusationes in peccatis. Hoc respondeam quo torquetur. Confitenti iniquitatem meam & misericordiam tuam, non erit quod exprobret. *Nihil enim potest adversus veritatem qui tantum regnat in mendacio, & ideò nihil est regnum ejus.* Si damnavero peccatum meum quod verus Judex damnat, consentio Judici meo; atque ita non sum obnoxius accusatori meo. Responsio vera & humilis vincit adversarium mendacem & superbum. Sic respondebo expro-

brantibus mihi verbum, perditæ causæ defensionem non suscipiens, sed ultro accusator accedens; non sperans in me qui occidi me, sed sperans in Domino meo qui vivificat me, & mortuus est pro me.

Etiam, Domine, vince superbiam meam; ut nunquam sperem in verbis meis, sed in silentio spiritus tui in quo audiuntur sermones tui. Non loquar, ut loquaris. Loquente me, taces: tacente me, loqueris. Taceam, Domine, ut non taceas. Silentio meo tueri me possum, verbis meis non possum, quia sunt arma adversariorum meorum in quibus sperant.

Væ mihi si in verbis meis sperem aut glorier, in quibus gloriatur adversarius meus. Spes illius fit timor meus. Indè confundar undè superbit. Etiam, Domine, displiceam mihi in verbis meis, ut cantans in corde meo, & offerens tibi hymnum & gloriam silentii tui, verè *sperem in sermonibus tuis*, quia meis pereor, tuis vivo.

Ÿ. 43. *Et ne auferas de ore meo verbum veritatis usquequaque; quia in iudiciis tuis supersperavi.*

DOMINE, cum respondeo *exprobrantibus mihi verbum*, fortis sum, quia mecum es, & *veritatis tue scuto* protegor adversus impugnantes inimicos. Sed si

SOLILOQUIA. *Legem.* TOT
me defereres & verbum veritatis in quâ
fiducia & omnis fortitudo certantis est,
ab ore meo auferretur, non responderem
jam exprobrantibus, sed ipsi insultarent
succumbenti, & vincerer mendacio meo
in quo omne eorum robur consistit. Ipsi
à nobis repetunt unde vincamur. Nec
vinci possumus si nitamur veritate; nec
vincere, si soli pugnemus & nitamur
mendacio. Ergo, Domine, ne deficiam
& vincar, *ne auferas de ore meo verbum
veritatis usquequaque.* Si enim auferatur
ab ore, statim auferetur & à corde.

Si sapere velim quæ sunt veritatis,
liberè loquenda est; ne *os quod mentitur* ^{Sap̃}
occidat animam. Quid enim æquius esse ^{I, 111}
potest quam ut se subtrahat à corde sub-
trahentis illi linguam suam? Ut igitur
in corde regnet, regnet etiam in ore; ut
nullus morbi aditus relinquatur nobis,
nil aliud quam veritatem cogitantibus,
& nil aliud loquentibus. Quamdiu verò
mihi lux veritatis oboritur quæ illumi- ^{Ambros.}
nat tenebras meas, ita gaudeam ad lu-
cem hanc gratias agendo, ut tempus nu-
bilosum & noctem hyemis secuturæ
præcaveam sæpius orando: *ne auferas à
me verbum veritatis usquequaque;* ut si ali-
quando veluti subtrahi necesse est ne su-
perbiam, non tamen penitus subtrahatur
ut vivam. Etiam cum tollitur delectatio

veritatis , servetur fructus. Etsi sensus vitæ interdum adimitur ut timeam, *vi-*ta tamen ipsa non adimatur ne peream.

August. Ecce, Domine , quia *non aufers verbum veritatis usquequaque ab ore & à corde servorum tuorum*, etiam illi *qui defecerunt ad horam te negando*, *pœnitendo postea revixerunt. Nec omnino ex ore Petri in quo typus erat Ecclesie tuae*, *verbum veritatis ablatum est*, qui etsi *ad horam negavit timore turbatus*, *tamen flendo est reparatus*, & *postea coronatus*. Quia non aufers verbum veritatis, ecce *sancti & humiles corde de te præsumendo in persecutionibus non defecerunt*. Et quia idem verbum veritatis non aufers usquequaque , etiam cum aufers , ecce *etiam qui de se præsumendo defecerunt*, & *tamen ad ipsum corpus pertinuerunt*, *sibi innotescendo fleverunt*, & *tuam gratiam solidius invenerunt*. Noli ergo deserere tuos ; aut si deseris , fac ut magis inveniaris , & in æternum non amittaris.

Quia in judiciis tuis supersperavi. Hæc spes mea, Domine ; quia iudex es causæ meæ. Si alius iudicaret , perieram. Sed hoc ad foelicitatem meam , ut iudicet qui absolvit. Ecce advocatus meus , ipse est iudex meus. Qui tantum me amavit ut daret mihi vitam suam, qui tantum amat ut faciendo cohæredem vocet me ad hæreditatem suam , ille ipse est qui

judicat causam meam. Quis non in tali
judicio supersperaret?

¶. 44. *Et custodiam legem tuam semper; in sæculum & in sæculum sæculi.*

N O N dubitat Propheta de salute,
si auxiliaris. Nil enim infirmitate
ipsâ potentius esse potest, quam adjuvat
qui omnipotens est. *Si ergo non abstuleris
ex ore meo verbum veritatis usquequaque, custo-
diam legem tuam semper.* Ideo enim veritas
cognoscenda proponitur, ut custodienda
diligatur. Væ illam cognoscenti, & non
diligenti, neque fervanti, quamquam
illa cognosci dici non potest, cum non
diligitur. Si enim verè cognosceretur, mi-
rabilem sui amorem excitaret; cum nihil
eâ pulchrius esse possit. Non tantùm non
cognoscitur, cùm non amatur; sed in-
fœlix etiam est ejus scientia, qui eam
ad tempus tantùm amat non semper a-
maturus.

Domine, da mihi hanc Prophetæ
tui fiduciam, ut & ipse dicere possim;
custodiam legem tuam semper. Fides mea
nullo tempore concludatur, ut non fit
fides temporum. Sequatur illa Evange-
lium quod æternum est, & nunquam
excidat, donec ab hac legis umbrâ *ad my-* Hilat.
sterium vera & aterna legis ascendens, non

amplius credam quod videbitur : quamquam & tunc legem custodiam , cum perfectius custodietur ; nisi fortè dici potest deesse lex in ipsâ legis plenitudine. Nihil certè deest legi , cum nihil deest charitati. Nonne & hic , Domine , ubi & aliæ leges fuerunt necessariae ob infirmitatem parvulorum , hanc maximè legem commendas , quæ si impleatur sufficere possit , & cujus si desit observatio , aut non implentur aliæ , aut frustra implentur ; nam quidquid fecero sine charitate , nihil mihi prodest. *Revera custodimus legem tuam in sæculum & in sæculum sæculi* , etiam cum aliæ leges non custodientur. Lex enim quæ tua dici digna est , lex est amoris. Aliæ quamvis sanctæ , magis hominum leges quam tuæ dici possunt , quod in iis sapienter instituentis , infirmitatis nostræ magis rationem habuisti quàm potentia tuæ.

Sed lex charitatis verè tua est. Quid enim magis tuum , quàm quod tu es ? In aliis legibus , velut cunabula infantia & fasciæ parvulorum , quibus tenera & recentia abortu membra continerentur ; sed lex ista quam custodiemus in sæculum sæculi , lex adultorum est & tecum jam regnantium. Lex digna regno æterno , & ipsa regnum illud est quod expectamus. Nam si miserearis nostri , & ipsi foelicitate

S O L I L O Q U I A. *Legem.* 109
sem nostram non prodamus, ideo regnabimus, quia perfectè amabimus. Non semper jejunabitur, & idcirco jejunii lex temporalis est; sed semper amabitur, & idcirco lex charitatis æterna est, quæ custodietur in sæculum sæculi. Quàm suave erit illud regnum, Domine, & quàm amandum, cum amando regnabitur, & cum regnabit amor, ut nil aliud sit regnum tam fœlix & beatum quàm regnum amoris!

*ÿ. 45. Et ambulabam in latitudine;
quia mandata tua exquisivi.*

NON tantùm, Domine, charitas tua præcipua lex; sed & cæterarum ipsa adjutrix est, & earum jucunda adimpletio. Carere quidem potest reliquis, quia sufficit tibi cum amaris. Quomodò enim deesse posset aliis legibus, cum ipsa sit voluntas implendarum, ideòque, cum eas non implet, non vitium ejus est, sed necessariorum defectus instrumentorum quibus amor non impeditur, impedito tantùm amoris effectù; unde non minùs placet, cum ferè nil potest, quia non tam eâ re quam amor præstare potest, quàm amore ipso, delectaris. Placet tibi opus ipsum amoris, quia amas ipse & amaris. Non id ergo ab opere ipso repeti debet, sed ab amore, qui tibi non placere non

106 PIA IN PSAL. CXVIII.

potest in omnibus iis quæ sunt amoris.

Quomodò ergo non ambularet in latitudine qui amat, & multùm amat; cùm in quibuscumque rerum angustiis, quas propter te patiendo delectatur, ipsa deesse non possit latitudo charitatis? Sufficis tu amanti te vel eo tempore quo reliqua omnia deesse videbuntur; aut potius nihil deest, cùm non deest amor quo possideris. Sed tibi etiam, Domine, qui charitas es, sufficit amor tuorum, cùm nullâ re indigeas, & in eo te invenis quod Omnipotenti sufficit, qui seipso beatus est. Quanta ergo ex utraque parte latitudo est; cum Deo latum sit cor amantis vel quando omnia desunt, & in quâlibet fornace paupertatis abundet Deus pauperi, ipsâque paupertate amor augeatur, in quo beatitudo est amantium quâ nihil amplius ne quidem fingi potest!

Certum hoc, Domine: via tua lata est amanti; & semper in latitudine ambularemus, si semper amaremus; cùm ipsæ paupertatis angustiae vertantur in latitudinem charitatis. Nihil latum non amanti; cùm ipsi Reges vel qui latius imperant, finium suorum angustias ferre non possint quibus urgetur magna alias terras possidendi cupiditas. Nihil verò angustum amantibus; quia pauperes tui te uno contenti sunt, & nihil quærunt.

Clauduntur illi angusti opinionis suae finibus , quibus quod habent non est satis , & in tantâ rerum omnium abundantia mendicant : hi verò fidei robore omnia sustinentis , à nulla foelicitate arcentur , & in tantâ paupertate regnant.

Sed ut regnent , orent. *Non enim ambulat in latitudine , hoc est non ambulat in charitate , qui mandata non exquirat.* Hoc enim ipse docuisti nos; *petite & accipietis; querite & invenietis.* Si nihil angustum est amanti, nihil latum est non oranti. Cùm me ergo premunt angustiae meae, cur non crebris orationibus dilatatur cor, quod tot peccatis contractum est? Omnia possibile sunt amanti. Sed non amat, qui non orat. Amor jam beatus laudat, adhuc miser gemit. Si nec gemit, nec laudat gaudens in te, non est amor.

ψ. 46. *Et loquebar de testimoniis tuis in conspectu Regum , & non confundebar.*

UTINAM, Domine, imitatus Prophetam non ante loquerer de testimoniis tuis quàm ambularem in latitudine. Utinam facta sermonem antecederent, & orarem te antequam loquerer de te. Ordo necessarius, & periculosus non servanti. Quid enim congruentius,

108 PIA IN PSAL. CXVIII.

quàm ubi vitam nobis impetraverimus ; conari eam impetrare & aliis , communicareque cum proximis ; quod fructus virtutis omnisque præstantiæ tum maxime capiatur cum in proximum quemque confertur.

Etiam , Domine ; aut taceamus , aut loquamur de testimoniis tuis : quamquam cum testimonia tua loquimur , ipsi tacemus ; non enim verba hominis proferuntur , sed tua. Si nostra diceremus tantum , moreremur , quia mendacium loqueremur , *quod occidit animam*. Sed cum tua loquimur , vivimus ; quia *habes verba vite æterna*. Taceamus ut ipsi ædificemur ; & cum jusseris loquamur , ut alii ædificentur. *Propter fratres meos & proximos meos loquar pacem de te*.

Ambros. Nonne, Domine, qui loquitur in conspectu fratrum suorum , *loquitur in conspectu Regum* , quia filii Regis & ipsi sunt reges ; præsertim cum Pater non moriatur , sed hæreditatem dividat , aut potius integram largiatur vivens & viventibus. His regibus , Domine , quorum regnum majus est mundo , nil plebeium loquamur. Aures regiæ non offendantur sermonibus indignis , & dignitati tantæ nocentibus. Utinam regni tam excellentis magnitudine territi taceremus. Si tamen loquendum est , loquatur cor ipsum quæ
corde

corde audiantur. Sed ut loquatur cor, dilatetur, ut ex eo, in abundantia, divina s. Hilari doctrina verba procedant. Lingua regum istorum, non eadem est quâ loqui populus consuevit. Maximæ hoc esset imperitiæ & inurbanitatis, rudi & barbaro sermone quem aspernarentur, verberare aures regias. Ipse hoc exprobrares, qui filiorum injuriâ tangeris, & confunderer.

Ut non confundamur, Domine, quicumque loquuntur in conspectu regum, contemnant linguam oris, ut magis loquantur linguâ cordis; quia hæc est lingua regum, & quæ valet ad regnandum. Nil hoc sermone potentius quo vincuntur inimici, & quo amplificantur regni fines. Da nobis, Domine, linguam hanc igne cœlesti flagrantem quæ à spiritu tuo impellatur, ne confundamur.

August.

Sed nonne Martyres tui etiam in conspectu Regum locuti sunt ipsi ad gloriam tuam, cum mori maluerunt quàm tacere veritatem? Contempserunt Reges liberè loquendo, quia tu regnabas in corde loquentium. Quemadmodum enim facile est coram Rege loquentem de maximis rebus, non respicere ad servum transeuntem; ita & illi non audierunt quod imperarent Reges, cum te Regem regum contraria imperantem audivissent.

ŷ. 47. *Et meditabar in mandatis
tuis, quæ dilexi.*

NIL magis necessarium, Domine, quam ut omnem sermonem antecedit oratio & sequatur. Hoc ipse docuisti nos exemplo Prophetæ, & tuo. Ille enim non tantum *exquisivit mandata tua*, quod fit orando, antequam loqueretur de testimoniis tuis in conspectu Regum; sed postquam locutus est, iterum confugit ad portum orationis, & *meditatur in mandatis tuis*.

Hoc ipse faciebas, ut normam vivendi relinqueres in exemplo admirabili vitæ tuæ. Antequam enim eligeres Apostolos, & postquam miraculis, vel verbis tuis quæ & ipsa miracula erant, audientes ad vitam informaveras, secedebas precaturus, & orationem adhibebas capiti non necessariam sed membris. Imitemur te, Domine; & quod nobis præstitisti, ipsi non omittamus. Oremus locuturi, & iterum oremus postquam locuti sumus; ut ad eundem portum nos recipiamus tempestate jactati, ad quem antea confugeramus ejusdem metu tempestatis.

Opportuna tunc est meditatio mandatorum tuorum, cum locuti sumus,

SOLILOQUIA. *Legem.* III

Nam præterquam quod magis necessaria est, ut reficiamur; ipsâ rerum comparatione admonebimur, & fatigatione nostrâ, quanta sit præstantia silentii tui, quod nulla subsequitur lassitudo, cum ipsum potius lassitudinis remedium sit cui maximè medeatur. Tunc suavius quiescemus tacendo, cum gravius laboraverimus loquendo. Nam quamvis de te loquamur, quod periculi remedium est; idem tamen remedium suavius est, cum nulli periculo conjungitur. Qui tacet & meditatur, eodem fruitur quiescendo, quo antea, cum loqueretur, fruebatur laborando. Necessarium magis *meditari in mandatis* posteaquam locutus sum, ne fortè loquendo aberraverim à mandatis, quod sæpissimè contigit; & perfectum illum esse Scripturæ tuæ prædicant qui linguâ non labitur.

Amem meditari, Domine, quia vita amanda est. Homini enim cui mentem largitus es ut te cogitaret, *vivere cogitare est*. Sed ita amem meditationem mandatorum, ut mandata ipsa magis amentur, in quibus argumentum est meditationis. Si enim in solâ meditatione acquiescerem, nec id amarem quod meditarer, ratio mihi reddenda esset in judicio tuo otiosæ cogitationis, quæ non minus quàm otiosus sermo interdicitur. Absit hoc à

IN PIA IN PSAL. CXVIII.

me, Domine, ut quamvis facilis & non impedita cogitatio delectaret, nisi tua sit, & nisi te cogitem. Non credam verò te cogitari posse ut cogitandus es, cum non amaris. Nec ipsa cordi sapere potest cogitatio, nisi hoc habeat ab amore tuo, qui omnis suavitatis fons est.

Amem præcipientem, amem mandata præcipientis, ut pia sit & segura cogitatio meditantis. Nil magis errori obnoxium quàm sterilis meditatio: ferè enim latet serpens sub pulchritudine cogitationum tamquam sub ornatu foliorum, cum amore tamquam fructu non defenduntur.

Ps. 48. *Et levavi manus meas ad mandata tua quæ dilexi; & exercebar in justificationibus tuis.*

Ambr. **P**ULCHERRIMUS ordo iste est: ut primò meditemur; & eorum præceptorum quæ diligimus, sit nobis assueta meditatio. Meditatione enim mandatorum cœlestium, operis boni usus innotescit. Ideo facilè levat manus suas ad mandata tua, quia jam meditatus fuerat in mandatis. Cum manus nostræ graves sint, Domine, nisi sustententes eas ardore fidei, ut sequantur impetum cordis sursum ad te festinantis, statim ad terram abjicientur; & cor ipsum

SOLILOQUIA. *Legem.* 113
quod manibus suis indiget eodem exitio
involveretur.

Leva cor, ut sanctis meditationibus oc-
cupatum, terrena non cogitet, & levabun-
tur manus, *non operantes jam cibum qui perit, Jo. 6. 27.*
sed qui permanet in vitam aeternam. Sed ut
cor sive manus leventur, amandum est.
Unus hic affectus totum hominem secum
rapit, nec patitur hærere in terrenis;
quemadmodum amor contrarius non
patitur nos versari in cœlestibus.

Cum ergo manus nostras levari posci-
mus, amorem tuum poscimus, qui cum
finis est noster, *fit verè opus bonum, & tunc August.*
levantur manus, quia supernum est quo le-
vantur. Nihil in me vacet ab obsequio tuo.
Mens cogitet, cor ardeat, manus labo-
rent & exerceantur; omnia ad amorem
tuum referantur. *Opus meditationis, dile-*
ctionis perficiat fructum. Hieron. Dilectio quæ nun-
quam otiosa est si vera est, desinat in bo-
na opera quibus foveatur ut crescat. *Le-*
vavi manus meas ad mandata tua quæ dilexi,
& exercebar in justificationibus tuis. Hoc
semper fiat ut vivam.

Exercitatio quam hîc necessariam doces, *Hilar.*
assiduitatem operationis ostendit. Quidquid
horum intermittatur, periculum est de-
sinenti. Nam sive meditatio amori, sive
amor meditationi subtrahatur; sive bo-
nis operibus destituatur oratio, sive

114 P I A I N P S A L. CXVIII.


oratione bona opera destituantur; *vita* tam imperfecta & quæ seipsam tueri non potest, morti obnoxia est.

August. Ut nihil ergo desit vitæ meæ, exerce me in justificationibus tuis, in quibus exercetur qui mandata tua quæ diligit, & cogitandi & operandi delectatione custodit. Sed ut delectet cogitare, diligatur qui cogitatur. Nemo est enim qui libentissimè non cogitet, quod multùm diligit. Ut delectet labor ipse actionis, qui ex se placere non potest, adjungatur illi amor tuus quo velut condimento dulcescat.

August. Cum enim amatur, aut non laboratur, cum præsertim amor ipse est ferventior, aut saltem labor amatur.

Da mihi, Domine, tui hujus amoris constantiam, quæ mentem in suis meditationibus titubantem, & manus in suis operibus deficientes suâ vi erigere possit, & sustinere ad perpetuam justificationum tuarum exercitationem.





ψ. 49. MEMOR esto verbi tui servo tuo ; in quo mihi spem dedisti.

MANUS semper levari non possunt, quia natura infirma est; sed ob ipsam hanc infirmitatem naturæ, semper orandum est, & semper sperandum. Memor esto verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti. Quid enim ad omnem spem amplius esse potest & potentius, quàm quod salutem meam verbo tuo conjungi voluisti, quod vinci non potest. Firmum fundamentum tuum ^{2 Tim. 2, 19.} stat. Nullis hoc molitionibus & machinis moveri potest. Tantùm in hoc fundamento maneamus immobiles, nullamque spem agnoscamus spei nostræ contrariam, & non vincimur.

O anima mea, quid in te stas, & non stas? Cur tristis es? quia infirma es? Gaude potius, quod nihil fortius verbo Dei. In eo sperare & non in te juberis. Audi quid dicat: in quo mihi spem dedisti. Sive fortis, sive infirma sis, perinde est. Nec salutem tibi affert fortitudo tua, nec rursus exitium infirmitas: tantùm virtute verbi salvaris; tantùm damnaris, quod non speras in verbo. Nulla in eo speranti nocet infirmitas. Nulla de se

præsumentem prodesse potest fortitudo.
Nullam ergo tui ipsius rationem habere velis ; quod nihil tibi utilius esse possit quàm ut te obliviscaris. An jubereris te ipsam abnegare , si tibi ipsi utilis esse potuisses ? Consulenti hoc præceptum est , non invidenti. Si salvari vis , abnegare te debes ; ergo te ipsam non salvas , quin potius salutem tuam contraria es , salutis tuæ impedimentum , non causa.

Salvaris à verbo ; confuge ergo ad Verbum , & ad Patrem Verbi ; & Prophetam docente quomodo rogandus sit , utamur oratione illius tamquam nostrâ : si enim spem illius atque amorem imitemur , & nostra est.

Memor esto verbi tui servo tuo. Domine , non sum dignus ut memor sis mei. Sufficit mihi ut memor sis verbi tui. Gratias tibi habemus quantum possumus magnas , quod salutem nostram non à nobis , sed à verbo tuo pendere voluisti. Actum erat de salute meâ , si me salvarem. Nunc verò quod ab omnipotente salvemur , magna nobis fiducia est.

Quam fronte tam deformis à te roga-rem ut respiceres in me. Damnares , si respiceres ? Nunc verò nullam deformitatis meæ conscientiam prohiberi possum ut dicam : *Respice in faciem Christi tui.* Imò quanto magis deformis sum , tan-

tò magis hoc dicam. Consolatur enim deformitatem meam illius pulchritudo; neque aliud remedium est quo sanetur. Cum enim respicis in pulchrum hunc & speciosum formâ præ filiis hominum; ecce ipsi deformes fiunt pulchri. Tam pulcher est, ut sufficiat videri ne simus deformes. Pulcher est, & ipso intuitu facit pulchros. *Memor igitur esto verbi tui*, recordatus misericordiæ tuæ, cujus recordatio salus nostra est.

Memor esto verbi tui servo tuo, & fac me servum tuum, bonorum operum gratiam largiendo. Non enim salvas nisi servum, hoc est mandatis tuis obsequentem. Non salvas nihil facientem, qui tanta fecisti ut salvarer. Ergo laborandum & patiendum: sed utriusque gratiam donas.

ψ. 50. *Hæc me consolata est in humilitate meâ; quia eloquium tuum vivificavit me.*

HÆC spes, qua verbo tuo obvenit mihi, consolata est me, ut tolerarem acerba præsentium, spe futurorum. Magnam ergo nobis consolationem affers, cum magnam spem nos habere jusseris, eamque rerum maximarum. Quidquid Deo nostro minus est, non est bonum

nostrum. Id speramus quod tu es; & tam admirabilis beatitudo nostra est, ut te ipso beati simus. Ad regnum vocamur, ad regnum æternum, ad regnum tuum, & quod tu es. Cùm enim regnum tuum das, das te ipsum.

An dolor momentaneus gaudium vincet æternum? An tribulatio tam levis non cedit spei tam certæ, & tam ingenti? Ecce, Domine, si avaro diceretur; Omnes omnium possessiones tuæ erunt, eæque thesauris refertæ copiosis: si ambitioso diceretur; Orbi imperabis universo, & ex omnibus regnis unum regnum conflabitur, quod ditioni tuæ subiacebit: si hoc audirent & crederent, nec de magnitudine promissorum dubitare possent, nonne tantæ spei gaudium sufficeret ad contemnendam unius diei tristitiam, quæ cœlo nubibus obducto, & sole non apparente induceretur? An se miseros arbitrarentur ob levem acûs punctiõnem, foelices mox futuri & in summo culmine foelicitatis humanæ?

Adjuva, Domine, incredulitatem nostram. Promissis tuis non credimus. Tam proximum esse regno tam beato, & tristem esse, non credentis est. Nihil certius esse potest. Si crederemus quod polliceris, gauderemus; & eo gaudio quod tantæ foelicitati responderet. Spe

aliquando incertâ, bonique contemnendi, etsi certa esset, ita efferimur lætitiâ gestientes, ut vix nos continere possimus: & cùm nobis tale regnum promittitur, frigidi sumus. Non credimus. Non tantam in nobis excitat lætitiâ Evangelium regni, quantam nugæ nugarum.

Adversus meipsum concludo, Domine, non sperare me quæ polliceris, quia si sperarem ut speranda sunt, hæc me spes consolaretur, quemadmodum Prophetam consolata est. *Hæc me consolata est in humilitate meâ.* O spem veram quæ consolatur! O spem optimam cujus causa, est tribulatio crucis quæ aliis pareret tristitiam, & spem adimeret. Sed nunquam magis sperandum, quàm cùm caro ipsa non sperat.

Spes generis humani à cruce tuâ sumpsit initium, Domine. Absque cruce nulla homini causa sperandi fuisset: quæ obrem cùm deest illa, quid est quod speremus extra spem communem omnium? Nisi ergo aliquid patiamur, nulla nos spes consolari debet, quòd suspecta sit. Sed si *rore illo lucis* æternæ quo crux Christi imbuta est aspergimur, gaudendum & sperandum est, quia eloquio Dei vivificamur. Nihil potentius verbo quo creati sumus. Nihil potentius

cruce quâ redempti sumus. Si hæc con-
jungantur, quomodo non vivimus, quo-
modò non beatifumus?

*ÿ. 51. Superbi iniquè agebant usque-
quaque; à lege autem tuà non decli-
navi.*

QU I S Q U I S humilitati crucis tuæ
consentiet, & in eâ gaudebit, ho-
mines proculdubio patietur inimicos,
qui crucis ipsius inimici sunt. Cui pla-
cet crux, superbis placere non potest.
August. Hinc quædam odii necessitas: hinc su-
perbi isti persecutores piorum. *Superbi iniquè
agebant usquequaque.* Libera me, Domi-
ne, ab hoc vitio, quod nullis malè fa-
ciendi terminis ita includitur, ut eos
transgredi non possit & ultra erumpere.
Sua quædam aliis omnibus aliquando
fatietas est: interdum parcunt sibi, ve-
lut umbram mediocritatis quamvis non
veræ imitando; & si quis ventrem ex-
tendat stultâ edendi libidine, non tamen
plus ingeret quàm quod capere potest.
Psal. 73. 24. *iniquè agentium usquequaque; & superbia
eorum qui te oderunt ascendit semper.* Nul-
lum peccatum est ita tibi contrarium;
Ambros. hinc *superbis resistis tanquam tuæ contume-
liæ propulsator;* tua enim aliis peccatis

S O L I L O Q U I A. *Memor.* 121
invaduntur, sed teipsum impugnat superbia; & gloriam tuam, quam ne quidem amantibus tribuis, dementes inimici sibi usurpare contendunt.

Maximum hoc in homine peccatum est, quandoquidem inde manavit nostri origo delicti. Hinc quisque privatim moritur, unde omnes universim mortui sunt. Quomodo, Domine, ex infinito diluvio emergam quod absorbet genus humanum, nisi adjuves; & amore tuo amabilem mihi humilitatem effeceris, quæ superbis odio est? Quod omnes odierunt, tantum amare possumus amando te. Hinc certissimum amoris tui argumentum, humilitas est. Nec te amant superbi; nec qui te amant superbiunt. Magis curem, Domine, quomodo me tuear à superbiâ ne noceat animæ, quàm quomodo me tueri possim à superbis ne corpori noceant: cum superbi sæpè salutis utiles esse possint, cui semper contraria est superbiâ.

A lege autem tuâ non declinavi. Audiam hoc, Domine, nec licere mihi putem uti superbiâ ad propulsandam vim superbiæ. His me armis malè defenderem quibus læsus sum. Doce me nunquam magis necessariam esse humilitatem, quàm cum à superbis lædimur. Lex ista à quâ non declinat Propheta cum à su-

122 P I A I N P S A L. CXVIII.

perbis impetitur, lex humilitatis est. Etsi enim omnes leges quæ justæ sunt, quia à justitiâ proficiscuntur, tuæ sint; nulla tamen magis tua dici debet quàm quæ legislatori ipsi imposita est. Multas alias leges ipse tulisti, ut nos tibi sujice- res: sed huic legi teipsum subjecisti.

Ergo hanc magis amplectamur, non solum tanquam magis necessariam, sed velut amabiliorem ob authoritatem exempli, quia eam magis amplexus es. Quemadmodum ergo ingruentibus tenebris lucem accendimus ut videre possimus: ita cùm superbius despiciamur, accendamus lucem humilitatis, ne ipsum lumen amittamus veritatis.

ψ. 52. *Memor fui judiciorum tuorum à seculo, Domine, & consolatus sum.*

CU M judicas me, Domine, quamquam *superexaltet misericordia judicium*, externas consolationes quæro quæ non habent consolandi vim, oblitus interim judiciorum tuorum quæ consolarentur me. Ipsum tam boni Patris flagellum sufficit ad consolandum bonum filium. Magna consolatio est, Domine, quia tu ipse percutis nos qui amas nos. Etiam amanda percussio amantis. Non

SOLILOQUIA. Memor. 123

enim tantum amas & percutis ; sed percutiendo amas, & amando percutis. Flagellum tuum, non tantum amantis flagellum est, sed amoris. Et amoris quidem longe majus pondus quam flagelli. Nam hoc certe leve & momentaneum, vel cum maximum est : amor vero tuus, vel cum minus amare videris, magnus est & æternus.

Egeat consolatione flagellum, sed non amoris, sed non in amantibus. Flagellas quia amas : flagellas ut amemus. Flagellas ut frustra non amemus, erudiendo nos ut ad tantam hæreditatem idonei esse possimus, cui nemo aptus est non flagellatus. Flagellas, sed ad regnum, & non aliter regnatos.

Quid ad spem & gloriam amplius? Non amat regnum tuum, Domine, nec te amat qui in tanto gaudio consolatione eget, aut aliam quærit consolationem quam quæ ipsius regni est. Quid ergo demens exoptulo de judicio Domini mei? Pien tantum cogitetur, & *consolatus sum*. Si caro premitur flagello, cor recreatur flagellante. Si peritura utili damno amittimus, æterna lucratur.

Tale judicium non fugiam, Domine, sed potius semper mihi versetur ante oculos ut repleat consolatione Spiritus sancti. *Memor sim judiciorum tuorum à sa-*

culo, Domine. Tantâ pietate flagellas & tanto amoris effectû, ut aliquando ad salutem sufficere possit videre flagellantem. Non tantum salvor ipse, cum flagellor; sed etiam cum alii flagellantur mihi remedium est. Non tantum proprio, sed etiam alieno dolore sanamur. Nihil pereat flagellorum Domini mei; Ecclesiæ thesaurus est. Aliorum flagello erudiamur, & alii erudiantur nostro.

¶ Amb. Sponsa Agni patientis *in commune patitur*, & patiendo jungitur Sponso. Crux thalamus amantium, in quo magnificè requiescitur. Ipsa hæc quies, victoria est & corona vincientium. Quidquid ergo passus est Sponsus, quidquid passi sunt amici Sponsi, quidquid Sponsa, consolatio esse potest patientis.

Parvo dolori, vel potius nulli, magnam consolationem proponis, Domine; cum iudiciorum tuorum mirâ & utili suavitate reficis cor meum. *Memor fui iudiciorum tuorum à seculo, & consolatus sum.* Inde vivam, Domine. Vicisti in vincen- tibus. Etsi ego vincar, non nocebit, si concesseris perpetuâ victoriæ tuæ recorde- datione salvari. Vita tua, Domine, & vita membrorum tuorum quæ etiam tua est, sit mihi vita, alioquin morituro. Tantum inveniam consolationem inveniendo vitam, ut possim dicere: *Memor*

S O L I L O Q U I A. *Memor.* 127
*fui iudiciorum tuorum à saculo, Domine, &
consolatus sum.*

ÿ. 53. *Defectio tenuit me, pro peccato-
toribus derelinentibus legem
tuam.*

MA X I M E differt à consolatione
mundi consolatio tua, Domine.
Cum enim consolatur nos mundus, hoc
fit damno amoris sancti, & minus ama-
mus: cum vero consolaris nos ipse, ma-
gis amamus. Hinc Prophetam postquam
consolatus es, membra tua infirma & ad
peccatum labentia tantâ charitate com-
plexus est, ut vi amoris defecerit. *Con-
solatus sum: defectio tenuit me pro peccatori-
bus.*

O præstantissimam consolationem,
quæ à charitate ortum habet, & desinit
in charitatem! Fœlix quidem, quem ita
consolaris; sed nescio an non fœlicior
qui ita deficit. Consolatio quamvis san-
cta, mihi videtur errori proximior, quam
defectus hic & dolor amantis. Non am-
plius vivit sibi, qui totus aliorum est;
& nullum peccati periculum in abnega-
tione perfectâ.

Væ nobis, Domine, qui nullo alio-
rum dolore tangimur, nec membris tuis
debitum impendimus charitatis affectû.

Quàm parum amemus hinc clarum ; quia parum compatimur. Nostris malis afficimur , quia non deest sensus naturæ : aliorum malis non afficimur , quia deest sensus charitatis. Ubi verò reperiemus charitatem , non tantum vacantem sed nec sentientem ? Quam timeo ne sit extra corpus qui gaudens in dolore corporis , & in ipsâ ægritudine membrorum , non sentit quod corpus sentit univèrsum. Affectus contrarii satis indicant , partès tam diversas eâdem membrorum societate non contineri.

Da nobis ut Prophetam imitemur, & *defectio teneat nos pro peccatoribus dereliquentibus legem tuam.* Non doleamus quod contemnimur , sed quod contemneris. Rex erat iste qui leges ferret ; suas relinquit non conqueritur , de tuis dolet. Obliviscamur injurias nostras , Domine , sed tuas non obliviscamur ; qui enim suarum meminit , tuarum recordari non potest.

Sed nec peccantium obliviscamur. Fratres nostri sunt , & jussisti ut eodem amore diligerentur quo nos ipsos diligimus. Cur idem amor tam diversis affectibus distinguitur ? Doleam , Domine , in fratribus quod in me dolerem. Bonum quodcumque undè gauderem si meum esset , eandem & in corde meo pariat lætitiã cum ad fratrem pertinebit. Ex

eodem fonte vitam haurimus; eodem amore vivimus: idem amor iisdem damnis, & iisdem utilitatibus similiter moveatur.

Si hoc vel fratri debetur, quid non debetur matri, & corpori universo? Vel unius membri dolor, utilem hunc defectum toti corpori adduceret. Quàm justum ergo & conveniens, ut unumquodque membrum deficiat in dolore totius corporis, & seipsum sibi abneget! Tot morborum, tot impedimentorum, tot miseriarum magnitudine moveamur; nec matri nostras lacrymas negemus, quæ nobis impendit suas.

ψ. 54. Cantabiles mihi erant justificationes tuæ, in loco peregrinationis meæ.

R E R U M tempora confundimus & lacrymamur, cum cantandum est. Muta cor meum, Domine, ut mutes tristitiam meam, & gaudium meum. Judicio meo contrarius sim, quod tuo contrarium est. Sæpè gaudeo ob ea quæ tibi displicent: sæpè ob ea lugeo quæ tibi placent.

Affectum tristitiæ inseruisti quo emendarem si quid peccassem, non quo peccarem. Remedia ipsa in morbum con-

versa sunt. Cum iudicia exerces misericordiâ & æquitate plenissima mirantibus Angelis & lætantibus, non tantùm non lætor, sed mœreo. Quod divinæ sapientiæ placet, mihi non placet. Sensuum rationis expertium iudicium sequor; & Deo meo sanante me, penè dixerim, non morbum lugeo, sed sanitatem. Quod ista & ista amittuntur; quod isti & istæ moriuntur; gloria tua est & sapientia voluntatis æternæ: justificatio tua est quâ iustus esse ostenderis, & quâ iustum me facies.

Hæc misericordia Domini est suos salvantis, & quod saluti contrarium erat destruentis. Sancti cantu & hymnis iudicium Dei prosequuntur: servis tuis cantabiles sunt justificationes tuæ, tantùm lugendæ inimicis. Cantem & ipse, Domine; nihilque flendum arbitrer, nisi quod voluntati tuæ non congruit. Malè sentit qui tecum non sentit; & profus desipit qui sapientiâ ipsâ offenditur.

Libera me à tristitiâ spiritui tuo ad-
 versante. Cum *vita in voluntate tuâ* sit, & mors in meâ; quidquid vis, dignum gaudio est; quidquid volo, dignum lacrymis. Tantùm fleam, cum iudicio meo contentus, non obedio & mihi placeo. Sed cum fit quod fieri voluisti, & præit voluntas tua, lux nostra, & vita nostra; sequamur non dubii, quia non

SOLILOQUIA. Memor. 129

fallitur ; & securi exultemus , quia non vincitur.

Doce me , Deus meus , fieri non debere quod non facis , & sapientissimè fieri quodcumque facis. *Cantabiles sint mihi justificationes tuæ* , quibus salvantur electi , quibus vincuntur inimici , & quæ prædicant virtutem tuam & gloriam tuam. Justificationes tuæ opus sponsi , & gaudium sponsæ. Quidquid caro reluctetur : quidquid sensus obmurmurent , vincat vis fidei vim naturæ. Nunquam majus est emolumentum gaudii nostri , & nunquam pretiosius lætamur , quam cum carne repugnante , quæ postea & ipsa lætabitur , tristitiam naturæ gaudio fidei vincimus.

Cantabiles ergo mihi sint justificationes tuæ in loco peregrinationis meæ. Ille locus magis placeat quemcumque elegeris. Opportunitates non tam locorum sunt quàm misericordiæ tuæ. Vera enim utilitas , non loco sed voluntate tuâ metienda est. Dummodò sim tecum , *erit mihi vel carcer prætorium.* Si à prætorio , vel à cælo ipso abesses , verus in prætorio carcer haberetur , & in cælo infernus. Cælum mihi sit , placere Deo meo ubicumque sim.

Sed væ nobis , in quocumque loco hærentibus. Ideò nec peregrini sumus ,

In Actis
S. S. Perpetuæ &
Felicis

130 PIA IN PSAL. CXVIII.

Hebr.
13. 14.

omnium rerum, præter quam Dei, amatores. Hinc nobis cantabiles non sunt justificationes tuæ, quia *hic habemus permanentem civitatem*, quod Apostolo tuo displicuit. Fac me igitur peregrinum, Domine, ut cantem justificationes tuas; & sit mihi canticum quodcumque imperaveris, aut quodcumque ipse feceris. Amen.

ψ. 55. *Memor fui nocte nominis tui Domine, & custodi vi legem tuam.*

Cyprian.

F ILLIS lucis, & in nocte dies est. For-
san illis dies ipse deficeret, nisi noctis solatium haberemus. Avocat nos à spectaculo nostro tot creaturarum aspectus. Cum plura cernunt oculi, cor magis cæcum est, & nihil cernitur. Benedictus es, Domine, qui noctem instituisti, non tantum ut à labore recrearemur, sed ut tibi vacaremus. Tenebras induxisti amoris tui adjutrices. Cum enim vita cordis nostri sensibus impeditur, tenebris sensus ipsi utiliter impediuntur; & necessaria quædam communisque solitudo toti naturæ conciliatur, quæ faveret orantibus.

Memor fui nocte nominis tui. Etiam, Domine; non somno tantum corporis, sed quieti animæ infumatur nox. Qui noctem ad

SOLILOQUIA. *Memor.* 131

vigilandum dedisti, da & spiritum quo
vigilemus. Beneficium Domini mei som-
nus longior inutile non reddat. Sed si alia
nox ingruat, & difficilia instent tempo-
ra non solum tentationis, sed & cujus-
vis adversitatis; recordemur nominis tui
in quo est salus periclitantium & vita
mortuorum. Qui amant sæculum, con-
solantur se amœnitatibus sæculi: conso-
latio fervorum tuorum in verbis tuis.
*Memor sim nocte nominis tui, & nox sicut
dies illuminabitur.*

Tam pretiosam morbis nostris adhi-
bes medicinam, ut penè optandum fue-
rit ægrotare: penè optanda erant vulnera
quæ tali balsamo curarentur. Fugiamus
quidem morbum, sed medicum quæra-
mus; cum sanitas non morbo, sed mi-
sericordiæ sanantis debeat. Quæramus
medicum qui ægrotantis remedium est
quo sanetur, & sanati præmium quo
coronetur. Quæramus medicum qui æ-
grotantibus sanitas est ut convalescant,
& vita mortuis ut iterum vivant.

Magna, Domine, consolatio est in
verbis tuis; & foelix nox est, quæ pro-
hibet ne obliviscamur nominis salutaris.
Si nocte magis recordor nominis tui, &
dulcius sapit, præferam noctem diei.
Nam si dies est, cum sol iste visibilis
lucet, quantò magis dies est, cum tu sol

V32 PIA IN PSAL. CXVIII.

verus lucus in corde amantium. Hic *sic* mihi dies, & nullam noctem reformido. Talis sol luceat, & in quibuscumque tenebris securus sum,

Etiam, Domine, loquere tu in corde meo, ut verè dicam & confitear tibi, quia *memor fui nocte nominis tui, & custodivi legem tuam.* Non magis potest sine hoc nomine lex tua custodiri, quàm amari sine amore, Si amatur, amor est. Similiter dicam. Si lex custoditur, virtus est nominis tui; de causâ enim dubitari non potest, cum non dubitatur de effectu,

Absit hoc à me, Domine, ut mihi & justitiæ meæ tribuam, quod nomini tuo & misericordiæ tuæ tribuendum est: *Memor fui nominis, & custodivi legem.* Vis est ergo nominis, quod custoditur lex, Lex amoris, tantùm impleri potest per spiritum amoris; sed eam implet amor, quia omnia potest. Hinc qui nomen tuum pronuntiant, salvi fiunt, quia salus in tuo nomine,

O nomen sanctum quo salvamur, & sine quo perimus, esto spes mea. Fac ipse ut memor sim nominis tui, & custodio legem tuam. O JESU, cujus nomen salus nostra est, sufficit nomen tuum. Esto mihi quod diceris; esto mihi JESUS & salva me. An magis erit ef-
ficax

Ficax umbra discipuli quam nomen magistri?

Ita mihi sapiat nomen hoc, ut nihil aliud sapiat. Nox ipsa, nominis hujus claritate vincatur. Tantæ luci cedant quælibet tenebræ. Tantæ virtuti cedat quælibet infirmitas. Tantæ saluti cedat quælibet tentatio. Tanto præsidio cedat quælibet adversitas, & in nomine tuo custodiam legem tuam. Amen.

ψ. 56. Hæc facta est mihi; quia justificationes tuas exquisivi.

DOMINE, custodimus legem tuam, cum accipimus. Nisi enim illam largireris, non custodiremus. Leges humanæ à nobis habent ut observentur; sed legi tuæ quæ charitas est, hoc ipsum debemus, quod illi obsequamur. *Charitas enim diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Tantùm hanc legem servamus, cum amamus; sed amare non possumus, nisi lex ista amoris per spiritum amoris insculpatur in corde amantium. *Hæc facta est mihi, cum amavi, ut ipse fierem amando.* Cum enim non amo te, nihil sum. *Ut sim ergo aliquod initium novæ* Jac. I. 18 *creaturæ: cor mundum creas in me ad amandum; & ipsum amorem donas quo*

amaris; atque ita lex ista gratiæ sine quâ non salvarer, facta est mihi, non facta est à me,

Jerem.
25. 19.

Absit enim, Domine, ut amorem tuum meo spiritui tribuerem & non tuo, quæ forsan esset blasphemia in Spiritum tuum. Ut ergo *separem pretiosum à vili*, & non sim ingratus tribuendo mihi quod tuum est, hoc semper tibi confitear in conspectu tuo, quod tibi Propheta confitebatur; lex quâ salvor *hæc facta est mihi*. Non est à me, sed à te.

Fons iniquitatis cor meum. Fons charitatis cor tuum. Nam à Patre tuo & à te ipso procedit Spiritus tuus, quem largiris membris tuis ut sint tua. Fieri enim non potest ut ad te pertineat, & in eo sis, in quo non est Spiritus tuus, cum quo & Patre unum es. Cum Spiritum hunc amoris accipio, & ipse amo, & jam ad novum Testamentum pertineo, succedente lege amoris legi timoris; dummodo gratias agam, & non evanescam in cogitationibus meis, gaudens in me, & non in te; sed potius benedicam legi tuæ, & cantem intus ubi tu audis: *Hæc facta est mihi*, cum tu Verbum Patris in salutem carnis caro factum es. *Hæc facta est*, cum factus es ex muliere, cum factus es homo ut hominem redimeres quem feceras. Tu

SOLILOQUIA. Memor. 135
enim es lex mea , quam sequi debeam
& cui imprimar. *Hæc facta est mihi ; quia
justificationes tuas exquisivi.* Non enim te
amat qui te non quærit, & qui gloriâ suâ
delectatur & non tuâ.

Ut ergo hanc legem accipiam quæ
facit beatos , *justitias tuas exquiram* Augusti
*quibus justificas impium ; non meas quæ
numquam me pium faciunt , sed superbum.*
Ut hæc fiat mihi , & non sim *sine lege* ,
justificationes tuas exquiram perpetuo
quodam desiderio justitiæ tuæ. Oratio
impetret charitatem. Quid enim aptius
orantes petemus , quam hoc ipsum unde
oramus ? ; Ut cor ferveat amando , ac-
cendatur orando : hoc enim confiteor ti-
bi, Domine : *Lex amoris hæc facta est mi-
hi , quia justificationes tuas exquisivi , id est,
quia oravi.*

**. 57. Portio mea, Domine , dixi , custodire
Legem tuam.*

UTINAM , Domine, orare te possim
oratione hæc ; & ita tibi iisdem ver-
bis confiteri , ut non arguat me menda-
cii cor meum. Beati qui hoc dicunt,
& verè dicunt. Quid enim felicius ,
quàm nullis bonis aut negotiis sæculi à
summi boni possessione impediri , & nul-
lam partem habere in hoc sæculo , ut
nihil nobis deesse possit in cœlo ? *Por-
tio mea , Domine.* **Gij**

Ergo cum relinquimus omnia, nihil amittimus, sed omnia lucratur. Ut enim vestem regiam commodè induere non potest, qui antea vestem laceram nec congruentem corpori non exuerit; ita neque tu in quo omnes divitiæ sunt, possideri potes, nisi viles & mendicantium divitias abdicaverimus. *Renuntiandum est saeculo ut portio nostra sis; & veræ divitiæ, paupertatis beneficio possidendæ. Cum falsas & mendaces divitias possidemus, miseri & pauperes sumus, possidemurque, non possidemus, servi divitiarum non domini. Cum verò à te possidemur, non tantùm alia, sed te ipsum possidemus, & ideò beati sumus, quod nihil deesse possit Deum habentibus.*

Hilar.

Aperi oculos servi tui, Domine, ut intelligam quantæ divitiæ lateant in paupertate, & quanta paupertas lateat in divitiis. Quæ ista est nominum permutatio? Quid hoc mendacii? Cum nihil possidetur, omnia possidentur, & vera beatitudo est omniumque bonorum abundantia, sub specie quâdam indigentiae: cum omnia possidentur, si hoc fieri posset, tum verò nihil possidetur, & summa miseria est, maximorumque bonorum indigentia, sub specie ipsa abundantiae.

O nos amentes & stupidos ! Ecce unâ ex parte foelicitas & cumulus beatitudinis bonorũ omnium conjunctione perfectus : ex alterâ verò ipsa calamitas , & malis omnibus in unum congestis cumulus miseriarum infinitus. Hinc Deus seipsum nobis dat, ut beatissimi simus, quia amat nos : Hinc diabolus , cujus immane in nos odium & crudele, nos ipsos nobis eripit , ut miserrimi simus. Nobis datur optio , & potestas eligendi quod nobis utilius videbitur. Quamvis omnes velimus esse beati , ferè omnes eligunt miseriam titulo decepti divitiarum : & valde pauci sunt qui consulentes rebus suis dicant cum Prophetâ : *Portio mea Dominus.*

Elige me, Domine, ut eligam te: & quia mundus insidiatur , sensusque nostros adhibet deceptionis & perfidiæ ministros , semper eligam quod elegerim , & his Prophetæ verbis admoneam me foelicitatis meæ : *Portio mea , Domine , dixi , custodire legem tuam.*

Lex tua , lex amoris. Hanc legem custodio , cum amo amantem. Hæc sit portio mea. Nullâ cupiditate teneri , pecunia mea sit : mundum despiciere , mihi maximæ certissimæque divitiæ ; hæc pars mea sit : hac foelicitate contentus sim. Nolo aliam , ne fiam miser , si foeliciore esse voluero.

*Ps. 58. Deprecatus sum faciem tuam
in toto corde meo : miserere mei se-
cundum eloquium tuum.*

Augst. **C**UM lex tua custodiri non possit, nisi hoc donet atque adjuvet Spiritus tuus, ne littera occidat, recte invocaris à Prophetâ. Sic enim à te fides impetrat quod lex imperat. Hinc postquam pollicitus est se custoditurum legem tuam, statim addit: *Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo.* Doce me, Domine, quid sit deprecari faciem tuam, & fac me illam deprecari, ut hæc mea sit oratio, cujus scientiam largiaris & effectum.

Ambros. Cum sensus præcipui, quibus maxime cognoscimus & cognoscimur, in facie sint, nonne deprecatio faciei dici potest, in quâ magis cognosceris ab iis qui corde magis mundo accedunt ad orandum. *Quia igitur liber à peccato tibi se cupidus offerebat, faciem tuam deprecatus est: nos quoque si cor mundemus, ut quasi novum creetur renovato spiritu; omnes pollutas cogitationes de corde abjiciamus; nihil sit quod noster inquinetur affectus; simplex mens, pura sinceritas sit, & ipsi deprecabimur faciem tuam.*

Faciem deprecatus est, quicumque toto corde oraverit. Nihil aliud timent

SOLI LOQUIA. Memor. 139

aut speranti, nihil aliud optanti & cogitanti, aditus ad te patet liberior & magis intimus. Unde cum major familiaritas intercedat, amputatis vitiis & corde mundato, perfectiusque ideò agnoscaris, deprecatio ista faciei censenda est.

Cum ad me revocavi cor meum quo intelligeris, statim ades: cum primum oculi aperiuntur, detractâ diversorum affectuum caligine quâ impediabantur, lucem suam incipiunt intueri quæ oculos expectabat, oculis lucem semper præsentem nunquam expectantibus. Non tam ergo lucem quæ deesse non potest sanis oculis, quam ipsam oculorum sanitatem quærere debemus.

Da mihi, Domine, ut *inveniam cor meum* quod semper à me abest cum immundum est, & certus sum quod aspiciam solem meum sicut hîc aspici potest. Et verò si in hâc vitâ miserâ perfectè sanaretur, quantum animo complecti possum, perfectè quoque videreris. Sed cordi nostro, etiam cum integrum credi potest iudicio humano opinantibus, magna pars adhuc sanitatis ejus iudicio tuo requiritur. Unde iste cum se toto corde deprecatum diceret, misericordiam flagitat gemens, quâ perfecta sanitas non indigeret.

Miserere mei secundum eloquium tuum. S. Hilari

140 PIA IN PSAL. CXVIII.

Fidei modesta vox. Misereris enim, Domine, secundum certissimas leges sapientiæ æternæ, non secundum incertissimam pro babilitatem stultitiæ & vanitatis humanæ. Ita misereris ut doces in libris tuis, non ut nos docemus in nostris. Quamobrem non quid ipsi existimemus, sed quid tibi videatur quærendum est. Miserere nostri, Domine, non sicut volumus, sed sicut tu vis. Verbo tuo omnis nostræ sanitatis causa continetur; ejus quoque modus eodem verbo definiatur, ut vera sit omni ex parte curatio. Amen.

ψ. 59. *Cogitavi vias meas, & converti pedes meos in testimonia tua.*

Matthæi
6, 27. **A**N possum quærere à Domino meo, cur, cum dixeris in Evangelio, *Non posse nos cogitando adjicere ad staturam*, iste cogitando conversus sit? Sed fortè hoc ipse tu loqueris. Cum utiliter cogitamus vias nostras & convertimur, tu ipse cogitas in nobis, quod sine te non cogitamus; & cum convertuntur membra, suam ipsius conversionem agnoscit caput.

August. Si pateris quod patimur, & *solvi non potest scriptura*, cur non cogitares quod piè cogitamus? *Si caput & membra in corpore uno, cur non & in voce unâ?* O magnam

SOLILOQUIA. Memor. 141
misericordiam Domini mei, sibi usurpan-
tis quæ nobis tantum conveniunt, ut
& nos usurpare possemus quæ illi tan-
tum convenirent!

Nihil ergo cogitem, Domine, quod
non sit dignum te. Erubescam id cogi-
tare quod tuum profiteri non possis. *Tuus
sum ego*: cogitem ergo quod tuum est,
ut magis adhuc tuus sim; nec se aliena
interponat cogitatio quæ me separet à te.
*Cogitem quæ Domini sunt. Cogitatio mea sit
in præceptis Altissimi.* Quæ locutus es ipse,
quæ fecisti, quæ passus es, hæc loquatur
cor meum. Veritati cognoscendæ natus,
aliud cognoscere reformidem. Sufficio
Deo meo, cur mihi non sufficiat Deus
meus? Cogitando te, fruor te. Nihil
me avocet à spectaculo tam magno &
pio.

Sed ô me infœlicem & stultum! Co-
gitanti mundum non se dat mundus.
Cogitamus divitias quæ relinquunt co-
gitantem, & tamen cogitamus. Ades,
Domine, cogitantibus te, imò expe-
ctas prior cogitatuos. Æternas divitias
& regnum tuum offers ultrò, & polliceris
cogitantibus, & tamen non cogitamus.
Tenemus promissum tuum; *Omnis locus* Deut. 11,
quem calcaverit pes vester, vester erit. Pes ^{24.}
animæ, cogitatio ejus & desiderium ejus. Aug. ult.
Etiam regnum tuum, si utroque hoc

pede comprehenderimus, nostrum est. Divites & beati sumus, non cogitantes terrenas, sed cogitando coelestes: pauperes verò & miseri, cum cogitatione rerum caducarum non dat locum cogitationi coelestium. Has tamen tam certâ spe adipiscendi cogitare nolumus; illas non tantùm frustra sed cum maximo damno cogitamus.

Libera me, Domine, à tam periculosa infaniâ. Cogitem te, amaturus. Cogitem me, non amaturus. Cogitatio mea amori tuo & odio meo inserviat. Cogitem vias meas, sed ut emendem, & transeam in vias tuas. Cogitationem viarum mearum sequatur conversio cordis mei. *Convertam pedes meos in semitam mandatorum tuorum*, & veritati tuæ, licet damnanti me, acquiescam. Laudem quod laudat, & improbem quæcumque improbat, etiam meipsum. Si reprehendenti me consentiam, ipsa correptio foelicitas est. Si agnoverim coram te deformitatem meam, jam minuitur. Quare negligo salutem meam, quæ tam vili & facili pretio constare potest. Da mihi, Domine, ut tanto proposito præmio cogitem jam vias meas, & *convertam pedes meos in testimonia tua.*

¶. 60. *Paratus sum, & non sum turbatus; ut custodiam mandata tua.*

UBI quis antea cogitatione prevenit quod S. Ambrosi acturus est, semper ad agendum paratus, nullâ potest accidentium rerum offensione turbari. Non mirum ergo Prophetam cogitantem vias suas, & nil aliud cogitantem quàm quod tibi placere potest, eâ frui tranquillitate animi quam nulla vis, nec inopinati rerum eventus illi adimere qu. ant.

Utinam, Domine, idem quoque possem tibi confiteri. Sed me non esse paratum ad custodienda mandata, ipsa eorum transgressio satis indicat. Quomodo paratus fuisset qui turbatus est? aut quomodo paratus esse potest ad id sive agendum sive patiendum quod imperas, qui solus est, & te Dominum suum reliquerit? Quemadmodum enim luminibus extinctis, qui versatur in tenebris non est paratus ad videndum, quia deest illi lux sine quâ videri non potest: ita cum tu sis lux cordis nostri, & non tantùm robur ejus, sed vita ejus, nec ad videndum, nec ad agendum, imò nec ad vivendum parati esse possumus, cum à te aberrando discessimus.

144 PIA IN PSAL. CXVIII.

Tantum abest ut voluntatis nostræ vi & conatu nos ipsi adjuvare possimus cum soli sumus, quin ipsa potius maxima & præcipuum impedimentum esse soleat rerum agendarum. Cum me ipsum invenero, & in quacumque re propriam voluntatem abdicasse non contigerit adjutricem inimicorum meorum, certum est repulsam esse manum adjuvantis; ideòque cum solus relictus sim, quòd voluntatem infirmam quæ per se tantum valet ad moriendum, voluntati potentissimæ & vitam vel mortuis largienti prætulerim, ad nullum bonum opus paratus sum: undè turbari necesse est

Si à me nihil, à te verò omnia expectarem, paratus essem semper ad omnia; quia tu semper paratus es, cui nihil deesse alienum potest, omnia habenti in seipso. Qui ergo minus paratus est ad id quod exigit, eum tibi minus adhærere clarum argumentum est; & idcirco nondum liberum esse ab omni amore mundi & sui ipsius, qui te minus dilexerit. Perfectè diligit, & paratus est *ut custodiat mandata tua* quæcumque præcipere volueris, cum præcipienti conjungitur.

Quamobrem neque turbari potest, cui perspectum est nihil deesse quod superet vires tuas. Ideo se omnia posse

gloriatur, quia tu omnia potes : neque ista est superbia præsumptis, sed fiducia diligentis, quod à te tantùm repetat fortitudinem suam. Si vinceris, Domine, turbari potest qui omnem in te spem suam posuerit. Sed si non vinceris, non turbatur qui te diligit; dummodo salvus sit amor quo diligit : atque hinc fit ut semper paratus sit ad custodienda mandata tua.

¶.61. *Funes peccatorum circumplexi sunt me; & legem tuam non sum oblitus.*

Q U A N T Ò magis parati sumus ad custodienda mandata tua, tantò magis liberi sumus diligendo & obsequendo; quò verò liberiores, eò magis intelligimus captivitatem nostram & pondus acerbissimæ servitutis. Unde & hic gemit coram te, *Funes peccatorum circumplexi sunt me.* Certum est non esse satis liberum, qui queritur de vinculis. Nã si peccamus, hoc ipse doces nos in scripturis, unumquemque peccato suo esse obstrictum. Si verò antea peccavimus; ipsâ peccati consuetudine ad consimile peccatum attrahentis ad exitium impellimur. *Sunt ergo vincula quibus constringimur,* etiamsi aliis liberi esse videamur, Ambrosi

vinculorum istorum gravitatem non percipientibus.

Idem. Adjuva nos, Domine, ut imitati Prophetæ constantiam, à pessimo nos vinculorum genere expediamus. *Ut eas solvamus hortatur: non manu utique dicit esse rumpenda; sed invisibiles criminum nexus morum confessione & fidei professione solvendos.*

S. Aug. *Funes peccatorum circumplexi sunt me.* Rectè circumplexi; cum omni ex parte, non ferro & catenis quidem constringamur, sed consuetudine ipsâ, & ferreâ voluntate. Ecce, Domine, cum ipso consuetudinis æstu abripimur nec reluctantes, quid aliud quam vincula sunt peccando contexta, quibus hæremus in servitute inimicorum? Cum justæ fratrum voluntati non cedimus propriæ opinionis contumaciâ, & ab eo quod nobis videtur dimoveri non possumus; quid aliud hoc est quàm ferrum inimici manus liberas relinquentis, ut ipsâ libertatis specie decipiamur, & voluntatem ipsam à quâ libertas est, vincientis?

Libera me, Domine, ab hoc simulacro libertatis, cujus solo nomine retento, foris quidem liberi videmur, intus autem captivi sumus. Libera me à catenis quæ non sentiuntur, & quæ licet ad mortem impellant, etiam diligun-

SOLILOQUIA. Membr. 147

tur. Catenarum nexu corporis membra alligantium ab agendo impedimur; sed nullam vim faciunt ad malè agendum. Istis autem cordis ipsius catenis non tantum à salute excludimur, sed etiam ad exitium impellimur; & cum ad benè agendum maximâ earum gravitate impediamur, ad malè agendum ita relinquunt liberos, ut adjuvent aut potius impellant ad pereundum.

Quid hoc mali est, Domine? cogunt nos, & persuadent. Nam cum naturâ liberi simus, non inviti obsequimur. Non periremus nisi vellemus; sed harum catenarum fascinatio est & tam crudelis deceptio, ut velle persuadeant. Ad voluntatem inimici sævientis, ipsi exitio nostro consentimus, vinculis onusti fallentibus.

Verumtamen si adjuves nos, cedit gratiæ sublevanti vis consuetudinis deprimentis, & *legem tuam non obliviscemur.* Nam cum vel magis catenarum nostrarum pondus sentiemus, ipsâ comparatione libertatis tuæ & tam acerbæ servitutis intelligemus, quantum malum in peccato sit, vel cum ab eo liberi sumus adhuc sæviante; & majore desiderio sanitatis & pœnitentiæ flagrabimus, quæ *legem tuam non obliviscitur.*

¶.62. *Media nocte surgebam ad confitendum tibi, super judicia justificationis tuæ.*

JUSTUS ES, Domine. Etiam magnitudine miseriarum nostrarum magnitudo justitiæ tuæ commendatur. *Hoc ipsum, quod funes peccatorum circumplectuntur me, ad iudicium pertinet non tantum punientis, sed liberantis.* Non enim à peccato liberarer, nisi magno ejus odio quod ab amore tuo oritur.

Sed nonne his ipsis peccatorum catenis quibus angimur satis admonemur, quam fugienda sint quibus factum est ut in tam magnas miseras prolaberemur. Non ergo cum his me vinculis adhuc irretitum sentio, animum despondere oportet, sed potius *ad confitendum tibi surgendum est super judicia justificationis tuæ.*

Quicumque laudat justitiam punientis, experietur mox misericordiam condonantis. Confitear tibi, Domine, quia justus es in miseriâ meâ, & incipiam esse beatus. Laudando justitiam iudicis sui, & ipse reus fieri potest justus. Laudem igitur quod laudandum esset, etsi inutile laudanti videretur, quia justum est, quodque tanto cum emolumento laudatur.

SOLILOQUIA. Memor. 149

Quamvis totum diem laudibus tuis infumeremus , non sufficeret dimidiam tantum partem temporis reddere creatori omnium temporum , & tantæ salutis consummatori. Nunc verò cum ipsâ diei malitiâ & tot negotiorum molestiis à laudibus tuis revocemur , quod præcipuum aut potius unicum esse deberet negotium amantium ; aliquam saltem noctium partem in subsidium diei advocemus, & *mediâ nocte surgamus ad confitendum tibi*. Nullum est tempus quo magis adversum nos vigilare soleat inimicus , quàm quo minùs ipsi vigilamus. Nullum verò tempus orationi aptius. Cum enim silentium tempus sit orationis , nox ipsa tempus silentii est.

Utamur ergo istâ opportunitate temporis, sponfas ad amplexum sponsi invitantis , quòd ideò tempus misericordiæ est. Non frustra *mediâ nocte sapientes virgines in Evangelio tuo introducuntur ad sponsum*. Hieron. Eo magis tempore intraverunt ad nuptias, quo ardentius amaverunt. *Mediâ nocte surgebant & ipsæ ad confitendum tibi : hinc & mediâ nocte remunerantur ; ut quo tempore vigilaverunt ad amandùm , fructu amoris sui fruerentur.*

Si amamus , Domine , non patiamur perire tempus amoris tuo tam idoneum ;

150 P I A I N P S A L. CXVIII.

& tempus nuptiarum æternarum, somni tempori præferamus. Si timemus, caveamus ab Angelo percutiente primogenitos Ægyptiorum : nam hoc tempore percutiuntur. Tempus hoc noctis tempus est periculorum, adversus quæ vigilare debeamus, & tempus maximorum præmiorum quibus obtinendis adhibeamus animum & vigilemus.

Ambros. Hoc tempus est, quo deprecari te, & flere peccata, nec solum præteritis veniam postulare, sed etiam præsentia declinare & à futuris cavere utiliùs sit. Hoc tempore psallentibus Paulo & Sila, vincula reorum relaxantur, quia tempus hoc libertatis est. Si infirmiores vigiliæ aliis utiles esse non possunt, vigilemus faltem ut liberemur. Non dormitas, Domine, custodiendo nos; sed si nos non reperias dormientes.

Act. 16.
25.

Ambros.

¶ 63. *Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua.*

RE C T E Propheta postquam mediâ nocte surrexit ad confitendum tibi, tunc se participem omnium timentium te agnoscit; quia orationis tempore maximè cum illis jungitur. Eiusdem corporis membra inter se amando con-

junguntur, amor vero in orando præcipuè ostenditur.

Sed quod hic tibi confitetur, ad te Augusti præcipuo quodam jure pertinet, quia caput es omnium membrorum tuorum. De te vivunt, & idcirco vivis in eis. Meritum eorum, meritum sanguinis tui; quomodo ergo non particeps eorum? Nisi particeps esses virtutis nostræ, nulla esset virtus nostra. Ideò vera est, quia tua est. Si ex nostro tantùm fonte hauriretur, falsa esset, nobisque inutilis. Nihil enim nobis bonum est, quod non Idem alibi scribitur: potius ubi fit summum bonum, aut ad illud nos bique perducatur; quia tu es via per quam tendimus; & patria ipsa ad quam tendimus, qui non tantùm via sed vita es.

Sed quod tu Patri, Domine, hoc tibi ipse confitear in spiritu tuo, jure & voto optantis; *Particeps ego sum omnium timentium te.* Totus frigore stupesco, fove me calore membrorum tuorum ut vivam. Morerer ab eis sejunctus. Vita eorum, sit causa etiam & velut origo vitæ meæ. Ut tibi vivunt, vivant & mihi; nam multùm vitâ indigeo; & nisi supeditetur aliunde perfectioris vitæ abundantia, languorque tam pertinax emendetur sanitate & influxu membrorum tuorum, quæ spes sanitatis? Indignus tali capite & talibus membris, confu-

152 PIA IN PSAL. CXVIII.

giam ad misericordiam capitis & membrorum.

Ne damnes minus timentem te, vide Domine, quàm castè timearis à servis tuis & sponsis tuis. Ut parcas tam malè custodienti mandata tua, habeatur ratio aliorum membrorum tam perfectè custodientium. Confundar in me, gloriar in eis. Nam cum gloria eorum, non alia fit quàm tua, qui gloriatur piè in eis, in te ipso gloriatur. *Particeps sim ergo omnium timentium te*, ut particeps sim tui ipsius. Inveniam caput ductu membrorum, quæ nec me quærent nisi ipsius capitis ductu. Ut misereantur, prior misereris. Misericordiam Domini mei agnoscam & venerer in misericordiâ membrorum ejus. Beneficium quod largiuntur tuum est, & tu largiris.

Quinam sunt isti qui membra à capite separantes, solius capitis auxilium quærunt; & alia membra quæ vel illi conjunctiora sunt, insanâ temeritate aspernantur? Quomodo flagitant auxilium qui repudiant manum auxiliantis, quasi contumelia membrorum in honorem capitis cederet?

Qui bellum tam atrox & nefarium indixerunt membris jam tecum regnantibus, ad membra corporis tui non pertinent. *Participes unius capitis esse vo-*

S O L I L O Q U I A. *Memor.* 153

Junt: *particeps ego sim omnium timentium te* &c. sive per te ipsum, sive per membra auxiliaris, quolibet auxiliante tu auxiliaris. Tibi alios debemus; tibi nos ipsos, tibi omnia, quia tui omnes sumus, & tua omnia.

ψ. 64. *Misericordia tuâ, Domine, plena est terra: justificationes tuas doce me.*

PO S T Q U A M tibi confessus est misericordiam tuam quam ipsi exhibuisti, ut particeps esset omnium timentium te, gratias agendo velut gratior factus, jam tibi confitetur magnas misericordias tuas, quas Ecclesiæ exhibuisti, & quibus plena est. Nam quæ alia terra plena esset misericordia tua?

Ubicumque plenitudo gratiæ scribitur, ibi intelligenda est M A R I A Mater tua, aut Ecclesia Mater nostra, & Sponsa tua. Verè, Domine, *misericordiâ tuâ plena est terra*; quia nomen Sponsi & Sponsæ terram implevit universam. Nulla gens est in quâ non laudetur, aut laudatum sit nomen tuum. Si quæ sit adhuc sine Ecclesiâ, adhuc maledicta est & sine misericordiâ. Ex quo *ascendens super omnes cælos* sedisti ad dexteram Patris, terra impleta est Ecclesiis, & ideo *misericordiâ impleta est.*

Gratias tibi, Domine. Sponsa impletz est omnibus misericordiis Domini sui, quia Sponsus exinanitus est. Eodem sanguine quem fuderunt inimici sævientes sanatus est orbis terrarum, & sævire desit. Sol justitiæ super inimicos ortus est, & amici facti sunt, quia frustra *lucere non potest in virtute suâ*. Ipsa lux ejus misericordia est; quia cùm eam cœci videre non merentur, cùm eam intuemur, opus gratiæ est, non naturæ. Hæc Propheta tuus tibi confitetur, Domine; & utinam nos quoque eadem tibi confiteamur, ne simus ingrati.

Sed cur addit; *Justificationes tuas doce me? Unde misericordiâ plena est terra, nisi quia justificatur impius?* Nonne ut in hujus gratiæ scientia perficiatur, adjungit: *Justificationes tuas doce me?* Hæc humilitatis Christianæ scientia est quæ ab homine doceri non potest; ideoque iste *non egens*.
August. *Doctore terreno* ad te ipsum convertitur, ut doceas Magister humilis humilium, quomodò justitiæ tuæ subditus in ea gloriari possit & vivere. Neque verò hoc ignorabat; sed *iis similis esse* verebatur qui ista sciunt & moriuntur, quia *clavem scientiæ auferentes, neque intrant ipsi, neque alios intrare permittunt*.
S. Hilar.
Hieron.

Doce me humilitatem quam homo non habet, & quam cùm acceperit, alios

S O L I L O Q U I A. *Memor.* 155
docere non potest, nisi & ipsi acceperint,
Doce me justificationes tuas quas præ-
dicando Ecclesia, Synagogæ suas potius
prædicanti prælata est. *Misericordiâ tuâ,*
Domine, plena est terra, quod eam justifica-
tiones istas docueris ne ingrata videretur,

Nihil æquius, Domine, quàm ut om-
nes justitiam laudent cujus misericor-
diam experiuntur. Ecce à misericordiâ
alieni sunt, qui *justitiâ nolunt esse subjecti.*
Verumtamen subito *iram non inferis,* &
eos sæpè patienter expectas, ut in iis quo-
que luceat misericordia patientiæ, qui
misericordiam salutis aliud amando res-
puerunt; sicque *misericordia tuâ plena sit*
omnis terra.

Rom.

10. 3.

Rom. 2.





Ψ. 56. BONITATEM *fecisti cum servo tuo, Domine, secundum verbum tuum.*

AD gratias tibi agendas, Domine, nil magis idoneum esse potest quàm gratias agere. Ecce iterum laudat Propheta quem laudaverat, & eandem adhuc misericordiam miratur quam miratus est. *Bonitatem aut suavitatem fecisti cum servo tuo.* Quid enim misericordiâ suavius, misero quem magnitudo miseriæ fecerat indignum misericordia? Aut quid melius, quàm eos ipsos fieri bonos qui mali erant, ipsâ bonitatis omnipotentiâ malitiam nostram superantis & convertentis cor?

Nonne inde gratias agit, quod mutato corde, jam illi placeat quod antea displicebat? *Bonitatem fecisti. Nihil hic aliud dictum existimo, nisi, fecisti ut me delectaret & bonum.* Magna gratia, Domine, & singularis. Quomodo enim bonus esset, cui non placeret bonum; & quomodo tuus esset & tibi placeret, cui tu non placeres? Ergo qui delectatur jam in bono, non delectetur in seipso; sed illius bonitati gratias agat, à quo habet ut sibi placeat

S O L I L O Q U I A . *Bonitatem.* 157
placeat bonum. *Bonitatem fecisti cum servo tuo.* Quod breviter dicitur, semper dici oporteret. Quis enim animo comprehendat & explicet quoties *bonitatem fecerit* cum servis suis? Quis numero gratiarum æquare poterit numerum laudum?

Sed ut de privatis nihil commemoretur, *Bonitatem fecisti* & prorsus infinitam, quando in carne venisti & nos redemisti. Inuitato certè & mirabili modo *bonitatem fecisti*, cum tu qui omnium Dominus eras, servi formam accipere voluisti. Quod bonitatis prodigium, cum eadem bonitas quæ hominem fecerat, caro facta est! Non enim tantùm veritas, sed etiam bonitas dici potes, quia vita es. Magnam *bonitatem fecisti cum servo tuo*, quem morte tuâ ad vitam revocatum evexisti ad regnum tuum, faciendo cohæredem & filium Patris tui.

Vox ergo ista Propheta in personâ Ecclesie, quid tibi debeamus ostendit, & sponsæ gratiarum actionem complectitur, quæ singulis diebus cantaretur. *Bonitatem fecisti cum servo tuo.* Quicumque enim misericordiam tuam experitur, obsequitur præceptis tuis quo id modo potest, & tuus servus est. Absit enim ut amicum haberes non servum seu contradicentem, & hæredem tanti regni institueres à tua voluntate alienum. Nec tibi obsequitur

& servus est, qui nondum expertus est misericordiam, nec tibi contradicit qui eandem experitur, cum ad hoc miserearis ut non contradicat, sed obsequatur

Theod. *secundum verbum tuum. Norma enim & lex sanitatis à medici sapientia repetenda est, non à voluntate ægrotantis.*

Sed nonne, Domine, bonitatem adhuc facis cum servo tuo, non tantum cum misereris, sed cum punis? Imò & puniendo misereris. Etiam flagellum tuum *gratulationibus nostris honorandum est.*

Hilar.

Etiam severitas punientis pertinet ad bonitatem miserentis, quia certè *castigare amantis est.*

Ambros.

ψ. 66. Bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me; quia mandatis tuis credidi.

August. **C**UM quo facis bonitatem, id est, cui inspiras boni delectationem, profectò instanter orare debet quò tantum sibi augeatur hoc donum, ut non tantum pro te contemnat delectationes cæteras, sed etiam pro te quasi-
bet perferat passiones. Erudiat me, Domine, Prophetæ tui oratio, & adhæream votis tam utilibus. *Eam infunde bonitatem seu charitatem, quæ disciplinam possit patientissimè sustinere. Doce me bonitatem, ut amem Deum tam bonum. Quid enim*

Idem:

S O L I L O Q U I A. *Bonitatem.* 159

aliud est doceri charitatem, quam amare? Quantumcumque doctus sit, nescit amorem qui non amat. A seipso separari non potest: nihil in eo iners & vacuum, aut sine effectu. Non posset doceri, si non posset possideri; quia natura ejus, ipse ardor ejus, quo ita afficitur qui amat, ut nec cogitari hoc possit à non amante.

Doce me, Domine, hanc bonitatem, sicut ipsa doceri vult; & scribe eam in tabulis cordis, ut non jam scientia sit hominis eruditi, sed salus amantis. Quid hoc tibi vult, Domine? Quod pulchrum est & utile, vellem esse meum, si fieri posset, nec solo visu contentus sum, si queam possidere. Rem verò omnium pulcherrimam & utilissimam quæ ultro offertur, tantum nosse cupio & non possidere, quamvis solùm cognoscatur à possidente. Amoris tui scientia, Domine, quamdiu non intus est, quamdiu memoriam tantùm ornat & cor non afficit, nec mea est. Rerum imagines, quæ memoriâ custodiuntur ad recordandum, hætenus fortè bonum memoriæ esse possunt; amor bonum est cordis, non memoriæ, non linguæ.

Ut quid confundimus officia partium quæ tantâ diversitate distinguuntur? Ut possideatur summum hoc bonum, non loquendum sed amandum est. Utinam

fileremus & amaremus. Sed ut amemus, *doce nos bonitatem: & doce* sicut eam amantes doces, qui eam sciunt; non sicut videtur sciri à disputantibus qui nesciunt. *Doce bonitatem*, doce amare. Hinc clarum amissum esse peccato, hominis privilegium. Quid enim scimus, si tantum bonum amare nescimus, quod nostrum est cum amatur, & ad quod amandum facti sumus? Tam alieni jam sumus à præclarâ hac scientiâ, & in eâ tam rudes, ut frustra doceamur.

Sed ut frustra non doceas nos bonitatem, *doce* adhuc *disciplinam*. Non enim sufficit amare te, nisi & ea amemus quæ amasti. Ecce vitam abjectam & humilem, ecce crucem & mortem acerbam amasti amando nos. Hæc *pacis nostræ disciplina* humeris tuis imposita est, nec te amaremus, nisi illam amasses. Amemus ergo ut amati sumus. Nec placeat nobis amor delicatus & velut otiosus nihil patiando, *amorem nostrum crucifixum* intuentibus.

Meminerim verò tertio tantum loco commemorari *scientiam* à Prophetâ; ne si majorem ejus curam habeam quam charitatis, aut patientiæ & humilitatis, non ædificet humilem, sed inflet superbum. Nullam amem scientiam, quæ non sit utilis ad amandum. Nisi hæc doceas,

SOLILOQUIA. *Bonitatem.* 161
inſœliciter & miſerè imperitus ſum: nec
enim mandatis tuis credo , ſi te ipſum
aut neſciam , aut non amem.

ſ. 67. *Priusquam humiliarer ego
deliqui ; propterea eloquium tuum
cuſtodivi.*

F U N I C U L U M hunc triplicem bo-
nitatis, diſciplinæ, & ſcientiæ, quem
Propheta laudavit, ejus utilitatem exper-
tus , da mihi , Domine , debitâ pietate
venerari. Quod junxit ſpiritus tuus , ſe-
parare non audeam ; & ſapiam tanti viri
exemplo , qui cùm tantam humilitatis
rationem non habuiſſet quantam ſcien-
tiæ, miſerè lapſus eſt , ut exemplo terre-
remur. *Priusquam humiliarer ego deliqui*
&c. O magnum & ſingulare humilitatis
elogium , quæ ſanctitatem omnemque
virtutem propemodum ſola abſolvit !
Priusquam humiliaretur lapſus eſt. Ergo
tantùm labuntur qui ſuperbi ſunt. Ergo
tantùm humiles ſtare poſſunt. Quod non
humiliaretur , lapſus eſt , cùm ejus vir-
tute nihil magis firmum & ſecurius vi-
deri potuiſſet. Poſtquam verò humilia-
tus eſt ſtatim ſurrexit , etſi hoc caſu nihil
gravius , & ultimo exitio propinquius
videretur.

Quam præſens & efficax in humilita-

162 P I A I N P S A L. CXVIII.

te remedium est , cuius vi morbus tam
lethalis , tam brevi tempore sanatus est !
Quàm potens ad nocendum superbia ,
cuius aliquo afflatu sanitas tam integra
& valens labefactata est ! Domine , si non
pepercisti iusto non humilianti se , an par-
ces superbo in suâ ipsius miseriâ super-
bienti , & nec humili post ruinam ?

Priusquam humiliarer ego deliqui.

Ambros. *Jure ergo temptationibus traditus est , quoniam delinquebat. Delinquebat autem , quia Dei eloquium non timebat. Verum inde ordinem emendationis invenit , unde culpa procefferat : cœpit esse subjectus eloquio divino , & culpa defivit. Postquam enim humilis factus est , & tanto lapsu didicit non altum sapere sed timere , eloquium tuum custodivit.*

Rom. 11
29.

Ecce , Domine , cùm non timet & mi-
nùs humilis est , locum veritatis deserentis
superbum implevit deceptio vanita-
tis. An staret , jam subtrahente manum
veritate quâ sustinebatur , & impellente
ad exitium superbiâ , ad quod sponte
ferretur nec impulsus ? Everso igitur fir-
mamento humilitatis , laxatur compago
charitatis , & fit ruina domus illius magna .
Ecce cùm non peteret ut doceres disci-
plinam , lux scientiæ extincta est succe-
dentibus tenebris , & tanta bonitas in
tantam crudelitatem conversa est.

Matt. 7.
27.

Numquid non satis cernimus quid

S O L I L O Q U I A. Bonitatem. 163
 possit superbia? doce nos quid possit humilitas. Quomodo redibit ad tantam innocentiam homicida, aut adulter ad tantam castitatem, cum utraque necessaria sit ad amplexum Agni & Sponsi? Verumtamen dicis ipse *omnia possible esse* Marc. 9
credenti, hoc est humilianti se. 22

Ecce, Domine, si ruina fuit magna, non minor salus secuta est poenitentem, quia magna humilitas magnam adduxit poenitentiam. Et lux lucet in tenebris, & tenebrae tantâ luce vincuntur. En tantò firmiter adhæret veritati, quantò humilius. En seipsum magis novit, quia expertus est, & te ipsum magis, quia miseratus es. An te non amaret qui se odit, & cui tantam veniam nondum petenti largitus es? Ecce ad te rapitur & alios rapit *ardens & lucens*. Nonne hoc elo- Jo. 5.
 quium tuum custodire est? 35.

ÿ. 68. *Bonus es tu; & in bonitate tuâ doce me justificationes tuas.*

U T I N A M, Domine, sit hoc verbum cordis mei, & nihil aliud loquens totum se colligat in hanc vocem; *Bonus es tu*. Hoc non dicit qui non sentit. Jube ut fileat cor meum, & vacet à tumultu nugarum suarum, ut plenum spiritu tuo, & gaudio ejus perfundente me.

dullas animæ meæ, subito erumpat in hanc vocem dignam te, *Bonus es tu*. Doce me saltem vel primum elementum divi-
næ hujus vocis. Quomodò enim dicam, *Bonus es tu*, laudando te, nisi prius dicam ex intimo cordis affectu, *bonus non sum* reprehendendo me; & hoc ab aliis de me dici ipse gaudeam.

Luc. 2. Nihil præter te bonum videatur, & vilescant mihi mortalia hæc, ut me ipsum & omnia fastidiendo, merear & ipse accipere responsum à Spiritu sancto, ut dicere possim: *Bonus es tu*. Ecce, Domine, quod nos pateris & invitas ad colloquendum tecum, quantæ hoc bonitatis! Quis pauperem, ingratum & furem, quis deformem, quis stupidum & vix balbuentem, sordidâ veste, horrentibus situ capillis, foetentique ulcerum fanie perfusum, & in hoc cœno sibi placentem diu sustineret, aut ejus amplexum expeteret?

Ecce, Domine, pro talibus mortuus es: ecce tales pateris. Et Deum cum homine loqui plus est, quam quod in quolibet homine superbo fastidio horremus. Quomodo ergo non dicat qui te orat, *Bonus es tu*, cum non oraret nisi summè bonus esses? Hoc tu prior dic, Domine; hoc enim nemo dicit nisi audiat. Audiam quod sanet, & reddat audientem.

SOLILOQUIA. Bonitatem. 165
Quicumque *in spiritu tuo* dicere potest,
Bonus es tu, ipse fit bonus.

Quam foelix qui hoc tantum scit, quia
bonus es tu; tanto doctior quanto magis
aliarum rerum imperitus; *Hoc enim unum* Tertull.
scire, omnia scire est. Aliud scire, impe-
ritia nostra, quæ scientia videtur, &
magnus morbus est. Aufer à me, Domi-
ne, superbam scientiam, & *in bonitate*
tuâ doce me justificationes tuas.

Doce me quia justus es, ut timeam
te. Doce me quia nos justos reddis, ut
amem te. Quis enim non timeat judi-
cantem? Aut quis non amet talia con-
donantem? Scientia mea sit, timere &
amare Dominum meum. Hoc doce,
quod non doceres, nisi bonus esses; &
quod nemo discit nisi fiat bonus.

In bonitate tuâ doce me. Nam si postquam
me docueris, rore bonitatis tuæ non am-
plius aspergatur cor meum, & cesses do-
cere; statim obliviscar quod docuisti, &
superbus fiam, placens mihi in donis
Domini mei, & non placens Domino
meo. Quidquid est, esse desinit si creari
desinat; perpetuæ cujusdam creationis
influxu indigemus ut simus; perpetuâ
non minus salvantis misericordiâ indige-
mus, ut boni simus. Doce me ut sciam
quia bonus es. Sed hoc me doce in bo-
nitate tuâ, ut non inde superbiam, &
ipsâ humilitate bonus fiam. H v

ψ. 69 *Multiplicata est super me iniquitas superbiorum : ego autem in toto corde meo scrutabor mandata tua.*

PLACET tibi laus nostra, Domine, cum hominibus displicemus; neque enim majus præmium laudantis esse potest, quàm idem tecum mundi odium sustinere. Ut sciremus ergo Prophetam vero amantis affectu dixisse, *Bonus es tu*, superbi malum esse calumniantur, & veram addunt persecutionem falsæ accusationi, ne quid desit acerbissimo odio.

Multiplicata est super me iniquitas superbiorum. Hoc superbiæ proprium est, quod cum maximè opponatur justitiæ tuæ, nullum ipsa modum tenere possit, sed semper excedat. Nec mirum est modum illam non imponere odio, cum nullum a-mori imponat quo seipsam complectitur. Nihil est quod recuset facere ad commendationem gloriæ suæ, quam augeri putat inimicorum infamiâ verâ aut falsâ. Cum enim veritatis judicium in seipsâ contempserit, in aliis quoque facilè contemnit, nihil præstantius rata & commodius opportunitate mendacii, quod fidissimum ministrum eligit consiliorum suorum.

S O L I L O Q U I A. *Bonitatem.* 167

Nec tu hoc impedis, Domine; cum ad justitiam tuam pertineat quâ puniuntur iniusti, & ad misericordiam quâ coronantur justî, *multiplicari hanc super servos tuos iniquitatem superborum*, qui gloriæ tuæ & servorum tuorum nesciendo serviunt, & velut ministri pœnarum suarum, carnifices ad se torquendum adhibentur propriâ voluntate, eâque injustâ. Omnia se illi suâ causâ facere putant; cum omnia potius adversus seipsums faciant & moliantur. Hoc dignum magnitudine sapientiæ tuæ, qui de iis qui faciunt quod non vis nefariè peccando, facis ipse quod vis sanctissimè judicando.

Hoc noverat Propheta, qui cum *multiplicari super se iniquitatem superborum* asserit, non id exostulando commemorat, sed admirando sapientiâ & justitiâ tuam, eamque debitæ pietatis affectu celebrando. Nonne, Domine, qui hoc dicit, gloriatur ob aliquam similitudinem crucis tuæ, & gratias agit quod aliorum mala illi etiam cooperentur in bonum, dum eadem iniquitate quâ pereunt ipse salvatur.

Ego autem in toto corde meo scrutabor mandata tua. Sic sancti tui, Domine, vincunt inimicos suos; patiendo & amando. Cum enim iste mandata tua se scrutari asserit quo tempore impugnabatur à superbis,

latentem in eis utique charitatem quæ-
rebat quâ se adversus eos tueretur. Ne-
c dubitari de amore potest, qui satis intel-
ligebatur in ipsâ scrutatione mandato-
rum; cum id se fecisse toto corde dix-
erit, quod amantis est. Ecce totis viribus
charitatis pugnat adversus iniquitatem
superborum. Nulli operæ parcunt ut no-
ceant, nulli operi pareit iste ut profit.
Toto corde persequuntur, & non minus
toto corde diliguntur. Sic vincit, qui
sic diligit. Da mihi, Domine, ut sic
me ulciscar de inimicis, non aliis adver-
sus eos armis pugnans quam veritatis &
charitatis.

*ÿ. 70. Coagulatum est sicut lac cor
eorum: ego verò legem tuam medi-
tatus sum.*

NON viveret cor, nisi moreretur:
mors ejus, quies ejus. Sed duplex
motus cordis mei, cùm timeo me, &
âmo te. Timendo me, contrahitur in
se, & hæc humilitas quam præcipis. A-
mando te, dilatatur in te, & hæc chari-
tas quam infundis. Hæc est vita cordis
mei, Deus meus. Vita mea, amor tuus.

Sed cum falsis bonis sæculi delector,
& benè mihi esse arbitror in pestiferâ sua-
vitate vitæ hujus, intercipitur hic mo-

SOLILOQUIA. Bonitatem. 169
tus spiritus tui, & coagulatum est sicut lac
cor meum. Quamvis enim nihil sit aquâ
aut lacte mobilius, non moventur am-
plius cùm concrefcunt. Fundebantur à
calore, duritiem à frigore nancifcuntur.

Tale fit cor meum, cùm non amo te.
Immotum est, quia frigore fuo concre-
tum est. *Coagulatum sicut lac*, quia hæc
ejus ægritudo fea veriùs mors à falſâ dul-
cedine ſæculi pendet, & amore noxio
blandientium voluptatum cujuſcumque
ſint generis. Hinc coagulatum est cor
quod non diffundis. Hinc immotum,
quia non moves. Non timet, & non an-
xium est tibi. Nec propter te trifte est,
nec propter te gaudet. Omnes ejus af-
fectus qui tibi uni debebantur, mundo
ſerviunt. En cor nec tibi pulfans, nec
tibi vivens, & ideò moriens.

Sed alia inſuper accedit calamitas.
Cor enim quod tibi non vivit, vivit ini-
mico tuo, & contrario naturæ ſuæ motu
pervertitur, timendo te quem amare de-
buerat, & amando ſe, cum ſe potius ti-
mere oporteret.

Grave jugum ſuper filios Adam. Unde Eccli.
hoc, Deus meus, ut timeam mihi à ve-^{40. 1.}no occidente corpus, & non timeam
à veneno occidente animam? Toto cor-
pore horrerem ad aſpectum alimenti mo-
tum omnem adimentis cordi aliquando

morituro; & non horreo ad aspectum gloriæ, superbarumque divitiarum, aut voluptatum, & curarum sæcularium, privantium omni motu cor æternum, ideoque occidentium.

Libera me ab hac cœcitate cordis mei. Non *coaguletur* amplius *sicut lac cor meum*. Lac reformidem tam lethale, quod motum cordis Christiani intercipit. Quidquid sensibus blanditur, mihi venenum sit. Fugiam quod naturæ jucundum est; quod mihi magis placet, illud magis exhorrescam, quia unde mihi placet, inde morior. Da mihi meditari legem tuam, quæ hujus morbi mei & mortis meæ remedium est. Non desinam meditari, ne cor incipiat coagulari. Semper audiam loquentem Dominum meum, ut semper amem.

Ita me lex tua erudiat, ut quantò in clariori luce versatus fuero, tantò magis timeam me, tantò magis amem te. Nam scripturæ tuæ nihil aliud docent. Hoc duplici motu sancti timoris, & sancti amoris, vivat cor meum. Oblivionis gelu solvatur flammâ amoris. Non coagulabitur amando te; nec nocebit fallax dulcedo lactis, præferenti utilem mortificationem crucis. Fiat, fiat.

ψ. 71. *Bonum mihi quia humiliasti me, ut discam justificationes tuas.*

HOC maximè in meditatione legis tuæ invenitur, nihil ad salutem magis necessarium esse humilitate. Quorum illa refert exitium, videmus illos superbiâ periisse. Quorum illa salutem commemorat, videmus quoque humilitate salvatos. Si coagulatur cor & incipit non moveri, motum illum salutis superbia intercipit: si moveri incipit, & si amatur detractio tumoris, initium est amoris. Rectè ergo Propheta ordinem hunc veritatis secutus confitetur tibi: *Bonum quia humiliasti me.* Confessio ista non egentis est, Domine, sed jam divitis, hoc est humilis, qui reipsâ expertus sit, quàm ampli fructus ex hoc fundo percipiantur.

Quemadmodum enim qui thesaurum maximum invenisset in agro non culto & vili quem sibi comparasset exiguo quodam pretio, jure ille diceret; Bonum mihi quòd agrum illum emerim qui me principem fecerit: ita & qui jam ex vitiorum servitute emerferit ornatus libertate filiorum Dei, & superatâ carne regno fruitur apud se jam pacato, cùm hoc se humilitatis beneficio affecutum

ignorare non possit , meritò dicere potest :
*Bonum mihi quia humiliasti me , ut discam
 justificationes tuas.*

Non miror , Domine , quod adhuc
 servio inimicis , & servitute pessimâ , sub
 jugum missus captivitatis infinitæ : hanc
 enim maximè virtutem aspernatus sum
 quâ vincuntur. Nondum sum liber , quia
 odi liberatricem , cujus unius ope ex for-
 nace ferreâ eripiuntur quicumque eva-
 dunt ad regnum libertatis.

Quomodo discerem justificationes tuas
 non humilis ? Ecce enim si contemnar ,
 aut mihi dicatur quod alii me virtute
 multùm antecedant , aut dignitate quâ-
 dam rerum periturarum & excellentiâ ;
 si quis exprobret apertè , aut injuriam
 fecerit quamvis in re levi ; statim pertur-
 bor , aut intus amaro sum animo , &
 hoc displicet superbo , unde humili &
 veritatem amanti gaudendum fuisset.

Quid hoc rei est , Domine ? quod
 justissimo judicio aut imperas ipse aut
 permittis , nonne hoc pertinet ad *justifi-
 cationes tuas* ? Nonne ideò hæc à te fiunt
 aut permittuntur , non tantùm quia jus-
 tus es , sed ut ipse justus sim ? Cur igitur
 in his primis justitiæ tuæ elementis tam
 facilibus & ad usum fidei tam obviis
 adhuc hæremus , & quæ pueris familia-
 ria sunt , adulti turpiter ignoramus ?

SOLILOQUIA. Bonitatem. 173

Revera, Domine, non discunt justificationes tuas nisi humiles. Ergo nesciuntur à superbis, & ideo ipsi nescientur. Ergo imperiti sunt omnes superbi, quamvis sibi docti videantur. Quid enim refert si hoc sciant unde damnantur, cum hoc nesciunt unde eos salvari contingeret; imo multum referret, ut permutato sciendi & nesciendi ordine, utiliter & peritè nescirent quæ sciunt, ut ea sciarent quæ ignorant. Da mihi, ut assequar scientiam sanctorum, prius eorum humilitatem assequi in quâ gradus est ad scientiam. Gaudeam cum me humiliaveris, ut discam justificationes tuas.

¶. 72. *Bonum mihi lex oris tui, super millia auri & argenti.*

BEATVS ille qui gaudere potest in rerum usu adversarum & humiliantium, quia in teipso gaudebit: si verò non placet illi quod ejus frangit superbiam, non timidè hoc dicam; nec tu illi places. Quibus non sapit humilitas, iis tu neque sapis, cum perverso sint iudicio. Quamobrem si à se amari veritatem contendunt, mentiuntur. Fieri enim non potest ut iis suavis sit veritas, quibus amara est humilitas; cum idem sit semper veritatis humilitatisque iudicium.

Sed quicumque dicere potest : *Bonum mihi quia humiliasti me* , is quâdam veritatis consequentiâ , quæ humilitati amicissima est , dicet quoque : *Bonum mihi lex oris tui*. Ecce amator humilitatis deliciis intus fruitur veritatis ; & quasi vino novi Testamenti ebrius , nil suavius esse contendit , *super millia auri & argenti*. Non ille mihi scientiam ostendit , sed gustum ; nec ad id doctrinâ sed experienciâ pervenitur. *Bonum* , inquit , *sed mihi* , hoc est gustanti ; quâ brevi sententiâ foris relinquimur , ipso intus tecum epulante ; quia quàm bonus sis gustant humiles , non experiuntur superbi.

Bonum mihi lex oris tui. Nonne tu ipse,
Hieron. Domine , lex ista es profecta sive à sinu
 sive ab ore Patris tui , quia quodcumque
Milar. sit illud , ab homine dici non potest. Lex
 Moïsis , *lex Dei* quidem , *sed non lex oris
 Dei*. Tu verò qui Verbum es Patris tam
 æternum quàm ipse qui loquitur æter-
 nus est , nomen habes legis , sed fons es
 & origo sapientissima omnium legum.
 Tu lex oris , quia lex veritatis , quæ aper-
 ris os mutorum ; cujus qui non est parti-
 ceptus , tacere debet , quia magno suo pe-
 riculo mendacium loqueretur ; cujus qui
 particeps est , fortè adhuc foelicius tacet ,
 ut loquente securius fruatur , & totus
 audiat , unde exultet & beatus sit.

S O L I L O Q U I A. *Bonitatem.* 175

Bonum mihi lex oris tui. Quis explicet quod sit bonum, quod ipsum bonum est; & cujus societate alia omnia bona sunt. Væ hominibus aurum & argentum aliquid esse ducentibus, & opera, seu verius errorem hominum, præferentibus veritati Dei. Quæ amentia similis esse potest amentix huic infinitæ? Deus ipse qui alios patres facit, generat & Pater est, Verbumque quod generat simile generanti est: & quicumque ejus particeps esse potest, similis Deo est.

Quàm admirabile Verbum quod Deus tantum loquitur, quod ipsum quoque Deus est, & quod qui audiunt dii fiunt; quia solvi non potest scriptura quæ Deos vocat ad quos hic sermo factus est. Quid foelicius hominibus quorum hoc Verbum foelicitas est? Sed quid iisdem stupidius aut miserius? Terra parit in tenebris nescio quem pulverem terrenum: quid enim aliud quàm terrenum parere potest? Partum hunc ratione carentem & vitâ, maximamque hominum partem vitâ ipsâ privantem & ratione, homines præferunt vitæ & rationi æternæ quicumque dicere non possunt cum Propheta; *Bonum mihi lex oris tui super millia auri & argenti.*

Ψ. 73. *Manus tuæ fecerunt me , & plas-
maverunt me : da mihi intelle-
ctum , & discam mundata tua.*

SE C U M locutus Propheta de utilita-
te legis tuæ , nunc tecum loquitur , &
gratias agit ob magnam corporis nostri
utilitatem. Atque ita nos docet commo-
dum esse secedere à turbâ & consuetudi-
ne aliorum , ut nobiscum ipsi versemur
loquentes in nobis ipsis ; quod ipsa hæc
secum loquentis solitudo , sit quædam
veluti schola & exercitatio orationis ad
quam facilè convertitur.

*Bonum mihi lex oris tui ; manus tuæ fece-
runt me.* Reverà , Domine , nullum be-
neficium tuum prætermitti debet , quod
sua gratiarum actio non comitetur. Si
panem corpori necessarium submini-
strantem laudare quotidiana consuetudo
est à mensâ surgentibus , quantò magis
convenit gratias tibi agere ob corpus ip-
sum , quod quamvis animæ nihil simile
habeat , sitque naturæ non convenientis
& diversæ , vocatur tamen in operis præ-
stantissimi societatem , quâ nulla arctior
& mirabilior esse possit.

Ex animâ & corpore tam diversis id
emergit quod non diversum sed unum
est , ut imago excellentissimæ unitatis

SOLILOQUIA. Bonitatem. 177
tuæ haberetur , & facilius Deum & hominem unum Christum crederemus, cum dubitare non possimus in nobis ipsis naturas tam discrepantes animæ & corporis in unum hominem coaluisse. Sic tu regis Ecclesiam tuam quomodò ipsi carnem nostram regere deberemus ; & naturalis hæc necessitudo , singularisque colligatio quâ anima & corpus inter se vinciuntur , tantùm imago est & repræsentatio quædam perfectissimæ charitatis quâ Ecclesiam Sponsam tuam complecteris.

Non miror ergo corpus hominis manus tuarum privilegio gaudere , cum res cæteras & quorumlibet animalium corpora tantùm jubendo creavisses. Hic honor habebatur carni quam assumpturus eras ad redemptionem carnis nostræ. *Manus tua fecerunt me* , quia tibi aliquando accommodaturus eras manus meas.

Da mihi intellectum , ut in corpore meo intelligam quantâ religione uti debeam membris quæ sunt membra Dei ; & similiter intelligam in corpore tuo , ad quantam gloriam evehendum est corpus meum. *Da mihi intellectum hunc* , Domine ; & omnia mandata tua facilè implebuntur , cum cogitavero societatem corporis tui quod pretium est redemptionis meæ , remedium mortis meæ , & alimentum vitæ meæ.

Nunquid non, Domine, spiritus tuus ipse est intellectus meus? Quemadmodum enim absque intellectu meo comprehendere non possem res humanas, sic neque divinas comprehenderem, si deesset spiritus tuus. Nemo enim dicere potest nisi in Spiritu JESU ipsum nomen JESU. Nemo aliquid potest absque hoc Spiritu in quo omnia potest. Da mihi ergo intellectum hunc veritatem intelligentium in spiritu veritatis; & cetera mandata tua discentur, quia ipse per quem implentur.

ψ. 74. Qui timent te, videbunt & letabuntur; quia in verba i supersperavi.

EODEM intellectu quo caput sum comprehenditur, indigeo & membris, ut similiter comprehendant. Si enim vel in Sacramentis tuis non pdest quod videtur, sed quod creditur cum *caro non profit quidquam*: quanto magis locum id habet in membris, quae cum per se non sancta sint, tantum capite consequuntur ut utilia esse possint. Da mihi ergo fidei intellectum, ut cum Prophetam tuum videro in Psalmis qui cantantur, in quibus adhuc cernitur, aut cum videro aliquem ex membris tuis

SOLILOQUIA. *Bonitatem.* 179
diligentibus nomen tuum, ipso visu accendar & ipse ad diligendum; ut sic videndo & diligendo lætetur cor meum.

Qui timent te, videbunt me, & letabuntur. Non privetur voluntate labiorum suorum. Voluit videri, ut timereris & amareris. Quomodo enim lætaremur, nisi amaremus. Da nobis ergo quod piè optavit. Da nobis christianos & invisibiles oculos, quibus illum & alia membra corporis tui intueamur ad salutem.

Non parva res est videre christianum; sed si christianè videatur, & tu in eis videaris. Non esset quod lætaremur, si tantum hominem videremus. Nonne & ipsi homines sumus? Nonne & alii similes nostri, & ipsi circumdati infirmitate, si tantum homines? Non prodest ergo videri illos, nisi id videamus quod supra hominem est, & quod solus homo, aut in solo homine videre non possit.

Piè videam fratres meos, Domine, ut sanari possim cum videro. *Quod foris est nihil prodest, quod intus est sanat.* Ambros. Cur hæremus in sensibus, cum tantum fide corda mundentur? Videntes quidem salvamur, sed credendo & non videndo. Videam fratrem, sed te Dominum meum & Deum meum intelligam in fratre. Nullum sit ex membris tuis quod cum tacitâ quadam admira-

tione & interiori gaudio cordis mei non videam. In quolibet membro agnoscam caput. O me modicæ fidei christianum, imò & nullius. Ecce sufficit fimbria ad sanandos vel maximos morbos, etiam Christo aliud agente, & ut ita dicam nesciente, ut jam non dubitemus de efficaciam membrorum, quamdiu non usurpantur tantum sensibus, sed fide creduntur.

Videam igitur, & credam. Videam *timendo*, quia video judicem meum sub his fidei velis latentem. Sed videam etiam *latando*, quia hic à me videri vult ut absolvat reum, & sanet ægrotum. Hæc fiducia mea, hoc gaudium meum, *quia in verba tua supersperavi*. Sit magna spes, quia magna est salus. En sanas nos morte tuâ & vitâ tuâ. Sanas ipso corpore tuo quod assumpsisti, & omnibus membris tuis. Sanas cum diligeris; quid dulcius? cum tangeris, quid proximius? etiam cum videris, quid facilius?

ψ. 75. *Cognovi, Domine, quia æquitas iudicia tua; & in veritate tuâ humiliasti me.*

NON sicut divitiæ sperantur, aut cætera huiusmodi, ita & tu speraris, Domine. Neque enim istâ spe sæculi

SOLILOQUIA. Bonitatem. 181
culi quidquam comparari potest; quin torquet sperantem, & sollicitum reddit, auctisque curis molestas excitat perturbationes. Sed cum teipsum speramus, & quæ æterna sunt, proficimus sperando; & spe ipsâ jam beati sumus, ut ea ipsa quæ sperantur ideò eveniant quia sperantur. Non tantùm incipimus esse beati cum in te speramus, sed istâ spe etiam beatitudo comparatur; quod spei tuæ singulare quoddam privilegium est. Hæc beata spes oculos Prophetæ aperuit; & sperando factus doctior, justitiæ tuæ scientiam affecutus est.

Cognovi, Domine, quia æquitas judicium tuum.
Magna hæc & foelix scientia, quam qui adipiscitur, non tantùm eruditus, sed justus est. Et hominum quidem judicium justitiam amantium justa esse possunt; sed ipso justitiæ & æquitatis nomine censeretur aut appellari non debent. Sufficit hoc si is qui judicet justus, & id quod judicat justum sit. Sed tu, Domine, non tantùm justus, sed ipsa justitia es: & quod judicas, non tantùm æquitatis plenum, sed ipsa æquitas est.

Cum judicat justitia, quod judicatur etiam justitia est, & origo justitiæ consentientibus. Ecce si in reum ferat sententiam judex, quamvis ille justam esse fateatur, non ideò non moritur, aut

poenæ non obnoxius est ; quia justis tantum , nonverò justitiæ ipsius judicio se subdidit. Sed cum tu ipse judicas nos , & judicia tua quæ ipsa æquitas sunt amplectimur justitiæ assentiendo , justis esse incipimus , & ideò absolvimur , liberi à poenâ quæ debetur injustis , & quæ injustitiæ semper connectitur. Valdè ab injustitiâ remotus est qui *cognoscit quia æquitas judicia tua* : cum enim in ipso justitiæ sinu quiescat quæ illi ita placet , quomodo in injustitiam laberetur ?

Cognovi , Domine , quia æquitas judicia tua ; & in veritate tuâ humiliasti me. Ab æquitate ad veritatem facilis transitus , & via naturalis , nec impedita. In tenebris manere non potest , qui punienti se justitiæ subditur. En fruitur veritate , qui justitiæ honorem detulit. Sed quàm hoc verum , Domine , quod in scripturis tuis legitur : *Qui addit scientiam , addit & laborem.* Cùm veritatis luce Propheta perfunditur , se nihil esse perspicit. Cùm te intuetur , seipsum erubescit , & tenebras suas in luce tuâ jam cernit manifestas.

Eccle. 1.
28.

Non ergo putent se versari in luce veritatis , qui sibi placent. Falluntur certè qui superbiunt. Veritas tua , Domine , humiliat nos : ergo mendacium nostrum

SOLI LOQUIA. Bonitatem. Id est quod inflat nos. Ergo ut humilitas signum est veritatis & scientiæ, ita superbia signum erroris & imperitiæ: *In veritate tuâ humiliasti me.*

ψ. 76. *Fiat misericordia tua ut consoletur me, secundum eloquium tuum servo tuo.*

JUSTITIAM & veritatem quæ inter se humilitate junguntur, qui aliud quàm misericordia sequeretur? Et quomodò non sequeretur, cum oratio tam efficaci postuletur, præmissis tot virtutibus, quibus nunquam misericordia deesse potest nec consolatio? Qui enim justitiam amat, habet ille semper unde gaudeat & se consoletur, quia nunquam deficit quod amat.

Eadem veritatis ratio, perpetuâ consolatione confirmantis amatores suos cum nullum sui damnum ipsa patiatur quo tantum inimici afficiuntur. Humilitas quoque semper suos consolatur. Nam aut rebus ipsis, si secundæ sint adjuvantur; aut si adversæ, in ipsâ hac humilitate quæ illis placet tuti requiescunt. Numquam illis malè esse potest, quorum iudicio benè est etiam cum affliguntur; quòd se omnibus poenis dignos arbitrentur.

Fiat misericordia tua ut consoletur me ; secundum eloquium tuum servo tuo. O beatam misericordiam , quæ veritatis est ! Quid enim eâ firmitus , quæ Verbo tuo innixa est ? Da mihi , Domine , misericordiam hanc , quæ à veritate profecta & eloquio tuo , in veritatem ipsam desinat ut nunquam desinat. *Fiat misericordia tua ut consoletur me ;* & nihil me aliud consoletur , quàm misericordia tua. Infoelix consolatio est quæ reum non absolvit , mox in tanto supplicio moriturum. Quid jam poenæ addictum consolabitur , inter ipsas carnificum manus catenis onustum ? quamquam catenarum nostrarum nexus non ita difficiles , qui moriendo solvantur cùm se eos magis astringere arbitrantur inimici ; & mors ipsa non gravis , quæ vitæ beatæ & veræ initium esse potest. Sed quæ consolatio in perpetuis vinculis , & in verâ morte adhibebitur , nisi transeat , ut non sit æterna ?

Fiat ergo misericordia tua ut consoletur me. Non multum opus hominum misericordiâ , ab his malis tantum nos forte eripientium quæ nec vera sunt , & statim finiuntur. Sed tua misericordia prorsus mihi necessaria est , me à maximis malis eripiens & æternis. Quæcumque sit felicitas , nulla consolatio vera esse potest absque misericordiâ tuâ in falsis

SOLILOQUIA. *Bonitatem.* 185
bonis quæ sunt momentanea , & in ve-
ris malis quæ æterna sunt. Sed si mise-
rearis ; vel in maximis adversitatibus
quæ putantur , non deest vera consola-
tio ; quia mala ipsa quæ patimur , præ-
terquam brevia & parva , maximorum
bonorum causæ sunt te amantibus , &
ideò consolatione non carentibus. Non
enim sola spes consolatur nos : sed nul-
la major consolatio quàm amantis & pa-
tientis , si pro hoc ipso patiat quod ab
eo ardentè amatur. Amen.

ÿ. 77. *Veniant mihi miserationes
tuæ , & vivam ; quia lex tua me-
ditatio mea est.*

NON una misericordia , nec semel
poscenda est homini tam misero ,
ut qui omnibus miseriis subditus sit ,
aut omnes expectet. Nulla pars animæ
meæ & corporis mei , quæ pluribus mor-
bis non urgeatur. Sed cùm in eos pec-
cando inciderim , omnisque ista ægritu-
do peccato contracta sit , adversum me
provocat justitiam punientis.

Ecce , Domine , unoquoque morbo-
rum meorum morior ; & propemodum
infiniti sunt. Non una mors timetur ;
nec unum remedium expectetur. *Ve-
niant mihi miserationes tuæ.* Ut malum non

fit potentius remedio , tot misericordiis opus est quot sunt morbi. Ipsi accusamus nos ægrotando : tu causam nostram tuere miserendo.

Ipsi mortis nostræ causa sumus manus inferendo violentas vulneribus jam periculosis : ipse causa esto vitæ nostræ impetum furiosorum coercendo , ipsumque furorem sanando , & vulnera quæ furor inflixit. Quod meum est præstiti, moriendo ; præsta jam quod tuum est, revocando ad vitam.

Veniant mihi miserationes tuæ , & vivam. Nescio enim an vita hæc , quam nunc dego toties mortuus , & tot mortis periculis anxius , aut , quod pejus est, nec anxius , vita dici potest iudicio ipsius vitæ. Tunc *vivam* tantùm , cum mihi venerint miserationes tuæ , & cum ibi abundaverit gratia ubi peccatum abundavit. Nunquid vita esse potest in abundantia mortis , nisi mors expellatur , ut vita regnet quæ penè morti servit , & gemit? Quod possum , jam vitam cogito ; & requiro absentem , cùm præsentem nondum fruor. *Hæc meditatio mea est.* Cogito mortem meam , ut non amplius moriar. Spero me victurum , ut vivam.

Tam vita es , Domine , ut cùm spiritu tuo movente cor , mortem nostram, hoc est peccatum nostrum cogitamus ,

SOLILOQUIA. Bonitatem. 187
ipsa ejus cogitatio ad vitam convertatur, quia à vitâ est. Sine te, vitæ meditatio valet ad moriendum & peccatum: tecum verò, & cum misereris, mors ipsa servire cogitur vitæ, quod legis tuæ beneficium est. Etiam, Domine, sit semper meditatio mea lex tua, ut vivam. Quomodo enim vita, quæ maximè pertinet ad voluntatem, in eâ secura esse posset, si mentem ipsam, quæ voluntati proxima est, vanitate occupari contingeret?

Ut amem quod sanctum est, hoc me cogitare oportet quod verum est. Mendacium ipsum & quidquid mendacio jungitur, ab intellectu expellatur, & nullum in eo locum inveniat; ut cupiditas quæ favet mendacio, & cui favet mendacium, similiter à voluntate expellatur.

Vivat voluntas amando te, quæ velut moritur aliud amando. Vivat mens cogitando te, quæ sæculum cogitare non potest, quin hac suâ pravitate torqueatur. Ut totus vivam, Domine, totus te fruam. *Veniant mihi miserationes tuae & vivam; quia lex tua meditatio mea est.*



ψ. 78. *Confundantur superbi, quia injustè iniquitatem fecerunt in me: ego autem exercebor in mandatis tuis.*

EX meditatione legis, zelo Dei accensus est. Non enim hæc odii verba sunt, sed amoris. *Confundantur superbi.* Prorsus confundentur. Nihil magis timent, quia superbi sunt. Et hoc ipsum quod timent, ipsâ vitii hujus necessitate eveniet ut superbis. Confunduntur, quia te non amant. Confunduntur, quia non meditantur in lege tuâ. Confunduntur, quia moriuntur. Fieri non potest ut fugiant infamiam, qui mortem fugere non possunt; aut ut fugiant mortem, qui vitam non amant, nec meditantur in lege veritatis, solo delectati mendacio.

Ecce cum persequuntur me, quid aliud quam confunduntur; cum in me nihil oderint præter virtutem, quæ donum tuum est. Quod in me diligis, hoc oderunt. Quod in illis odisti, hoc diligunt. Unde vis ut erubescamus, inde gloriantur. Unde vis ut gloriemur, inde erubescunt.

Quomodo ergo non confunderentur superbi, toties tibi contrarii, & verita-

SOLILOQUIA. Bonitatem. 189
tis inimici, quæ sola non confunditur?
Confundantur superbi, quia injustè iniquita-
tem fecerunt in me. Injusti sunt, quia su-
perbi sunt.

Ego autem exercebor in mandatis tuis. Do-
mine, ne sequar pereuntes. Ipso eorum
exemplo utar ad emendationem vitæ
meæ. Superbi sunt: humilis sim. Hoc
mihi in lege tuâ magis placeat, quod il-
lis magis displicet. Opponam me illo-
rum superbix, humilitate, non super-
biâ; & cum fastum oculis tuis displicen-
tem damnare oporteat, non alio fastu
damnetur. Non exercebam in mandatis
tuis, si quod in illis fugiunt, simili super-
biâ fugerem. Contraria via ita tenenda
est, ut errorem pereuntium vero odio
aversatus, non minus vero amore conjun-
gar errantibus.

Hoc enim præcipit lex tua quæ in-
iquitatem damnat, & servari vult cha-
ritatem, quæ nisi servetur, nec damna-
tur iniquitas. Omnia ab amore præstan-
tur, & id etiam quod odii est. Ut igitur
possim odio habere superbiam, da mihi
ut amem superbos; quos si oderim, ip-
sam convincor amare superbiam, quam
damnare gloriabar. Nonne hoc jubes,
cum imperas ut exerceamur in manda-
tis tuis, quorum omnium unus hic est
finis, ne charitatem deseramus, quæ om-

nes diligit; nec humilitatem, quæ neminem damnat.

ψ. 79. *Convertantur mihi timentes te, & qui noverunt testimonia tua.*

SOLUS amor privatus, & tantum noster, in vitio est; cum nihil amore sanctius esse possit. Dummodò me non amem, benè amo. Dummodò me oderim, benè odi. Libera me, Domine, ab amore meo, & securus sum. Si superbos odi, non mihi sed tibi; si displicent, tui amore non mei. In aliis qui amandi sunt, eâdem charitatis securitate versabor. Benè amabo, si benè odi. Non erit ergo quod timeam usurpare quod à Propheta dictum est: *Convertantur mihi timentes te.* Utilitatem enim meam non quæro, sed tuam. Volo amari, sed ut ameris. Ipso eorum timore delector quo te colunt. Meos esse cuperem quia tui sunt, & ut conjunctis affectibus ad majus charitatis incendium omnes simul tui simus.

Non quæro ut ad me convertantur, nisi ut ampliori lucro, majorique amoris incitatione, ad teipsum convertantur. Charitas enim tua, aliorum emolumentis dives, & charitatis fraternæ fructu velut impinguata, jucundius ad te re-

SOLILOQUIA. *Bonitatem.* 191
vertitur, & magis tibi placet, cum non
sola est.

Convertantur mihi timentes te. Zachæo
staturâ sed non virtute similis, quia *pu-*
illus sum, non queo ascendere altiùs &
videre Dominum meum, nisi, aliis qui
timent te velut se adjungentibus, & ip-
so amore levantibus quo nos comple-
ctuntur, incremento charitatis alienæ
utar ad ascendendum, & ipse quoque
videre possim J E S U M.

Ita *convertantur mihi timentes te*, & *qui*
noverunt testimonia tua, ut communicatis
mutuo amore utilitatibus, qui amant
magis ament, & qui cognoscunt, auctâ
quoque amando scientiâ, perfectius &
ipsi cognoscant.

An adhuc fortè alia mens est Pro-
phetæ, & tua? Adjuva me, Domine,
ut piè investigem. Sunt qui timent te,
sed privantur scientiâ, nec versantur in
scripturis, quas non intelligunt. Sunt
qui noverunt, & quamdam scriptura-
rum scientiam fortè consecuti sunt, sed
non timent te; & quod legendo nove-
runt, vivendo ignorant, magno utro-
rumque periculo. Nam qui timent & te
quærent, si occurreris, cum illis sis in-
cognitus, si quid in veste aut in inæssu
displiceat, fortè averfabuntur, & se
conjungent alienis. Rursus aliis qui te

192 PIA IN PSAL. CXVIII.

norunt , sed non timentibus , quid prodest inutilis scientia , cum te nunquam inveniant , quia nec quærunt ? Si timerent te qui jam cognoscunt , salvarentur. Si utili timori jungeretur scientia , neque isti errarent. Utrique ergo ad te convertantur , & perficiantur ; quia virtus tantùm inchoata , si non proficiat , nec adjungatur quod deest , non convertitur.

ψ. 80. *Fiat cor meum immaculatum in justificationibus tuis ; ut non confundar.*

SERVA tibi cor meum , Domine ; nam reliqua omnia occupavit inimicus. *Foris pugna , intus timores.* Falluntur sensus , & fallunt. Urget mundus , & se ostentat oculis mirantibus , & jam suis. Caro penè extorquet assensum ; & ipsâ propinquitate , quâ carere non possumus , molesta est. *Scio quia non habitat in carne mea bonum : sit saltem cor meum immaculatum.* Infirmiorem carnis emendet sanitas cordis.

Rom. 7. 24. Sed *infelix ego homo ;* nec cor ipsum est sanum. Ut vita ejus perfecta sit , moriendum est. Non audeo igitur petere à Domino meo cor omni ex parte immaculatum. Nihil deerit sanitati , cùm nihil deerit charitati. Sed in hac ter-

SOLILOQUIA. Bonitatem. 193

râ morientium, etiam vita ipsa morti proxima est, & periculum est ne moriatur. Cùm tam facilè refrigerescit **charitas**, numquid perfecta est? Hinc *si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.* 1. Jo. 14. 8. Si in nobis peccatum est, cor ergo non immaculatum est. Sed hoc mihi, Domine, concede, ut *sit immaculatum in justificationibus tuis.*

Tua est justitia; nec eam largireris nisi tua esset; nec eam acciperemus, si nostra esset. Tunc nostram reddis, cùm largiris. Largiris, cùm dono gratiæ tuæ facis ut cognoscatur veritas & ametur. Hæc justitia servorum tuorum, cognoscere & amare Dominum suum. Hæc justificatio Domini mei, hanc in nobis justitiam operari, per *spiritum tuum qui datus est nobis.* Rom. 5. 5. Si ergo nec cognoscimus te, nec amamus, injusti sumus.

Væ non cognoscenti tantam lucem, quæ ignorari non potest. Væ non amanti tantum bonum quod solum amandum est. Hoc timeo, Domine, ne sensim decipiat vanitas, & refrigerescat **charitas**. Quam facilè extinguitur, cùm refrigerescit.

Quis ignem vidit refrigerescentem? An fortè jam extinctus est, cùm lethale hoc frigus percipitur? Tu scis, Domine, ego nescio. Tantùm libera me à tam

194 PIA IN PSAL. CXVIII.

præsenti periculo. Nec cœcum sit cor,
nec frigidum. Non erret, sed amet.
Nihil in me veritati resistat, nihil
charitati adversetur; ut sit cor meum im-
maculatum in justificationibus tuis.

Hæc salus mea, & vita cordis mei.
Cor enim meum vivere non potest, nisi
ex vitâ ipsâ Domini mei. Quidquid
minus est Domino meo, mihi non suf-
ficat ut vivam. *Deus veritas est*; nunquid
non veritate vivo, cùm vivo? *Deus cha-
ritas est*: nonne & ipsa est alimentum
cordis mei? Vita mea, Deus meus. Ni-
hil ergo noceat vitæ meæ, & sit cor meum
immaculatum in justificationibus tuis, ut non
confundar. Prorsus confundor, si non
amem. Prorsus non confundar, si amem.
Quid enim potest obesse amanti te, aut
quid prodesse non amanti?

1. Joan.
5, 6.
1. Joan.
4, 8.





ψ. 81. DEFECIT in salutare tuum anima mea, & in verbum tuum super speravi.



UAMDIU sto in me, & non sto? Da mihi gratiam perfecta desperationis, ut des gratiam perfecta spei. Nil de me sperem, ut

Quid in te stas & non stas? August. Confes. Spem faciat summam tuam desperationem summa. Gerson. Aug. hic. Ambros. hic. Ambros.

de te omnia sperem. Utinam, Domine, deficiat in salutare tuum anima mea, ut non deficiam. Da mihi bonum hunc defectum, qui non finis amoris sed incrementum est; qui infirmitatem non parit, sed robur conciliat, qui Christo conjungit. Deficiam, meipsum abnegando; ut renovari possim tibi adhærendo. Deficiam, Domine, non amplius mihi vivens, ut tibi vivam. Deficiam, amittens quod meum est, & accipiens quod aeternum est.

Quis liberabit me de malo meo, ut fruam bono meo? Quis prohibebit ne inveniam me, ut inveniam te? Gratia Domini nostri JESU Ghristi. A meipso liberari, non est opus meum. Ut nobis moreremur, mortuus est Filius tuus. Da nobis ergo Filium tuum, & sufficit nobis. Ut deficiat in salutare tuum anima mea,

Rom. 16. 20

196 PIA IN PSAL. CXVIII.

cum sit opus salutis , ab eo est qui salutem operatur: Da mihi hoc *tuum salutare* in quod deficiam & per quod deficiam. Desiderium Christi tui aliud omne desiderium absumat , quo mundo vel mihi ipsi conjungar. Ut sim vir *desideriorum* , quod ad defectum hunc optimum, & perfectentem animam necessarium est, nihil cupiam , & sim antea vir nullius desiderii.

Daniel.
9, 23.

Cogitationes meæ tam diversæ à tuis , & *que separant à te* , sint procul à me. Pereat cor humanum cum humanis affectibus , ut melioribus impleatur , & fiat cor divinum. An hominem , Domine , absque ullâ cogitatione & ullo amore relinqueres , cujus natura est cogitare & amare? Fieri non potest. Nec seipsum nec mundum amanti , succedet amor tuus , ut amet te qui nihil amat. Quidquid rerum transeuntium vanitate non impletur , implet veritas. Cor vacuum esse non potest ; exinaniatur ergo , ut impleatur ; & prior deficiat anima mea , quia corpus regno Dei mei subditum esse non potest , cui anima ipsa subjici noluerit. *Deficiat igitur in salutare tuum anima mea* , ut sim tantum Dei mei , & non sim meus.

Sap. 1, 3.

Quid mihi cum phantasmatibus perituris , & cum figurâ mundi transeuntis , qui æternus sum , si voluerim? O...

SOLILOQUIA. Defecit. 197

quid aliquando desinet, esse desinat in corde meo, & jam non sit quod non erit; ut nihil obstrepat cordi meo, fruenti Deo suo, & totum se in ejus sinum conjiciat.

Ad hoc tende, anima mea; hoc spera; sed magnâ spe & ardenti, quæ maximo bono respondeat. *Plus spera, quia* Aug. hic *plus futurum est quam dici potest.* Tanta sit spes, quanta res futura est. Non enim tantum in Verbum Dei mei sperandum, sed *supersperandum* est, ut & ipse dicere possim: *Et in verbum tuum supersperavi.* Amen.

ÿ. 82. *Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes: quando consolaberis me?*

DEBILITANTUR oculi corporis mei diuturno intuitu. Visione ipsâ, si perseveret, acies videntis infringitur; & nisi cessaret à videndo, non videret amplius. Hinc clauduntur, ut frustra non aperiantur; & hic palpebrarum usus, oculos lumini abscondentium.

Longè alia ratio oculorum cordis mei, quos illi ad videndum te largitus es. Quantò magis vident, tantò aptiores sunt ad videndum. Actione ipsâ confirmantur, & invalescunt. Solum illis no-

cet non videndi otium ; & si nunquam clauderentur , nihil esset perspicacius.

Hoc tu fecisti, Domine; & hoc tuo amore dignum est. Noluisti videri semper creaturas, quod sæpè conjunctum est cum periculo videntium. Hinc non sufficiunt oculi operi minùs necessario. Sed cum semper à nobis videri velles, quod nobis necessarium est, oculos dedisti cordi videnti te, quorum hæc natura est, ut non tantùm non fatigarentur videndo, sed etiam perficerentur.

Huc accedit, quod oculi corporis cum deficiunt nihil amplius cernant, cum oculi cordis nunquam videant acutiùs, quàm cum videndo deficiunt, foelici illo defectu in quo tibi perfectius aperiuntur, & tantùm mundo clauduntur. Deficiunt quidem creaturis, quas videre non sustineant, cum te viderunt; sed tibi non deficiunt quos perficis: aut si deficiant, quia *sabbatum sanctum est & gloriosum* contemplantis, vacant ideò, ut dent locum ad altiora evehenti, & tu ipse sis oculus videntium.

Quis mihi det, Domine, ut & ego dicere possim cum Propheta tuo: *Defecerunt oculi mei in salutare tuum?* Quando ita amabo Dominum meum, ut rapiar ad verbum ejus, silente verbo cordis mei, ut tantùm loquatur Dominus

S O L I L O Q U I A. Defecit. 199
 meus, & ego non loquar? Quis silen-
 tium imponet tumultuantibus curis,
 & cogitationibus meis obstrepentibus
 cordi meo, & pacis tuæ concentum im-
 pedientibus? Deficiat anima mea desi-
 derando te: deficiant omnia desideria
 ejus, ut tu sis desiderium ejus, & amor
 ejus. Sed *deficiant etiam oculi in eloquium*
tuum, ut non tantum charitate accenda-
 mur; sed veritate, vel ad momentum co-
 ruscante, illuminemur. *Veritas enim & S. Bern.*
charitas, utraque facit extasim.

Consuetum cogitandi modum supergredi,
 & à meipso exire non postulo, nisi ut
 hnegem me, & vincam hostes tuos qui
 lversum me consurgunt. *Quomodo enim S. Bern.*
miatur tentatio, ubi nec vita sentitur? No-
ambulare in magnis, sed consolationem Pf. 130
æro tantæ infirmitati necessariam.
hæc sit vox cordis mei: quando consola-
ris me tot morbis & tot hostibus penè
edentem.

Da mihi consolationem hanc chari-
 tatis tuæ & veritatis. Nihil potentius
 consolatur. Illam frigidè optamus: ar-
 dentius quærunt, qui expediuntur. Si-
 tiunt foelicius & amplius, qui jam bi-
 bunt.

ψ. 83. *Quia factus sum sicut uter in pruina; justificationes tuas non sum oblitus.*

CO R I A quibus tectæ sunt ani-
mantes, licet frigori objecta, ha-
bent tamen à sanguine & visceribus ipsis;
undè incalescant: sed cum mortuo ani-
mali pellis detracta est, & in utrem con-
versa, hyemis tempore tota frigida est, &
nullam habet partem caloris. Miserere
mei, Domine, quia *factus sum sicut uter*
frigido cœlo, & *in pruina*. Foris frigus
intolerabile, quia *refrigescit charitas mul-*
torum & scandala crebescunt: intus ve-
rò, totus periculofiori frigore obrigesco.
Nihil in me caloris tui, Domine; &
scio quia non habitat in carne meâ bonum. Si
non habitat bonum, ergo abest ab eâ
calor tuus. Si solus ignem venisti mit-
tere in terram, si neque à meipso neque
ab aliis aliquid caloris mutuari possum,
ergo *factus sum sicut uter in pruina*.

Matth.
24. 12.

Rom. 7.
28.

Libera me, Domine, à pruinis ex-
terioribus. Satis est mihi frigus meum.
Pigro frigore torpentem, saltem fratres
mei calore suo foveant ad vitam, &
erigant deficientem. In me est, unde
mорий; sit in aliis, unde vivam. Ædifi-
care non possum; saltem ædificer. Cur

SOLILOQUIA. Defecit. 201

eodem tempore propriâ & alienâ infirmitate laboramus? Nunquid non sufficit mihi domesticum frigus, ut accersam peregrinum? Ne me objicias, Domine, isti pruinae imparatum. Cum aquilonem perflare placuerit, da caloris abundantiam in corde amantis, quo vincatur frigus externum. Cum apud me hyems erit, sit apud alios æstas quæ periclitanti opituletur. Cum infirmus fuero, sint alii fortes; ne *si invicem mor-* Gal. 5. 15
demus, aut, quod ad periculum satis est, non supportamus invicem, *ab invicem consumamur*. Si pruina est, non sit uter vacuus. Si adhuc uter est, & per se friget, non sit pruina quæ augeat periculum.

Verumtamen *confitebor Domino misericordias ejus*. Ita enim *justuses in omnibus viis tuis*, ut *superexaltet misericordia judicium*. Non sola æstas Dominum laudat: etiam *grando, nix, glacies faciunt verbum ejus*. Etiam *pruina benedicit*; & nostris & aliorum malis admonemur, ut ad Dominum nostrum confugiamus, & in eo omnis spes nostra sit.

Ecce, Domine, cum sensus pruinae nolestus est, & proprio frigore torqueor, *justificationes tuas non sum oblitus*. Unde hic gemitus meus, si revera gemit corneum, nisi à pruina? Præferam, Domine,

pruinam benedicentem calori non benedicens. Hyems in quâ recordamur tui melior æstate in quâ tui aut oblivisceremur, aut minus recordaremur. Si uter, Domine, dummodo humilis, & conscius infirmitatis meæ. Ita enim nunquam obliviscar justificationes tuas quod sufficit ad salutem.

Ps. 84. *Quot sunt dies servi tui quando facies de persecutoribus meum iudicium?*

CUM non obliviscor justificationes tuas, sed recordor misericordiam Dei mei, *tædet animam meam vita mea, & cupio dissolvi.* Quidquid superesse potest vitæ mortalis, non lætitiæ affert, sed moerorem cogitanti tot pericula hujus vitæ. Et hæc est vox cordis mei ad Dominum meum: *quot sunt dies servi tui?* An adhuc multum superest itineris hujus tam molesti, devorantis ambulantes in eo, & circumsepti latronibus qui nihil aliud quærunt quam ut spolient & occidant. Vita ipsa quâ vivitur contraria est vitæ meæ, & nimis sæpè accidit ut vivendo moriamur.

Quot adhuc sunt dies servi tui? Nil optabilius erit numero finiente hunc numerum. Et revera servus tuus sum, &

S O L I L O Q U I A. *Defecit.* 203

illic esse voluero, ubi est Dominus meus. Sed vae mihi sæpè timenti finire exilium meum, & ideo obliviscenti te. Vae numeranti dies captivitatatis, non desiderio sed timore libertatis. Qui petit exilium, patriam fugit : nec crediderim gratam esse lucem, tenebras præferenti.

Quantum conijcere possum & sperare, aliquid lucis interdum videre mihi videor ; sed statim nox tam densa circumfunditur, ut omnem aspectum eripiat. Longè majorem partem vitæ meæ tenebræ sibi vendicant. Si numerentur dies ætatis meæ, multi dies : si ponderentur, heu me, quam pauci ! Ecce, Domine, in vitâ meâ multum temporis, & parum vitæ.

Quot sunt dies servi tui ? Utinam vel unus. Multum timeo, Domine, cum opera tenebrarum comparaveris cum eâ parte vitæ meæ quæ ad lucem tuam pertinere potest, ne nihil lucis supersit, sed totus à tenebris absorbear, & fiam *sicut abortivus qui non vidit lucem.* Moriar potius, Domine, ne moriar. Nil melius morte, inveniendi te. Nil pejus vitâ, amittenti te. Moriar, certè post mortem non peccaturus. Peccatum quidem tunc vindicari potest, & hoc bonum amanti justitiam tuam ; sed patrari amplius non potest, & hoc optimum. Tunc verius

Tertul. absolvimur, cum adhuc non fumus peccaturi. Tunc gravius damnantur inimici, cum absolvimur. Quo sunt in nos odio, lucrum nostrum damnum est illis. Peccatis nostris quibus damnamur, absovi se putant. Ergo morte nostra, quæ finem peccato imponit, veluti damnabuntur.

Jud. 16, 30. Benefac servo tuo, & vindica te de inimicis tuis dona tua in nobis persecutibus. *Moriatur anima mea cum Philistiim, ut facias de persecutibus me judicium.* Ecce, Domine, illudunt cæcitati meæ & captivitati meæ. Ludus est illis, spectare volutantem se in peccatis, & præ infirmitate collabentem. En de tecto & solario domus velut de superiori loco spectant, & infidiantur. Linguam, sensus, manus, pedes, cor ipsum occupant, saltem transeundo. Nihil mihi in me tutum est. *Moriatur anima mea cum Philistiim, & moriantur. Dissolvatur corpus mortis hujus, & finiatur mors.*

Ibidem.

ÿ. 85. *Narraverunt mihi iniqui fabulationes; sed non ut lex tua.*

MORTEM, Domine, & foelicitatem patriæ cogitanti, quidquid hic placere potest, fabula est. Quas sibi somniant voluptates, in ipso aditu mortis,

tis, & exordio supplicii æterni? Quam gloriam fingunt in dementi ostentatione miseriarum & ignominia suæ? Nescio quas tamen narrant nobis fabulationes, quia fabulis delectantur; & ipsi fabula sunt quam exhibent pereundo in oblectationem inimicorum suorum. Da mihi, Domine, ut non delecter talibus fabulis. Contemnam quod mirantur; & unde gaudent, inde doleam. Mihi fabula sit quidquid non est Dominus meus. Aperi aures quibus audiam verba legis tuæ, ut claudam aures *narrantibus fabulationes suas*.

Quam dissimile spectaculum, audire mundum foris garrientem, sicque perdentem, & audire Deum meum intus loquentem, & salvantem. Væ nobis, Domine. Verba mortis loquuntur, & avidè audiuntur in mortem. Verba vitæ loqueris quæ vitam æternam largiuntur audientibus, & non audiris. Serpentem tam crudeliter occidentem præferimus etiam Agnò tam suaviter vivificanti.

Anima mea, audi semel *fabulationes narrantium*, posthac non auditura. Audi ut contemnas, & suavius audias legem Dei tui. Quid ista dicunt? Ampla domus, pictura excellens, lautum & fructuosum prædium, tituli gloriæ pleni. Quid tum? An frueris quia audis? Et si

frueris, an diu fruéris? An non transeunt ista, & transeundo secum trahunt peritura perituros?

Melius Propheta tuus, Domine; qui ne quidem ista nominare voluerit, & omnia quæ amant isti & mirantur, fabulæ nomine complexus est. O Domine, an comparari potest lex tua tam admirabilis fabulæ isti tam foedæ? Verumtamen comparemus, quia annuis. Lex tua, lex veritatis & amoris. Utinam veritatem tuam satis intelligerem ut mirarer, & nihil mirarer amplius. Ecce si peccaverim & damnet reum, cum consentio justitiæ ejus, veniam impetro. Peccatum meum, Domine, agnosco, & ignoscis.

August.

Non sic judices terræ, *non sic*. Torquent reum ut confiteatur; occidunt cum confessus est. Lex eorum non adimit morbum, & ægrotum ipsum de medio tollit; cum potius ægrum salvum relinquere & morbum adimere debuisset. Sed hoc legis tuæ beneficium est, quâ jubente perit morbus, & non perit ægrotus. Ecce, Domine, cum lex tua suscipit reum, absolvit, præmium reddit & justa est. Cum enim absolvit, justum facit: nec remunerat, nisi antea donum dederit quod remuneraret.

Chrysoft.

Quis intelligat omnipotentiam veri-

SOLILOQUIA. Defecit. 209
tatis liberantis nos , ut confidat & exul-
tet in eâ? Sed transeam , Domine , ad
amorem tuum , quia nimis cæcus sum in
contemplatione veritatis tuæ. Ecce amor
tuus divitias suas ostentat , ut amentur.
O nos foelices ! si amentur , nostræ sunt.
Quidquid tuum est quod amamus , fit
bonum amantium , & omnia tua sunt.

Nihil quod non sit sub potestate amo-
ris. Jus nostrum , jus amandi. Amore
foelices , amore omnia possidemus , etiam
teipsum. Quidquid boni , quidquid vir-
tutis largitus es fratribus meis , si amem
& gaudeam , meum est. Et hæc bona
non transeunt , sed faciunt ut non trans-
eamus , sed sunt æterna , sed reddunt
æternos. Ergo *fabulationes* quas *narrant*
iniqui , non sunt ut lex tua. Verum est hoc te-
stimonium.

*ψ. 86. Omnia mandata tua veritas ;
iniquè persecuti sunt me , adjuva me.*

QUIA beneficio tuo laudare volui
legem tuam , voluisti ut magis à
me cognosceretur. Neque enim magis
cognosci potest , nisi magis ametur.
Scientia quæ amari potest , & quæ vera
est , non est nisi amoris. Hoc ergo reve-
lare dignatus es , legem tuam legem esse
veritatis. Nam quid veritas aliud præci-
peret quam veritatem? K ij

Omnia mandata tua veritas. Rectè.
 Ergo omnia opera tanto imperio & tam
 divinæ authoritati obtemperantium,
 debent esse veritas. Ut obedientia vera
 sit, verum sit opus obedientis. Veritate
 præcipiente, absit ut mendacio obediam:
 absit ut obediendo veritati, confugiam
 ad mendacium. Veritati obediatur, sed
 veritate; ut nihil insit mendacii in ope-
 re, quemadmodum nihil ejus est in
 præcepto.

Omnia mandata tua veritas. Adjuva
 me, Domine, ut confitear tibi, & sa-
 nes me *in veritate tuâ*. Ecce imperasti
 nobis jejunium quod Judæis antea im-
 peraveras. Quod discrimen erit Judæi
 sub lege, & Christiani in Evangelio
 jejunantis? Si jam me judicet veritas,
 & hoc quærat à me: ubi sum in jejunio
 tuo? Ego præcepi ut jejunares: volui
 ut mihi jejunares: ostende me mihi in
 hac virtute meâ. En corticem jejunii sal-
 vum habes, quæro fructum. Ostendis
 litteram, ubi est spiritus?

O anima mea, quid responderes ju-
 dicanti? Aliquid fortè fuerit in hono-
 rem carnis quam assumpsit Verbum.
 Et hoc necessarium erat. Sed ubi ho-
 nor Verbi? Nonne hoc magis adhuc ne-
 cessarium, reddere Verbo quod suum
 est? Si nec carnem deesse oportuit cru-

S O L I L O Q U I A. *Defecit.* 209
ci Domini sui, an cor ipsum deesse oportebat amori, ut excluderet amantem, cum caro nec excluderet crucem? Quàm timeo ne falsa fuerit obedientia carnis crucem ferentis, cum in corde nullum videatur opus amantis.

Domine, verè me arguit cor meum, & non potest stari super hoc. Libera jejunium meum à mendacio jejunantis. Da mihi veritatem: fervet me in omnibus: in nullo opere meo deficit. Ideò *persequuntur me inimici mei*, quia veritate vacuum inveniunt. Si opus veritatis implem in spiritu veritatis, nec accederent quidem; & hoc dicerent Pharaonis sui; *Fugiamus Israel, Dominus enim pugnat pro* Exod. 14, 25. *eo.* Iniquè persequuntur, sed iniquum, quia veritate nec subnixum.

Iniqui sunt, quia in me oderunt veritatem: sed ego justus sim, nunquam ab eâ discedendo. Amem liberatricem meam, vel in pœnis meis; & quidquid imperaverit amem & adorem, quia sanctum. Dignum est veritate, quidquid verum est. Ego tantùm eâ indignus sum, quia mendax sum. Sed in hoc *adjuva me*, ut non sim amplius mendax, ut sint omnia opera mea coram te *in veritate & cha-* 2. Jo. 3. *ritate.* Gemino hoc auxilio innixum nihil vincet, quia Deus meus vinci non potest. Amen.

ψ. 87. *Paulò minùs consummaverunt me in terrâ : ego autem non dereliqui mandata tua.*

NON mirer, Domine, etiam Sanctos tuos in periculo versari. Lex quâ judicamur, veritas est. Quisquis se huic legi comparaverit, si se absolvat, non innocens sed superbus est. *Mandatum tuum veritas.* Nisi miserearis, omnes sub hoc mandato rei sumus. Etiam quos foris absolvere videtur, sæpè intus damnat.

S. Catharina Senensis.

Christiani definiuntur; *Sponsæ veritatis.* Non sufficit sponsæ obedire tanquam Domino, nisi amet tanquam sponsum. Magnitudo amoris tui & beneficiorum tuorum, Domine, si ingrati sumus, auget periculum non amantis.

2. Cor. 6, 14.

Charitas Domini nostri urget nos. Nihil magis timendum est quàm mendacem esse veritati, aut non amare tam amantem. Hoc intelligunt inimici nostri, qui mendacio rerum transeuntium fallunt incautos, & multitudine quâdam negotiorum avocant nos à magno amoris nostri negotio. Hinc *paulò minùs consummaverunt me in terrâ.*

Quamdiu hæremus in infimis, licet inviti, periclitamur tamen. Parum abest

quin pereamus , quamdiu manemus in loco pereuntium , aut miscemur pereuntibus. In terrâ periculum, in cœlo securitas. Sit sursum cor , ne in laqueos incidat venantium. Relictâ conversatione hominum , cum Angelis conversemur , & vincimus. Sed inter hæc scandala versantem *paulò minùs consummabunt in terrâ;* & parum aberit à morte, qui se longius à vitâ sejunxerit.

Sed hoc doce me , Domine , quomodo Propheta tuus *paulò minùs consummatus sit in terrâ , cum mandata tua non dereliquisset ?* Quam mihi timendum sit , admoneat me timor hic sanctorum. Quò me vertam , qui tam sæpè relinquo mandata , cum penè pereant *in terrâ* qui non relinquunt. Heu me ! Parum est non relinqui mandata : toto corde amplectenda sunt. Non sufficit non relinqui veritatem : adoranda est.

Hoc ergo intelligam , Domine , cum periculum incurram , aut cum aliqua ingruet tentatio , aliquid defuisse veritati. Cum labitur infirmitas , antè lapsa est humilitas. Non satis placet veritati, qui non satis constans & firmus est in viâ tuâ. Si desereret veritatem , periret. Si perfectè coleret , abesset ab omni periculo. *Paulò minùs consummari* & perire contingit , cum cultus veritatis paulò

minùs perfectus est, & se vanitas interferit.

Remove à me, Domine, periculum cordis mei. Tremam coram veritate, gaudeam in charitate. Fugiam à terrâ in quâ paulò minùs consummamur, & perimus. Ad cœlum tendat omnis meditatio, in quo vivimus & coronamur. Amen.

ψ. 88. *Secundum misericordiam tuam vivifica me; & custodiam testimonia oris tui.*

TOT peccatis obnoxio, naturâ ob peccatum originis & voluntate ipsâ ferè semper peccanti, nulla deberetur misericordia, nisi infinitæ essent misericordiæ Domini mei, & super omnia opera ejus emerent. In ipso mortis sinu & in morte nascenti cum vita conceditur, hoc tuum unius opus est, quia vita es. Quem veritas ipsa damnat, quis absolveret? *Nihil damnationis estis qui sunt in Christo JESU. Non timeo justitiam Domini mei, si patronam habuero ejus clementiam.* Misericordiam quæro vivificantis, & sufficit. Si vita misereatur, fugiam opera mortis, & salvabitur anima mea.

Rom. 8.
Bernard.

Vivam, Domine, vivam; non quia dignus sum, absit hoc à me, sed quia misereris: *Secundum misericordiam tuam vivifica me.* Si in me vivificarer, in me statim morerer. Ita vivificari, opus mo-

tis : hoc mori esset , non vivere. Vitam quæro à vitâ , & ideò *secundum misericordiam* parentis , non *secundum meritum* morientis *vivifica me*. Quia vitam quæro in tam præsentis periculo mortis , quæro amorem ; quia solo amore vivitur apud Dominum meum , qui *charitas est*.

Domine , inter tot pericula quibus impellor ad mortem , in tot tentationibus quæ fallunt & urgent , inter tot inimicos mortem intentantes vivere non possum , nisi magnam vitæ abundantiam largiaris toties mortuo , & penè semper morienti. Multùm amem te , Domine , ne aliquando moriar. Hanc solam quæro *misericordiam* vivificantis, & sufficit. Ita est, Domine; sufficit vita ut vivam, quemadmodum sufficit mors ut moriar. Unde supervacuum est odium tentantium. Ipse mihi tentator , ipse mihi sufficio ad mortem , & impellunt jam currentem.

Magnâ opus est misericordiâ tam misero. Ita vivifica , & tam multùm infunde amorem , qui tot periculis & internis & externis sufficiat. Da mihi tantam copiam olei tui, ut cum reddiderim tot creditoribus , supersit aliquid undè vivam.

Malè mecum agitur , Domine , si tantum vivificari quocumque modo contingat, & non *secundum misericordiam tuam*, quæ ipsa per se abundat , & ita abundat,

214 PIA IN PSAL. CXVIII.

ut sit *copiosa apud Dominum meum redemptio. Ut custodiam testimonia oris tui, loquere prius in corde meo, ut ardeat. Dixisti ipse, omnia mandata tua nil aliud esse quàm veritatem. Non meipsum decipiam, Domine? legem veritatis verè implet humilitas charitatis. Amem, & hanc legem impleo.*

Nonne fassus sum Domino meo penè me periisse: *Paulominus consummaverunt me. Ut semper non peream, semper amem. Sed ut semper amem, secundum misericordiam tuam vivifica me. Nam misericordia Domini mei æterna est.*

ψ. 89. *In æternum, Domine, verbum tuum permanet in cælo.*

EG O infirmus sum, Domine; sed tu fortis es. Quidni custodirem testimonia oris tui, & obtemperarem legi tuæ, cui cœlum ipsum obsequitur, & cujus vim elementa quoque sentiunt. Cur non potero quod potuerunt omnes qui in te speraverunt? Terra erant; fecisti eos cœlum, eodem verbo quod fecit cœlum & terram; & in hoc cælo quod amoris tui magnificentiam prædicat, *permanet verbum tuum.*

Hujus cœli non alius sol quàm veritas tua, cujus lumine perfunduntur Sancti tui, ut beati sint. Adorant re-

SOLILOQUIA. Defecit. 215
gnantem ; amant coronantem ; laudant
amantem ; & ipso amore quo laudant
foelices sunt , & regnant. Hæc gloria
coeli in quo *permanet verbum tuum*. Eri-
gat me parvulum , Domine , membro-
rum meorum tecum jam regnantium
foelicitas.

Intelligam me vocari ad regnum quod
majus est omnibus regnis ; & piâ humi-
litate mundo superbus , quidquid admi-
ratur despiciam. Quid nocere potest fra-
tri tot regum , à quibus tam amatur ?
Cur timeat rex futurus , si nihil timeat,
& tantum amet Deum suum ?

Multum quidem valet , Domine , ad
omnem spem , societas membrorum Fi-
lii tui in sancto corpore ejus ; sed longè
plus valet capitis ipsius præsentia. O me
jam beatum ! Quale corpus , & quale
caput ! Ego membrum infirmum , cur
non omnia abjicio , ut capiti meo per-
fectiùs jungar , & non infirmer.

*In æternum , Domine , verbum tuum per-
manet in cælo*. O cœlum supra omnes
cœlos ! Quid deesse potest ad victoriam,
pugnanti cum Christo ; aut quid omni-
nò deesse , habenti Christum ? Illum
nobis largiendo , omnia largiris. Væ non
gaudentibus tanto bono , & ideò amit-
tentibus. Væ bonum æternum amore
non æterno colentibus.

Verum est quidem *verbum tuum permanere in caelo in aeternum*, quia quod *Verbum assumpsit*, *numquam dimittet*. Carnis Verbo junctæ divina societas nunquam solvetur. Christus noster æternus est. Id sæpè usurpamus ad scientiam, foelices si ad pietatem usurparemus.

Cur non supra omne tempus spe & cogitatione evehuntur membra capitis æterni? Cur hærent & volutantur in infimis, quorum caput tantæ potestatis gloriâ regnat in cœlis? Ecce *Verbum Caro factum est*, ut *infantia nostra lactesceret*. Ecce cum corpus mortis per se ad vitam non esset idoneum, corpus ipsius vitæ illi conjungitur, ut vivat & beatum sit. En caro mortis per *carnem vitam* mutata est, ut nullâ jam morte superari possent, quibus *verbum tuum vita est*.

En *aperuisti, Domine, thesaurum tuum optimum caelum*, ut *tribueres pluviam benedictionis terra nostra*. Nihil supra Verbum: Nihil ergo optem amplius; quia nihil superest quod optetur. Verbo tuo contentus sim. Sufficit Christus ad omnem foelicitatem. *Verbum permanet in caelo*. Permaneam in Verbo & in carne Verbi, ut *fiam caelum*. *Verbum Caro factum sanat tumorem*. *Caro Verbi nutriat amorem*, quo in caelo permanetur.

✠. 90. *In generationem & generationem veritas tua ; fundasti terram , & permanet.*

CERTUM est, Domine : vinci non potest qui non discedit à Verbo , quia Verbum cui jungitur invictum est. Etiam ipse , quamdiu sum in illo , omnia possum , quia omnia potest. Nemi- ni nocet non esse fortem , sed non spe- rare in fortitudine ejus. Ecce , si dubi- tem , *Omnia quaecumque voluit fecit in caelo , & in terra , in mari & in omnibus abyssis.*

Ecce prior populus salvatus est po- testate regnantis. Ecce posterior salva- tur humilitate patientis. Frustra infre- muit leo , frustra draco insidiatus est ; ubique vincit Christus. O Domine , de me uno non dubitem , cum omnium sit certa salus. *In generationem & genera- tionem veritas tua.* Non hoc primùm tem- pore ad salutem lucere dignata est , ut successus incertus sit.

Nihil veritati nocere potest ; quia qui- cumque illi nocere vult , jam sibi no- cuit ; & ipso nocendi desiderio infirmus , aut potius nullus est , pereuntibus in illius gloriam qui adversus eam insur- gunt. Quid obfuit Pharao consilio Dei liberare volentis populum suum ? Quod

218 PIA IN PSAL. CXVIII.

damnum intulit Judæis transeuntibus mare rubrum? Omnia regna terrarum cesserunt umbris veritatis: an veritatem jam umbris cessuram arbitramur?

Adjuva, Domine, incredulitatem meam.

Matth.
16. 18.

Fundasti terram & permanet. Salus matris, exemplum est sperandæ salutis filiorum. *Porta inferi non prævalebunt adversus Ecclesiam.* Ecclesia enim, Domine, opus Filii tui, opus tuum. Nullâ vi humanâ labefactari potest. Vinceris, Domine, si vincitur. Sed non vinceris. Statim ac terra hæc benedictionis & terra viventium spiritu tuo stabilita est, flaverunt venti, & inundantium fluminum incurfione atque impetu vehementiori agitata crevit ad gloriam, & sanguis Martyrum factus est semen Christianorum.

Tertull.

Credam, Domine, credam veritati tuæ: non me fallit. Præter illam nihil timendum est; omnes vincit, quod est fortitudinis ejus; & omnibus vincit, quod charitatis. Ad regnandum, hoc unum necessarium est, ut regnet in nobis. Fiunt reges quicumque illi piè subduntur.

Amem latentem in Prophetis, ut quærat. Amem lucentem in Evangelio, ut confoletur. Ubique adorem & venerer sive latentem sive lucentem. Etiam

S O L I L O Q U I A. *Defecit.* 219
ejus beneficium est, cùm absconditur;
quia & cùm absconditur, agnosci vult.
Adoret fides latentem. Charitas fruatur
non latente, & in ejus amplexu
adolefcat.

Judæis se obtulerat; sed quia repu-
lerunt, accedat & hæc lucro nostro hæ-
reditas. Hæc olim populo ingrato mi-
natus fueras: *Fructus terræ tuæ, & omnes* Deuter.
labores tuos comedet populus quem ignoras. c. 28.

Hoc imple in nobis. Panem vitæ quem
abjecerunt, in propriis eorum libris co-
medamus, dolentes quod non come-
dant. De thesauro tuo nova & vetera
proferentes, veritati divites simus, non
vanitati. Novum Testamentum Veteri
conjugamus; & spirituali vitâ spiritua-
lem in utroque intellectum assequamur,
ut utriusque generationis hæredes esse
possimus.

†. 91. *Ordinatione tuâ perseverat
dies; quoniam omnia serviunt tibi.*

INTER tot pericula versanti & tam
infirmo multum necessaria spes tua,
quæ firmitatem conciliet adhærenti Deo
meo. Da mihi spem, Domine, non va-
nitate certam, sed charitate; quæ velut
salutis anchora succurrat fluctuanti, at-
que arceat naufragium.

Cur dubitem, Domine? Omnia potes. Valde mihi nocet cum video me & non video te. Intelligam periculum meum; sed intelligam etiam potentiam liberantis. Ideò penè perii, quia cum tantum occupari debuissim Domino meo, tantum occupabar periculo meo. Et periculum, & qui periclitatur, eandem habent perdendi vim. Solus liberat Dominus meus. Cur ergo te solum non cogitamus, cur te solum non quærimus? Benedictus sis, Domine, quod, vel in iis quæ facilia sunt, tam facile erramus, nisi adjuves. Benedictus sis, quod ipsam rerum naturam per te solus administras, nec ad id uteris operâ nostrâ & consilio nostro.

Matth.
55 45.

Ordinatione tuâ perseverat dies. Nihil admirabilius luce. Sed luci sufficit voluntas tua. Nunquid non etiam sufficet luci cordis mei? Qui *solem naturæ oriri facit in terrâ morientium*, idem ille ipse oriri facit solem justitiæ *in terra viventium*. Ne dubitem, *omnia serviunt tibi*. Nihil illi difficile, cui creare est velle creare, & qui cum verbo dixerit, *fiat*, omnia fiunt.

Scio quidem, Domine, & hoc ipse monuisti: qui absque nobis creasti nos, non salvabis nos absque nobis. Liberi sumus. Das quidem salutem, quod tuum est: sed amanda est, quod etiam nostrum

SOLILOQUIA. *Defecit.* 221
est. Diei salutis quam facis ipse, necessarium est cor amantis, & volentis salvari; sed admirabilis hujus lucis etiam opus est, ut velimus. Nam *operaris & velle pro bona voluntate tua*, quæ initium est & causa bonæ voluntatis nostræ. Non lucebis in corde nolentis.

Vult cor meum, ut illi luceas; ipse ego sum qui volo; ipsum est cor meum quod vult, & vult ardentem, si hoc donas; & tamen tu ipse es qui facis ut velit. Nihil certius, Domine, quia dixisti; *Ordinatione tuâ perseverat dies*. De utroque, sive de eo qui videtur, sive de eo qui intelligitur non minus certum, & eadem valet ad utrumque vis veritatis. Non magis soli possumus ut sol Angelorum atque hominum oriatur in cordibus nostris, corde jam corrupto, quàm hoc non possumus ut sol iste animalium oriatur super faciem terræ.

Credo tibi, Domine, mundum hunc universum tam sapienter regenti: cur non credo adhuc sapientius me salvanti? Non despero de die hodierno aut crastino, licet tuum opus sit unius, & ordinatione tuâ perseveret dies: cur misericordiam Domini mei, & lucem salvantem non sperem hodie, & cras, & in æternum? Cum cantavero in Ecclesiâ, *Ordinatione tuâ &c.* exultem in te laudans.

222 P I A I N P S A L. CXVIII.
te, & hoc cantans quia salvas nos.
Amen.

ÿ. 92. *Nisi quod lex tua meditatio
mea est, tunc fortè periissem in hu-
militate mea.*

CUR respiciam in me, cum ipse
me non salvem? *Ad te potius levem
oculos meos*, quia ipse me salvas. Non co-
gitem hominem pereuntem, & vel tunc
magis pereuntem, cum se cogitare vult.
Longè utilius cogitare legem salvantem,
quæ tunc maximè salvat, cum piè cogi-
tatur. *Nisi quod lex tua meditatio mea est,
tunc fortè periissem in humilitate mea.*

Nil verius, Domine. Hoc dicam
Domino meo quod expertus sum, &
quod beneficium est Domini mei. Unum
hoc mihi levamentum in adversis, cum
à meipso & à malis ad impatientiam
urgentibus, quantum possum avocans
cogitationem meam, non illud mecum
reputo quid patiar, sed quid passus es.

Cypri.

Ita est. Nihil intolerabile & non fe-
rendum videri potest, spectanti te pa-
tientem. Crux tua remedium nostrum.
Servat illa vitam membris, quam Ca-
piti in suo amplexu morienti ademit.
Si vitam adversus tot insidias & pericu-
la tueri volumus, ibi nobis vivendum

ubi tu mortuus es. Non tantum cum portatur, quo tempore majus ab eâ percipitur auxilium, sed vel cum usurpatur ad cogitandum, salutaris est. Vel umbra crucis tuæ ad vitam excitare potest morientes vel penè mortuos, si piè acceditur. Hanc cogitem, hanc mediter: & cum aliud meditari oportuerit, in eâ mediter; ut vim salutis sumat meditatio de ligno salvantis.

Nunquid non, Domine, crux tua lex ipsa est amoris tui, quam jubes ut meditemur? Non peribit certè *in humilitate sua* qui illam meditabitur, quia fortitudo est infirmorum. Crucem meditantem & amanti nulla nocebit infirmitas. Et fortè crucis tuæ amor, ipsa fortitudo est in quâ gloriari volebat Apostolus tuus, hujus crucis eloquentissimus prædicator & amator.

Domine, etsi nobis patiendum non esset propter ingentem acervum peccatorum quo obruimur, patiendum tamen esset, si amarem te, quia passus es. Ideò lex est omnibus patiendum, sive innocentes simus, sive poenitentes. Innocenti quidem ad patiendum lex est amoris; poenitenti verò lex necessitatis, sed quæ statim ad amorem adducat, si pati non recusaverit. Justum est ergo ut patiar, quia non amavi te; & adhuc for-

224 PIA IN PSAL. CXVII.

tè justius pati, quia amasti non amantem.
 O me ingratum, si cum passus sis pro
 me licet non amante, ipse non compa-
 tiar amanti & patienti! Non dubium
 hoc, Domine. Crux Capitis, lex mem-
 brorum. Da mihi, Domine, ut medi-
 ter in hac lege amoris tui die ac nocte, ut
 sit etiam lex amoris nostri.

Sed etiam alia quævis lex tua utilis
 est ad meditandum, ut non pereamus
 in falsa humilitate, quam parit sæpè igo-
 ratio veritatis. Cum nil sit fortius verita-
 te, ejus meditatio, si vera sit, fortem
 facere potest. Et hæc erat fortitudo Mar-
 tyrum tuorum. *Nihil crus sentit in nervo,*
cum animus in caelo est. Non hoc facit stupor,
sed amor, qui vita est meditantium.

Tertull.

Bernard.

*Ps. 93. In æternum non obliviscar
 justificationes tuas; quia in ipsis
 vivificasti me.*

NON est, Domine, quod laborem
 in inveniendo remedio animæ meæ.
 Parata est salus tua. Cingimur remediis
 ad vitam invitantibus: eis circumfundi-
 mur, & ex omni parte admonent nos.
 Sed væ obliviscentibus vitam suam.
 Salva nos, Domine, ne pereamus. Mi-
 serere fame pereuntium; & cum ultro
 occurris, obliviscentium comedere pa-

nem quem largiris , cœleste opsonium quale non inveniatur in terra , sed quo nutriuntur Angeli , & quod reddit immortales.

Miserere, Domine, dementissimæ oblivionis. Et quia fieri non potest ut salventur qui salutis suæ volentes obliviscuntur , minue cupiditatem , quæ cum tam facile revocet ad memoriam quæ mundi sunt , ea semper obliviscitur quæ pertinent ad salutem. Non sufficit , Domine , minui cupiditatem. *Ut non obliviscar justificationes tuas* quibus vivunt quicumque vivunt ; auge charitatem , quæ morbo meo contraria , quidquid mundi est religiosâ oblivione delet ex corde amantium te , & jubet eorum nos tantum recordari quæ salvant recordantem.

Charitas tua , Domine , quæ nobis est quidquid boni esse potest , rerum omnium quæ habent nocendi vim bonam oblivionem complectitur , & salutis meliorem memoriam. Non amemus mundum obliviscentem te , & se etiam. Amemus te , ut obliviscamur mundum , & te nunquam obliviscamur.

Gratias tibi Domine , qui de cœlo descendere voluisti , ut ipsum panem cœli offerres miseris in terra jacentibus & morientibus ; ut eo ad vitam revocati

226 PIA IN PSAL. CXVIII.

non tantum viveremus , sed etiam beati
 essemus. Ecce , Domine , panem hunc
 beatum & beatos facientem , non tan-
 tum apposuisti ut sumeretur , sed intra
 manus nostras includere dignatus es ne
 oblivisceremur ; non minus tamen obli-
 viscimur. Ecce , Domine , aperuisti os
 fervorum tuorum ut comederemus : in-
 gessisti panem vitæ in os jam apertum ;
En propè est verbum in ore nostro , & ipsum
est panis vitæ. Adhuc tamen oblivisci-
 mur.

Rom.
 80, 8.

O Domine , adjuva nos , & miserere
 cordis tam perditè in suum exitium in-
 cumbentis. Fac ut manducem ; fac ut
 teram dentibus panem salutis , & versum
 in omnem partem ut faciliùs manduce-
 tur & deglutiatur. Da ut coquam. Da
 ut in substantiam convertatur cordis
 mei , aut potius convertat ad se cor
 meum. Et si hoc semper facias , exul-
 tabit in te cor meum ; & cantans coram
 te *magnificentiam gloria regni tui* , dicet tibi:
In æternum non obliviscar justificationes tuas ,
quia in ipsis vivificasti me.

Pl. 144.

Hoc non cantarem , Domine , nisi jam
 vivificasses. Infudisti spiritum tuum ,
 ut saperet in ore meo panis tuus : & sa-
 por iste non tam est oris mei non sentien-
 tis , quam Domini mei me vivificantis.
 O Domine , dulcis vita ; sed nescio an

SOLILOQUIA. Defecit. 227

non dulcior causa vitæ. Gaudendum quidem quia vivo ; sed nonne magis gaudendum est quia *me in justificationibus tuis*, hoc est de te & in te *vivificasti*?

ψ.94. *Tuus sum ego, salvum me fac; quoniam justificationes tuas exquisivi.*

CR E A S T I me, redemisti me, servasti me. Nutris me indigentem omnibus. Tueris me potentissimis hostibus obnoxium. Doces me, rerum omnium, etiam vitæ ipsius imperitum. Ecce post tot & tanta beneficia, insurgendo adversum te mortuus sum, & *vivificasti me*. Da mihi, Domine, ut nunquam me alteri Domino addicam in servitutem, toties *tuus*. Ne servum se hominum constituat servus Dei.

Tuum me fecisti possidendo ; & nihil subtrahitur potestati dominationis infinitæ. Fac me adhuc tuum amando, Ama indignum, ut fiat dignus amando te. Accedat ad jus potestatis jus novum charitatis, quod perfectius est. Nam cum tua sint omnia, & tui omnes, nemo tuus est volens, nisi amet Dominum suum.

Faciat me charitas tuum, cor novum creando in me, quemadmodum pote-

stas fecit suum creando me. Frustra creatus est qui non amat te , & præstaret non esse quam non amare. Malim ergo mori quam non amare te , & sit mihi major cura & sollicitudo amoris tui, quam vitæ meæ. Imò uni amori intentus , contemnam vitam quæ mihi communis est cum belluis , & quam amittere gloria est jubentis & foelicitas amittentis.

Sed ut tuus sim, Domine , nil meum esse velim præter Dominum meum. Ut tuus sim , non sim meus ; & ideò *salvum me fac* , quia sum meus. Væ mihi ; ad tam bonum Dominum non pertinere, sed sui juris esse , perire est. Heu me, quanti constat suum esse ! Cum meipsum mihi vindico , meo contentus & mihi placens , amitto omnia , quia amitto te. Nec propterea sum meus , quia nolui esse tuus.

Ambros. Crudelissimi Domini advolant , & irruunt tamquam in possessionem vacuam. *Superbia clamat , Meus est.* Etiam Bernard. festinat pigritia in malum meum , & me sui juris profitetur. Aliorum dominorum in usurpandâ vitâ animæ meæ pertinacia eadem. *Salvum me fac* ergo, ut tuus sim. Libera me à meipso , & à dominis meis , & esto ipse Dominus meus.

Jam

SOLILOQUIA. Defecit. 229

Jam cœpisti salvare, *quoniam justificationes tuas exquisivi*. Non eas exquire-
rem nisi salvares: adhuc magis *salvum me fac*, ut eas amplius exquiram. *Aliis* s. Hilari
querentibus gloriam mundi, & divitias mundi, ego potius ambiam paupertatem
Domini mei. Rapiat me pulchritudo humilitatis crucis tuæ; & *amator* Sap. 8:
factus formæ illius, Deum humilem cer-
nens erubescam esse superbus.

Tuus ero, Domine, cum humilis Ambros.
ero; Humilitas enim detrahet inconstantiam. An dicendus est verè tuus,
qui semper non est tuus? Si quis mutabilis est ut ego, qui aut mœrore mutator,
aut indignatione, quomodò tuus? Non muter ergo, ut sim tuus. Sed sim
tuus, ut non muter.

†. 95. *Me expectaverunt peccatores ut perderent me; testimonia tua intellexi.*

BENEDICTUS sit Dominus. Quia noverat languidam esse charitatem tam parùm amantium, voluit eam confirmari odio improborum; ut quod amori nostro deesse poterat, eorum improbitate suppleretur. Tanta est, Domine, erga nos misericordia tua, ut qui sibi mali sunt, nobis etiam boni sint.

Paulin. Utinam te amarent ! sed si noluerint ; beatum est illis odio esse qui te oderunt. Talium amor fugiendus fuisset. Nihil mihi est , Domine , in quo gloriari possim coram te , nisi quod bellum mihi indixerunt qui tibi sunt inimici. Etiam , Domine , omnia charitati tuæ serviant. Odium ipsum , quamvis contrarium tantæ mansuetudini , vim ejus agnoscat.

Tertull. Ecce *omniū rerum impatientissimi* , tantum ad nocendum adhibent patientiam. Expectant , sed ut perdant. Insidiantur vitæ meæ , & nesciunt unde vivam. Occidant , occidant ; *nihil in me moritur nisi mortale*. Non id vita est , quod vitam arbitrantur. Vita ipsa quam adimere moluntur , contraria est vitæ meæ. Unde vivo , impedior potius ne vivam. Adjuvant votum amantis , non amantes ; & id tantum quod à me promoveri non licebat , ipsi promovent , officio mihi utili & honesto , quod damnum promoventibus & infamiam conciliat.

August. Quamdiu ergo nil aliud curant isti , quam ut corpus non vivat , nil aliud ego curem , quàm ut anima vivat. Omnes aditus mortis investigant , quia hujus rei habent ipsi scientiam. *Doctrina vitæ meæ , in testimoniis tuis*. Illa me doceant artem vivendi. Illic discam quomodo vivendum sit , ut vivam.

Hilar.

SOLILOQUIA. Defecit. 231

Fons vitæ est verbum tuum, Domine. Hauriam vitam in fonte vitæ, ut non timeam eos qui tantum corpus occidunt; & qui cum occiderint, nil aliud præstant, quàm ut foelicius vivatur, & beatissima sit vita. Tantum, Domine, si quid injustum proponatur, non consentiam; tunc enim me *perderent contagione peccati*. Ecce unde morimur, cum alioquin moriendo vivamus. Ambros.

Testimonia tua intellexi. Ecce unde vivimus. *Intelligentia gratiæ & amor veritatis*, vita nostra est. Si id obtinere possunt inimici ut non cognoscamus veritatem, aut non amemus, tunc perdunt. Sed absit, ut hoc accidat. Cum prohibent à fonte, ardentius currimus, & avidius implemur. Timor ipse diligentiores reddit, & diligentia doctiores. Hinc dum persequuntur, *testimonia tua intellexi*, quia illis *pretium meum cogitantibus repellere, cucurri in siti*. Unde Ecclesia tua facta est doctior inscitiâ & odio impugnantium, fiunt quoque filii ejus doctiores. Ps. 61, 54

Idem aliarum tentationum fructus; & non minus valent ad scientiam Scripturarum. Quemadmodum enim olim cum tentatorem recedere coegisses, Angeli lucis ministraverunt Domino meo: voluisti quoque ut eundem inimicum

auxilio tuo vincentibus major oboriretur lux veritatis ; & sic , quæ pugnantium scutum fuit , consolatio fit & corona vincentium.

ψ. 96. *Omnis consummationis vidi finem : latum mandatum tuum nimis.*

QUAM vera sunt verba tua , Domine ! Quid enim veritate verius esse potest ? Testimonia tua tunc intelliguntur , cum tu intelligeris in eis. Quomodò enim audirentur verba loquentis , nisi audiretur loquens ? Scripturæ tuæ te loquuntur , & tu loqueris eas. Fieri non potest ut sensum earum capiam , te ipsum non capiendo ; nam tu finis earum.

Rom.
10. 4.

Tu *finis legis*. Si nescio te , nescio legem. Cognoscenti te , non potest deesse scientia legis. Omnia in te desinunt , omnia te prædicant. Multa sunt quæ nos latent ; sed sufficit ad scientiam nostram , si eorum finis nos non lateat. In te cognoscuntur. Ignorentur , nihil nocet , dummodò tu non ignoreris. Habet quod fluit in rivis , qui fontem habet.

Non opus est , Domine , ut sciam res eventuras in fine temporum. Quæ prædixeras contigerunt. Quod nondum

contigit, eodem rerum exitu, quo tempore statueris, continget. Adversus Ecclesiam pugnauerunt hostes nominis tui sancti, & victi sunt. Pugnabunt, & vincuntur.

Quantulum hoc, quod deest promissis tuis. Nihil desit laudi nostræ. Tam certa est victoria quam reportabis, ut jam laudandus sis ob victoriam. Vinctes, Domine. Et hoc fidei tardum est: Jam vicisti. Non fraudemur fructu victoriæ, qui maximus est in laude vincētis. Laudemus, non tantum quia vicit, sed quia vincet. Victoria quæ reportabitur non minus certa, quàm quæ jam reportata est. Quid moramur? Omnia perfecta sunt: *Omnis consummationis vidi finem.* Absolvatur laus, quia absolutum est quod laudatur.

Da mihi hanc fidem, Domine, quæ non tantum rebus in qualibet vetustate temporum præteritis acquiescat, sed quæ occupet ad laudandum eventuras. Ut videatur finis omnium rerum indubitatus, fides credat vera dicenti, sed charitas non minus credat amanti. Non est amor, qui non credit, cum loquitur amor.

Quod hic commemorat Propheta tuus, Domine, vox est fidei erectæ ad salutem suam, & charitatis arden-

tis. Qui alterutrâ caruerit, cùm adhuc hæreat in præsentibus, dicere non potest: *Omnis consummationis vidi finem*; nec illud addere: *latum mandatum tuum nimis*. Non timeam ergo rerum angustias quæ præcipiuntur. Latitudo, in præcipiente quærenda est.

Ita est, Domine; via illa tam arcta & quam horrent qui non noverunt, facilis est ambulanti; quia mandatum ipsum quo ambulatur in eâ *latum est nimis*. Angustia viæ cedit latitudini charitatis. Ecce Sancti tui exultant ambulantes in ea. De conditione viæ credam ambulantes, credam amantibus, qui clamant: *latum mandatum tuum nimis*, quod omnia gratiarum & charismatum genera complectitur. Benedictus sit Dominus qui *benè fecit omnia*. Certè quia *angusta via*, *latum mandatum* necessarium erat. Legem veritatis suavem reddidit lex charitatis. Lex ergo impleta est, quia amata est.

Hilar.

Ambro.





ÿ. 97. QUOMODO *dilexi legem tuam Domine ? totâ die meditatio mea est.*

CUM nihil magis necessarium sit quàm amare te , nullum negotium magis curem quàm amoris. Nihil magis timeam quàm non amare , aut parum amare ; & nullum sit votum ardentius , quam amandi. Adjuva me , Domine , ut perpendam coram te an amem te. Scrutare ipse cor meum , & auge amorem ipsâ hac sollicitudine amoris , *Quomodo dilexi legem tuam ?*

Quàm sæpè meipsum decipio , Domine ! Mihi ipsi suspectus sim , nec facile credam mentienti. Ut de amore constet , non consulam verba amoris , sed opus amoris. Certè si te amo , de te cogito : neque enim mens mea ita aliena esse potest à corde meo , ut non cogitetur id quod amatur. Si *diligo legem* amoris , utique *totâ die meditatio mea est.*

Cogitatio ipsa , sensus amoris. Si amore reliqua sentiuntur , quomodo ipse non sentietur ? Quomodo tantum


pondus mens cordi conjunctissima non percipiet? Legem amoris implet, quidquid illi subjectum est. An diligeretur, quem neque videre neque audire nisi coacti non possemus? Amori serviunt oculi, facile videndo quod amatur, & aures facile audiendo. Cur ergo hanc legem amoris tui sola mens non imple-ret cogitando? Mens ipsa & cogitatio, oculus est cordis & amoris, quò cernitur quod diligitur. An amori, cui ita obnoxii sunt oculi corporis, non obnoxius esset oculus cordis; & magis valeret in alienos quam in suum qui illi conjunctior est?

Ecce, Domine, scrutatus sum cor meum, & vae mihi. Nam arguit me, quia non amo te: testimonium ejus contra me est. Alia omnia facile cogitantur, & nugæ cogitare sæpè oblectatio est; cum mihi de Domino meo cogitare labor sit, nec facile id à me impetrare queam. Solitudinem in quâ nos convenis, & silentium cujus voce nos alloqueris odit anima mea. Si te offeras aliquando non cogitanti, tua hæc cogitatio, quæ magnum munus est misericordiæ tuæ, quarumlibet aliarum rerum cogitationi cedere cogitur. Si avari cogitando divitias ditescere possent, quò impetu cogitationis raperentur ad insa-

SOLILOQUIA. *Quomodo.* 237
niam suam , cum parcere non possint
cogitationibus etiam non profuturis ?
Pecuniam semper cogitant ; non quia
prodest cogitare ; sed quia amant.

Quomodo ergo certus esse possim te
à me amari ? Tu dicis : cogita regnum
meum , & tuum erit ; & vix de eo co-
gito. Ecce Domini mei in cruce pen-
dentis tam amica hæc interpellatio est :
certè morior pro te , ne moriaris : co-
gita saltem mortem meam , ut vivas.
Ecce dolore meo sanaberis , si spectes
patientem. Ecce cor meum tam crudeli
vulnere apertum est , ut tuum sanaretur.
En habes sanguinem morientis in
remedium , in delicias , in securitatem.
En infirmus sum , ut fortis sis. Tantùm
cogita amantem. Tantùm ama morien-
tem. Specta vincentem , & vincis. Spe-
cta regnantem , & regnas.

O Domine , si tam utiliter & tam
amanter consulentem non audio ; si non
diligo legem tanti amoris ; & si in hoc
charitatis spectaculo non acquiescit co-
gitatio mea , nihil me scelestius & magis
ingratum fingi potest.



ψ. 98. *Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo ; quia in æternum mihi est.*

1. Petr.
1. 9.

BENEDICAM te Domine , qui vocasti nos in admirabile lumen tuum. Cognosco nomen tuum , quia voluisti ut cognoscerem ; & si quid in me scientiæ est , donum est Domini mei , non meritum meum. Quantum in me est , non ego inimicis meis prudentior , sed tu ipse *prudentiorem fecisti mandato tuo ;* non tantum quia imperasti prudentiam hanc , quod legis beneficium est , sed quia charitatem infudisti , quæ origo est prudentiæ.

Benedictus Dominus meus qui talem servis suis largitur prudentiam , quæ nobis suavis esse debet , quia amoris. Revera , Domine , nihil sapientius amore tuo , adhibente crucem ad victoriam , eligente paupertatem ad divitias , ipsumque sæculi contemptum ad gloriam. Etiam , Domine , *fac me prudentem mandato hoc ;* tali egeo prudentiâ. Circumcingor inimicis , & in meipso *insurgunt adversum me.* Ipsi quoque suggerunt prudentiam , sed suam , & quæ carnis est. Prudentiæ tenebrarum oppo- nam prudentiam filiorum lucis ; &

S O L I L O Q U I A. *Quomodo.* 239
prudentiam cupiditatis refellam prudentiâ charitatis.

Da mihi ut vincam veritate inimicum veritatis. Qui non stetit in veritate , vinci non potest facilius quàm stando in eâ. Ecce in scripturis tuis omnem nos vincendi serpentis rationem docuisti. In mandatis tuis hoc quæram potissimum , quomodo pugnandum sit ; ut pugnem & vincam. *Super inimicos meos prudentem me fac* quolibet mandato tuo ; sed quia sunt & alii inimici qui amandi sunt , quia fratres , fac me il- Chrysol.
lis etiam prudentiorem mandato tuo , quo præcepisti *ut diligeremus* vel inimicos.

Utinam & ipsi ament , ut prudentes fiant , & salventur. Quandiu verò non amant , & nocere volunt , prudentior sim non amantibus , sed amando. Obesse volunt , da ut illis prosim. Si nulla se offerat adhibendæ benevolentiae occasio , confugiam ad præsidium orationis , & causam illorum conjungam causæ meæ , quia eadem est , *neque sum* 3. Reg. 19.
melior illis. Experiantur aliquando prudentiores nos fuisse dono tuo , & convertantur & gaudeant , ut & ipsi gaudeamus , dicanturque singuli , in te , non in nobis gloriantes : *Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo ; quia in aeternum mihi est.*

Si enim temporali quadam virtute ,
& cultu transeunte brevis & ideò ingra-
tæ pietatis Dominum meum ample-
ctar , mox læsurus , non ero pruden-
tior. Veram prudentiam non conciliat
nisi vera virtus. Æterna est tua chari-

Chrysof. *Premium expectamus æternum ; vir-*
tas. *tus quoque nostra æterna sit , nec un-*
quam finiatur , & me prudentiorem
inimicis non dubitabo. Tibi placere ,
vera prudentia est. Sed bonum tam sta-
bile & permanens bonis non delectatur
transituris. Indignum te est quod desi-
nit ; & nihil dignum æterno , nisi quod
Eccl. 1. *æternum est. Mandata ambiamus æter-*
na , ut æterni esse possimus. Amen.

ψ. 99. *Super omnes docentes me in-*
tellexi ; quia testimonia tua medi-
tatio mea est.

SYNAGOGA , Domine , mater
est sponsæ tuæ matris nostræ ; & fi-
lios tuos Judæi docuerunt , quia *credita*
illis erant eloquia Dei. Sed quia legis
doctores finem legis ignoraverunt te nes-
ciendo & negando , omnia ignorave-
runt. Væ ignorantibus salutem ; & vi-
tam suam insanâ & crudeli imperitiâ
non agnoscentibus , & ideò homicidis.
Nec enim vitam suam persequerentur ,

S O L I L O Q U I A. *Quomodo.* 241

si agnoscerent suam. *En docentes nesciunt*, quia lucem oderunt. *En intelligunt qui docentur*, quia lucem amant.

S. Hilari

Hinc sponsa tua quæ genuit nos & erudit nos, *super docentes se intellexit*, non præstantiâ ingenii, sed gratiâ pietatis.

Non simus ingrati, & misericordiam tuam gratâ amoris tui commemoratione prædicemus. Ancilla est Synagoga, quia non amavit. Libera est mater nostra, quia amavit; nec amavisset, nisi amata. Imperita est Synagoga, quia ancilla. Doctior mater nostra, quia sponsa. Quis cor suum sponsæ potius quam ancillæ non aperiret? Versari non potest in tenebris sponsa lucis. Ergo, Domine, quod eos à quibus cognitionem legis accepit, scientiâ superaverit, amoris tuo debet. Doctior est, quia docuisti. Magistri legis imperiti, quia docere voluerunt. Eruditissima mater nostra, quia magis gaudet audiendo te, quam docendo nos.

Magistri Judæorum imperiti, quia superbi. Docti Ecclesiæ tuæ magistri, quia humiles. Discipuli tui esse glorian- tur, magistri vocari erubescunt, quia amant gloriam tuam, & periculum suum timent. Hoc nos docent, quod tu solus doces: humano magisterio non elati; *quod divinum est, homines docere*

non posse confitentur. Adducunt nos ad docendum , & te rogant ut doceas nos , & ideò magistri sunt.

Hoc unum monet pia mater , ut patrem audiamus. Hinc docta est ; nec tantùm charitate erga liberos , sed humilitate ipsa erga sponsum eruditur. Panem quem frangit parvulis à te mendicat ; docet quod docetur. Nihil aliud amando quàm legem amoris tui , & nihil aliud cogitando , magistra facta est.

Matth. Dum cogitant alii lucrum suum , sponsa tua meditatatur legem tuam. Lucrum ejus , salus filiorum ; nec aliud novit. Meditatio ejus , amor ejus. *Omne verbum quod procedit ab ore tuo , matris nostræ scientia est. Hoc audit , hoc amat , hoc meditatatur , hoc docet. Inde vivit ; & ut inde vivamus omnem operam ponit , & hoc unum curat. Non mirandum ergo si tanto intervallo Synagogam reliquerit. Causam ipsa tibi omnibus diebus vitæ suæ cantando misericordias tuas piè confitetur : Super omnes docentes me intellexi , quia testimonia tua meditatio mea est.*

Ps. 115. *O Domine , ego servus tuus , & filius ancillæ tuæ. Quod cantat , & ipse cantem. Amem legem tuam , ut intelligam. Mediter testimonia tua , ut vi-*

SOLILOQUIA. *Quomodo.* 243
vam. *Super Judæos docentes, & litteræ scientiâ superbientes intelligam, nihil in libris tuis quærens præter spiritum tuum qui vita mea est. Vincamur scientiâ, dum humilitate vincamus. Sed si vicerimus humilitate, vincemus & scientiâ.*

ÿ. 100. *Super senes intellexi; quia mandata tua quæsvi.*

MULTI sunt, Domine, non solum apud Judæos, sed etiam in Ecclesiâ tuâ, qui scientiam profitentur & in Scripturis versantur, in litterâ quidem occidente multum docti, sed in spiritu vivificante profus imperiti. *Horum in partem non veniat anima mea.* Senili sunt scientiâ, & stultitiâ puerili: alios docent, & seipfos non docent. Omnem corporis tui & membrorum tuorum rationem tam accuratè tenent, ut omnia ossa tua dinumerare possint ad opinionem scientiæ, otium & vanitatem Judæorum imitati, & te nesciunt. Multa præfati de salute comparandâ pereunt volentes; nec id saltem sciunt quod loquuntur. Adjuva me, Domine, & alieno malo sapiam. *Intelligam quod isti non intelligunt. Verbum salutis tuæ illis absconditum non abscondatur servo tuo. Super hos senes intelligam,*

244 PIA IN PSAL. CXVIII.
qui vitam non intelligunt, & mortis
scientiâ gloriantur.

Amem scientiam, Domine, sed quæ
tua sit, & quæ crucem tuam doceat; ut
hoc unum sciam quomodo sequendus
sis, & sequar. Da mihi, non tantum
scientiam Ecclesiæ matris meæ imitari,
sed ipsum etiam sciendi modum ample-
cti. Scientia ejus, amoris scientia est,
& hanc amando comparavit. Amat spon-
sum: hæc scientia sponsæ; hæc sit scien-
tia filiorum. Doctiorem esse matre, ma-
gna & periculosa ignorantia est. Puerum
me mater sentiat ob simplicitatem &
obedientiam, non senem ob superbiam.
Super senes intelligam qui hærent in cor-
tice litteræ undè moriantur, & non quæ-
runt spiritum undè vivant.

Cyrrill.
Alexand. Magna quidem & admirabilis sapien-
tia legis quam Judæis largitus es, ser-
vans ordinem temporum. Sed si nihil
aliud in eâ quærendum esset, quàm quod
auditur, multæ gentium leges sapien-
tiores videri possent, quo nihil absur-
dus. Puerorum more senes isti legem
tuam intelligunt, in quâ nihil divinum
& quod sapientiâ tuâ dignum sit inve-
niunt. Non legem illi quærunt à quâ ad-
juventur, sed scientiam quam ostentent.
Seipso ergo in mandatis tuis inveniunt
ad exitium, non mandata ipsa ad salu-
tem.

S O L I L O Q U I A. *Quomodo.* 245

Ego, Domine, hoc à te supplex postulo, ut contrariâ & salutari viâ meipsum fugiam, & *mandata tua* tantùm *quæram*. Mortem fugiam, fugiendo me. Vitam inveniam, quærendo mandata. Intelliguntur, Domine, cum quærentur; quia non ingenio sed amore intelligenda sunt. Charitatis tuæ experientia, me velut manu ducat ad scientiam veritatis. Sentiendo discatur.

Ita *super senes intelligam*, cum *mandata tua quæsiverim*. Gloriantur stultè sibi Accipe quod sentitur antequam discitur. Cypriani perspectam esse ruinam domûs mox lapsuræ in quâ manemus, cum ipsi nolint exire. Hoc me scire, Domine, probem exeundo; ut mihi scientia sit non perire, & *super senes intelligam* pereuntes. Amen.

ψ. 101. *Ab omni viâ malâ prohibui pedes meos; ut custodiam verba tua.*

NON meipsum decipiam, Domine. Putavi aliquando teneri me desiderio mandatorum tuorum, & mei ipsius tantùm desiderio tenebar. An quæram te, vel an quæram me, probet effectus. Non credam verbis, nec quidem meis. Impetus animi seipsum ad virtutem incitantis valdè mihi suspectus sit, quem nullæ virtutes consequuntur. Affectus qui latet

in corde amantis, aliquo effectu qui sentiri possit demonstratur.

Ut credam quæri à me mandata Domini mei, *ab omni viâ malâ prohibeam pedes meos.* Si mihi ipsi imperare non possum, *non custodio verba tua*, quæ hoc exigunt ut mihi imperem. Facile credo Prophetam tuum *super senes intellexisse*, qui *ab omni viâ malâ prohibuit pedes suos.*

Ambros. *Intellectus veritas, peccati fugâ demonstrata est.* Sed si me à præcipitio coeni arcere minus possum; si tangor voluptatibus, & mihi adhuc placet quod placet suis, de intellectu non glorier quem caro confundit.

Non ab hac aut ab illâ, quod facile est etiam improbis, sed *ab omni viâ malâ prohibeam pedes meos.* Domine, non tantum manus à quolibet crimine prohibeam. Manus quidem occidunt; sed homicidium prius in corde ortum est. Pedes ergo maxime prohibendi. Adversus improbitatem, in ipso ejus fonte pugnandum est; extinguendum ibi incendium, unde nascitur, & ubi acrius sævit. Coerceam affectus; coerceam pedes qui ad malum ferunt, & qui ideo frænandi sunt & prohibendi.

Miserere mei, Domine. Quid est quod confiteor tibi? Quid me impellit intus, ut meipsum prohibere debeam?

S O L I L O Q U I A. *Quomodo.* 247

Ecce solus sum. Ecce nemo hortatur ad ^{S. Hilar} viam malam. Nemo impellit, & tamen impellor & prohibeo me. Si ipse adversus meipsum non insurgo, & si non prohibeo pedes meos, certò perii, & de salute meâ actum est. *Feceras quidem hominem rectum*, quem à se defendi non oportebat: sed à peccato primi parentis, hostis noster intra nos inclusus est; & nisi fluvii impetum coerceres ripas implentis, & magnâ vi descendens ad mare mortuum, non fieret salva omnis caro, imò nulla caro.

Gratias agam Domino meo. Cum prohibeo pedes meos, tu prohibes; & te cohibente concupiscentiam, ut frustra surgat, aut non surgat, eodem me salvas miraculo quo filii Israel per *aren-* ^{Josue. 37} *tem alveum Jordanis transierunt.* Cum fluctus ad instar montis intumescens minantur exitium, quid de me fieret, nisi misereris, ut crederem verbo tuo, & ipse transirem, solâ gratiâ salvantis liber? Utinam procul non viderentur, & non scandalizarem fratres meos: nam sæpè ita frænatur, ut sentiatur ab aliis, ab hoc monte aquarum guttis in omnem partem pluentibus. Si messis tempore ripas implet, quo diluvio non effunditur cùm hyems est, & me non orante, minùs sedas rabiem fluctuum adlatran-

tium in hoc flumine mortis , à quo se liberari gemens Apostolus precabatur. Prohibe me semper , Domine ; ut *ab omni viâ malâ prohibeam pedes meos ; ut custodiam verba tua.*

ÿ. 102. *A judiciis tuis non declinavi : quia tu legem posuisti mihi.*

UT custodiantur verba tua , Domine , quæ custodiunt nos & tuentur firmissimo præsidio adversus omnes inimicos , judicia tua sive manifesta sive occulta quæ exerces in filios hominum & puniendo & parcendo , semper debent versari antè oculos nostros , ut timeamus & amemus. Ut non violemus legem Domini nostri , quæ omnium actionum nostrarum norma esse debet , nunquam ab eâ discedendum est. Ita nobis esse debet lex cogitandi & amandi , ut quantum fieri potest , nihil aliud cogitemus neque amemus. Hac ratione non declinabo sive à judiciis , sive à lege ipsâ , quæ ut impleatur in rebus majoris momenti , in omnibus implenda est.

Sed ut non ingratus sim , confitear tibi , Domine , quotiescumque legem tuam impleverim , id mihi beneficio tuo contigisse. Ut amarem , tu amabas.

SOLILOQUIA. *Quomodo.* 249

Ut non discederem à præcipiente, non discedebas ab audiente. Aperiebas cor, ut se tibi aperiret, & confiteretur Domino suo. *Non declinavi ergo sive à judiciis sive à lege, quia tu legem posuisti mihi.* Ecce legi tuæ debeo quod servata sit; non tantum quia monuit, sed quia feci ipsa ut servaretur.

O eximium legislatorem, non tantum præipientem sed salvantem. Non sic alii leges, non sic. Sæpè tantum ad auctoritatem præcipiunt, non ad salutem. Tu nihil aliud præcipis quam salutem, & salvas. Ecce alii leges promulgant, quas scribunt in marmore aut in chartis. Quid facis legislator? Foris legem scribis, quod valere potest ad legendum, sed non ad implendum. Intus scribe, ut impleam. Intus scribe. Ibi est qui legem transgreditur. Ubi primum violatur lex & ubi servatur, ibi etiam promulgetur. Cur mali medici more juxta vulnus apponis remedium, quod ipsi vulneri imponi debuerat?

Sed hoc à nullo legislatore præstari potest, Domine. Ad te unum hoc pertinet, ut legem tuam *in tabulis carnalibus inscribas*, ubi fieri non potest ut non audiatur, quia ibi sunt *aures audiendi*. Intus clamas, & audio vocem non

250 PIA IN PSAL. CXVIII.

aliundè allapsam , sed in corde ipso clamantem , ubi ego sum. Una est lex amoris , quæ ita conscribatur in corde amantis , & quæ liberat ut impleatur.

Hanc *legem pone mihi* , Domine , ut *non declinem à judiciis tuis* , nec *levi saltem decessu* ; sed *intentus semper & semper immobilis* , in quo coepi permaneam. Legem hanc pone quæ legislatorem meum præsentem reddat amanti. Cum enim mei misertus es , ideo *non declinavi à judiciis tuis* , quia *te aspexi*. Aspiciam in liberantem. Aspiciam te , & ardeam , quia scriptum est : *Ignis in conspectu ejus exardescet*. Noverim te , Domine ; non ut multa sciam , sed ut te unum sciam , & unum amem. Amen.

S. Hilar.

Ambros.

Ps. 103. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua ! super mel ori meo.*

QUAM bonus es , Domine ! Si quid rectè fiat , nunquam sine præmio relinquitur. Nonnè satis magnum bonum est obedire Domino meo ? Sed obedienti , præter ipsum obedientiæ bonum (quo nullum majus , nisi amoris ipsius qui obedit) statim merces redditur , & magna merces , quia tu ipse. Quòd non declinaverim à judiciis tuis , quod beneficium tuum erat , ecce dul-

SOLILOQUIA. *Quomodo.* 251

rescunt mihi eloquia tua, quod novum beneficium est, Ipse fecisti ut imple-
rentur verba tua, ipse facis ut gu-
stentur. Suavitas & dulcedo pacis
tuæ, quæ ideò sensu comprehendi non
potest, quia *exuperat omnem sensum*, præ-
mium est non declinantium à judi-
ciis tuis, Philip. 4.

Gustem & ipse, Domine, quamvis
declinaverim ab eis, quàm bonus es, ut
postea non declinem. Non præmium
exigo virtutis à Domino meo, sed in-
citantum ad virtutem. Sit intus cha-
ritas, ut obdulcescat veritas meditati.
Quantùm conjiciendo assequi possum,
Domine, & quantùm valere possunt
conjecturæ divinantis potius quàm ex-
perientis, ista dulcedo eloquiorum tuo-
rum ipse est sapor veritatis. Sed quia
non sapit nisi amanti, crediderim hunc
saporem esse amorem. Charitas in nobis
fructus est veritatis, quidni & sapor?

Da mihi hunc saporem, ne sterilis
maneant veritas in corde non amantis.
Cum aliquid veri audio aut lego, ferat
fructum; & sit fructus meus, amplius
amare Dominum meum. Sed sapiat, ut
fructum ferat; & multùm sapiat, ut
multùm ferat, sicque & ipse dicam;
*Quam dulcia faucibus meis eloquia tua! su-
per mel ori meo.* Hanc dulcedinem spiri-

tus tui quæram intus, non foris. Hanc quæram, non loquendo de te, sed silendo in te. Suavitas ista cœlestis, in faucibus antequam in ore percipitur. Cor primùm occupet, & ab ejus meditatione diuturnâ, si ita jusseris, etiam in os transeat, sed ægrè, & intellecto periculo; ut in ore ista dulcedo suâ quâdam non careat amaritudine, quia ibi periculum est ne amittatur.

Obdulcescant faucibus meis eloquia tua propter salutem meam; sed & obdulcescant ori meo propter salutem aliorum, si tenebris uti placuerit ad lucem, quod majestate dignum est potestatis infinitæ. Obdulcescant super mel, ne unquam à me comparetur ulla delectatio terrena delectationi cœlesti. Quidquid Ægypti est fastidium, ob manna tuum. Nec recorder porrorum, qui nec nominandi sunt. Cedat mel humanum quo morimur, melli divino quo vivimus. Dulcedo mellis nostri statim palato elabatur. Transit mel, transit dulcedo ejus, & nullum ultra saporem habet. Sed non transit dulcedo eloquiorum tuorum, permanentibus semper eloquiis tuis.

*Gustans
gustavi
paululum
mellis, &
ecce mo-
rior.
1. Reg.
14. 43.
Hieron.*



¶ 104. *A mandatis tuis intellexi ;
propterea odivi omnem viam ini-
quitatis.*

NULLA re foelicius percipi pos-
sunt mandata tua , Domine, quàm
experientiâ obedientiæ. Facilè intelli-
guntur , cum sentiuntur. Gustanda sunt
ut noverim , & gustus ipse scientiam
antecedat. Cum à mandatis tuis intelliga- August.
mus; ergo mores faciunt intelligentem. Da mi-
hi ergo, Domine, non tantùm ut studeam,
quod etiam necessarium esse potest , sed
ut vivam. Ut cognoscam Dominum
meum , non vigiliis solum & studio, sed
omni virtutum genere elaborem.

Scientia Sanctorum non tantùm in
lectione librorum , sed in vitæ imitatio-
ne quærat. Non id tantum attendam
quomodo aut quid scripserint , sed quo-
modo te amaverint. Amore docti , amo-
re docuerunt : & non aliud docuerunt
quàm amorem. Digna Deo & ejus cha-
ritate monumenta quæ nobis relique-
runt , amando legamus , & legendo vi-
vamus , hoc est amemus : & nos simili-
ter à mandatis tuis intelligemus , si man-
data similiter impleamus.

Propterea odivi omnem viam iniquitatis.
Cum igitur ad occultorum sapientiam per- August.

Idem. venerim per obedientiam mandatorum , sic mihi adhuc cura diligentior implendi mandata per quæ profecerim. *Custodienda est enim obedientia , ut percipiatur sapientia : sed perceptâ sapientiâ , non est deserenda obedientia.* Tunc magis oderim quod tibi displicet , cùm magis nosse potuero quod tibi placet. Tunc magis oderim peccatum , cùm magis amavero Dominum meum.

Sed hoc mihi da , ut non quoddam improbitatis genus , sed omnem improbitatem , averfer Christiano odio. Theodo. Sit illud fidei odium , non naturæ. *Om-nem peccandi modum & rationem detester , non meo ipsius amore , sed tuo ; sunt enim qui quoddam peccatorum genus oderunt se amando. Omnem viam iniquitatis , te amando oderim.*

Num. 13. O Domine , quæ via ista est , quæ nobis videntibus *devorat habitatores , & transeuntes per eam ?* Sapienter peccatum via esse dicitur : quia nullum est , nisi opem feras pereuntibus aut perituris , quod nos ad simile aut majus peccatum non ducat. *Squamma draconis squammæ conjungitur : & nihil vacuum morte , aut quâdam mortis viâ in viro mortis.*

Libera me , Domine , ab hac viâ peccatorum meorum , quæ maximâ inci-

SOLILOQUIA. Quomodo. 255
tatione ducit ad perditionem. Fugiam auxilio gratiæ tuæ omnem viam iniquorum, ut facilius fugiam *omnem viam iniquitatis* eorum. Displiceat mihi, quod placet iis qui tibi non placent. Et cum illis displicuero; quamvis doleam eorum causâ, gaudeam meâ, ut tibi placeam. Facilius enim bono Domino placemus, cum malo seruo displicemus.

Ï. 105. *Lucerna pedibus meis
verbum tuum, & lumen semitis
meis.*

ECCE, Domine, servi ardentis facies præferunt Dominis suis; & tu in verso ordine faciem ipse nobis præfers. Non enim indiges operâ fervorum tuorum; sed servi tui indigent beneficio Domini sui. En tu ipse minister es infirmitatis humanæ, & *quasi qui ministrat.* Luc. 22
27, Jacemus, & erigis. Titubamus, & sustentas. Versamur in tenebris, & ipse illuces. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.*

Etiam, Domine. Dirige gressus meos. Via difficilis & præceps. *Tenebræ super faciem terræ* aspectum omnem eripiunt. Latrones in insidiis. Hostis ferox insequitur, & aperta vis. Quid

agam, aut quomodo fugiam? Nisi ad-
sis, non est ubi pedem ponam. Esto er-
go *lumen semitis meis.*

Sed confitebor Domino meo miseras
meas. Non mihi sufficit certum esse de
viâ, ut vestigium imprimam, cum
pedes ipsi omni morborum genere cor-
rupti sint. Sine te, non est via in quâ
ambulem: sed sine te, nec est qui am-
bulet. Non tantùm ergo *lumen semitis
meis* petam à Domino meo, sed *lucernam
pedibus meis.*

O lucem Domini mei prorsus admi-
rabilem! Lux ista solis tui qui nobis
lucet jussu tuo & reliquís animanti-
bus, miro quodam modo quem satis
scire non possumus, viam ostendit quæ-
cumque fit, sed non mutat. Si via sit
angustior & impedita, non explicat;
si longior, non contrahit; si lubrica aut
mollis & cedens vestigio, firmamentum
stabilitatis non conciliat; si periculosa,
securitatem non affert. Tam lucet sol
latroni ad invadendum, quàm mihi ad
fugiendum.

Non sic lux tua, Domine, *non sic*,
quæ filiis tuis lucet, non alienis. Quid-
quid deest, tuis per illam adest. Quid-
quid impedimento esse potest, id om-
ne removet. Quidquid fieri non potest
naturâ deficiente, per illam facile fit

S O L I L O Q U I A. *Quomodo.* 257
gratiâ vincente. Si via nobis desit ,
viam facit , & ipsa est via nostra. Si hæ-
reamus ob morbum , sanat nos , &
ipsa est sanitas nostra. Si infirmi su-
mus , vim addit ambulatibus , & ipsa
est fortitudo nostra. Si deficient neces-
sarii commeatus , subvenit inopiæ no-
stræ , & ipsa est cibus noster. Si mœsti-
tiâ & dolore angimur , omnem expellit
tristitiam , *jucundos reddens secundum* Judith.
faciem sanctorum , & ipsa est gaudium ^{16.}
nostrum.

Quid simile luci tuæ , Domine ; quid
simile Verbo tuo creanti nos , redimen-
tinos , & in omnibus nobis præeunti ?
Lumen coeli , lumen tuum ; & ipsum
est *Verbum tuum* , quod est *lucerna pedibus*
meis. Quanti pretii lux nostra ! Quàm
magnificè cernimus ! Cæcum esset cor
nostrum , nisi verbum luceret in corde
nostro. Etiam , Domine ; sit *lucerna pe-*
dibus meis verbum tuum , ut prius affectum
emendet errantis ; & *lumen semitis meis* ,
ut emendet quæ circa me sunt , & ip-
sius materiam tollat erroris.

Noverim , Domine , quid agendum
sit , & quo quidque modo fieri oport-
teat , ut sit *lumen semitis meis*. Sed non
minus noverim , me nulli viæ quantum-
vis facili idoneum pedibus destitui , ut
sit *lucerna pedibus meis*. Illuminantur pe-

258 PIA IN PSAL. CXVIII.
des, cum eos nihil posse cognovero. Illuminantur *semita*, si me illis non credam, ut melior via requiratur quæ via est ambulantium, & patria pervenientium. Si *lumen* tuum hoc fulgeat in *semitis meis*, nihil me decipiet: si in *pedibus meis*, non me ipse decipiam. Quid enim mihi prodesset viam nosse, si ipse me non nossem. *Sit ergo lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. Amen. Fiat, fiat.*

ψ. 106. *Juravi, & statui custodire
 judicia justitiæ tuæ.*

AUGES lumen tuum, Domine, ut magis videat servus tuus. Nunquid non augere debeo obsequium meum, ut non ingratus sim? *Quid retribuam Domino pro lucernâ ejus, quæ de sole justitiæ accenditur?* Qui perfectius videt, perfectius ambulet. Cum illuminas tenebras meas, & lumen semitis meis non deficit, ambulem in lumine. Etiam, Domine; festinem, ne occidat sol. Magis timeam ne displiceam Domino meo; cum se magis conspicendum præbet, magis amem. Cum aperiuntur oculi, dilatetur cor, ne frustra aperiatur. Miserere, Domine, inconstantiae
 ●léc. 11. *amantis; astringe illam arctioribus vinculis charitatis tuæ.*

SOLILOQUIA. *Quomodo.* 259

Juravi, & statui custodire judicia justitiæ tuæ. Fœlix necessitas, quæ me compellit ad obsequendum Domino meo! Ista necessitas, amanti libertas est. *Statuam* igitur, iterùm atque iterùm hoc statuum apud me; ut mutari non possit consilium, quod repetito toties proposito firmatum est. Non infringatur verbum hoc. Juras, Domine, ut magis credam pollicenti: Fac me imitari firmitatem verbi tui. *Sit mens ita fixa in August.* *custodiendis judiciis justitiæ tuæ, ut sit omnino pro juratione quod statuerit.* Non est quod timeam polliceri. Polliceor vitam, & vita est cui polliceor. Adjuvat pollicentem, & seipsum dabit ut impleam quod pollicitus sum. Polliceris auxilium quod non debes; polliceor obsequium quod debeo, tibi quidem inutile, sed necessarium pollicenti.

Da ergo, Domine, ut toties & tam efficaciter *statuam custodire judicia justitiæ tuæ*, ut saltem sic superetur inconstantia mea, & majorem vitæ æquabilitatem conciliet ejusdem propositi frequens iteratio. Nisi *custodirem judicia justitiæ tuæ*, non viverem, & mors certa non custodienti. Ergo mihi ipsi hoc præsto, quod propono & statuo. Sed & ista se adhortantis ad vitam, & ad obedientiam seipsum impellentis incitatio, placet Do-

260 PIA IN PSAL. CXVIII.
mino meo. Hoc ergo sæpè iterandum,
ne cadam.

Statuo mihi standum : sed quid pro-
dest statuere, Domine, nisi etiam dede-
ris stare, sine quò nec statuere poteram.
Juravi, & statui custodire judicia justitia tua.
Tantò ero felicior, quantò magis mihi
non licuerit, non *custodire judicia justitia*
tua. Custodiantur, custodiantur. Si ju-
sti hominis judicio acquiescendum cre-
derem, cur non acquiescam justitiæ ip-
sius judicio? Hominis justitiæ cedi-
mus, & non cedimus justitiæ Dei? En-
plus valet ad metum contradicendi,
judicantis hominis authoritas, quàm
judicantis Dei.

Absit hoc à nobis, Domine. Quod-
cumque statuis, hoc justum est : Nec
alia est lex æquitatis, quam lex summæ
voluntatis, cui cum consentimus justi-
sumus. Tam amem Dominum meum,
ut amem etiam percutientem; & tam
amem percutientem, ut amem percuti.
Nemo dura putet esse quæ justa sunt. Ame-
mus judicantem. Amemus judicium ju-
dicantis; ut custodiamus judicia justitia tua.

¶. 107. *Humiliatus sum usquequaque, Domine: vivifica me secundum verbum tuum.*

QUICUMQUE tuus esse voluerit, Domine, mundum habebit inimicum. Amat quidem, sed quod suum est. Cum te oderit, eos amare non potest qui te amant. Hinc cum me jurando addixi fervituti tuæ, voto meo læsus injuriam sibi fieri credidit, & sequi te statuentem persecutus est.

Humiliatus sum usquequaque, quia facile fuit vincere non resistentem, & vinci volentem ut vinceret. Cum mihi omnia adimeret, vincere se arbitrabatur demens, cum crucem tuam mihi ipse suppeditaret quâ vinceretur. Nihil cruce ad vincendum aptius, quâ vicisti: nihil aptius ad vivendum, quia mortem crucis elegisti ut viveremus. En crucem tuam, instrumentum & causam vitæ meæ: *vivifica me*. Peto vitam à Domino meo in ipso velut fonte vitæ, à quo fluxit in orbem universum. En crucem, da vitam quæ crucis fructus est.

Non frustra *vivificari* quæro *humiliatus* in cruce, quia tempus hujus petitionis opportunum est. Nihil aliud quod expectari possit in cruce, præter vitam

æternam; summum hoc bonum complectitur, caducorum bonorum egentissima, quod ad illius commendationem maximè valet, cum bonis careat quibus perimus, & aliis abundet quibus salvamur. Vide, Domine, humiliatum. Vide crucem tuam, & salva me. Rem peto crucis, salutem petens.

Vivifica me secundum verbum tuum. Pollicitus es, & non fallis. Nonne hoc est verbum Domini mei: *Cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum?* Crucis tuæ potentiam prædicabas. Eni crucem conscendisti; trahe me ergo ad te, quia vivificari non possum sine te; & vita mea est conjungi Domino meo.

Vivifica me secundum verbum tuum; quia si vivificarer secundum verbum meum, morerer. Verbum meum, mors mea: & hoc valere potest ad felicitatem meam. Cum enim moriar in me, quid superest nisi ut vivam in te, & vivam? *Vivam secundum verbum tuum,* quia morior secundum verbum meum. Inhæream verbo vitæ, & sequar imitaturus. Plenum sit cor Verbo Patris, ut imiter Patrem.

Audax pollicitatio, Domine, & fortè temeraria. Quomodo imitabor Patrem tuum? *Nunquid cælum potero fa-*

SOLILOQUIA. *Quomodo.* 263
tere, aut terram, aut mare? En facilis
imitatio, & necessaria. Nihil fecit Pa-
ter sine Verbo, cum Verbo fecerit om-
nia. Adjuva me, Domine, ut nihil
quoque faciam sine Verbo. Quidquid
agam, quidquid loquar, consulam
Verbum vitæ. Adhibeam te ad omne
negotium, & sint mihi verba tua lex
vitæ. Nihil aliud meditetur cor meum
quàm quod dixisti; ut nihil aliud agat
quàm quod iussisti: ita enim *vivificabis*
me secundum Verbum tuum.

ÿ. 108. *Voluntaria oris mei bene-
placita fac, Domine; & judicia
tua doce me.*

S I hîc in tantis miseriis vivere oportet, certè vivendum est ad orandum. Fructus vitæ, & penè utilitas omnis, oratio est. Cum ergo, Domine, spiritum vitæ largitus fueris servo tuo, *vivificando me*, largire etiam spiritum orationis tuæ, *voluntaria oris mei beneplacita faciendo*. Da voluntatem orandi *inclinando cor meum* ad te: *loquatur os ex abundantia cordis*, & erumpat in vocem amoris tui. Matth. 12.

Fac ipse ut tibi placeat oratio mea, auferendo à me quidquid tibi non placet, ut nec mihi placeat quod displicet Domino meo. Displiceat mihi, Domine, quidquid sum sine te,

ut placeat tibi votum orantis, & audias vocem lacrymarum mearum confitentium Domino meo miseriam meam, & clamantium ad te: *Miserere mei, Domine.*

Non ut Judæus orem te, sed ut Christianus. Ecce, Domine, sæpius orat os meum, non orante corde meo. Ecce quoties *labiis honoro te* confitentibus nomen tuum, quod cor ipsum non confitetur? Ecce verba gementium proferuntur, & cum mundo gaudeo, placens mihi in oblectationibus sæculi. Ecce voces cantantium, & pio gaudio in te exultantium imitamur, eodem mœrore tristes quomundus luet.

Quomodò *voluntaria oris mei* offeram tibi, cum nulla sit in orante voluntas quæ tua sit? En torpens frigore meo propero ad templum; sed non *in spiritu* sicut Simeon. En consuetudini servio, non amor. Urget hora cantus, sed non urget cantantem affectus. Nullâ cordis mei incitatione ad orandum feror. Et si quis quæreret ab introeunte in templum: Convenis Deum tuum; Quid quæris à Deo tuo? Quid expectas? Quâ spe incitaris? Quo gaudio sursum effunderis? Quid luges, quid times? Ex tot morbis animæ tuæ, quem magis elegisti ut ferres ad sanaptem? Obrueris beneficiis ejus: quas potissimum gratias acturus alloqueris Deum tuum? Si vera inter-

SOLILOQUIA. *Quomodo.* 265
roganti responderem, Domine, nil possem respondere. Plenum quidem cor affectibus, sed non tuis. Cogitationibus externis, hoc est meis, occupabar antea, post cantum redituris, & sæpius nec à cantante discedentibus.

Undè non *voluntaria oris mei* offero, tantùm secutus consuetudinem oris mei aperientis se hoc & hoc tempore ad proferendum verba assueta, & sæpè ad officitandum: Miserere, Domine, orationum nostrarum; & ut mutetur oratio, muta cor orantis. Fac ut loquar ad te, & da quod loquar. *Judicia tua doce me.* Et si enim cum etiam legimus, docere nos soleas, plenius tamen doces cum oramus; quia major scientia est, cum perfectius veritati conjungimur. *Fiat, fiat.*

¶. 109. *Anima mea in manibus meis semper; & legem tuam non sum oblitus.*

DA mihi, Domine, ut facile mihi non credam; & hoc ut peterem docuisti, qui Judæis non credebas, corpore tantùm accedentibus ad fidem, non animo; qui non credit, nisi cum jam incipit mutari. Interdum nescio quos impetus orandi sentio, & dulce mihi videtur orare te. Sed si quid patiendum esset,

vel pro nomine tuo, vel fratrum causâ,
nollem hoc, & amarum esset patienti.

Prorsus, Domine, decipio me. Sed
quid hoc prodest non decipienti te. Si
cum orare videor, *voluntaria oris mei* ape-
rientis se ad gemendum vel laudandum
placerent tibi, & exaudires; *anima mea*
versaretur *in manibus meis* parata ad exitum,
nec recusaret mortem, si quædam
moriendi necessitas incumberet; quia
quos doces, Domine, in scholâ hâc in-
timâ orationis tuæ, hoc maximè doces,
ut sibi moriantur & mundo, ut fratri-
bus & tibi vivant. Schola orationis, scho-
la amoris. Et ipsa oratio, desiderium
ejus, & quidam impetus quo quærit te,
ut fruatur te. *Qui orant te, desiderant te.*

Quæ nova hæc oratio, fugientis Do-
minum suum, & viam horrentis quæ
ducit ad dilectum, hoc est omnia pericu-
la formidantis. Domine, non video *ani-
mam meam in manibus meis*; sed fugit &
latet quomodo potest, ne patiatur; &
offerenti sacrificium meum, aut offerre
volenti deest anima, nec viva est hostia,
quæ ideo repudiatur. Undè facile addu-
cor ut credam nec videre te orationem
tuam in corde meo.

Vacuæ manus vacuum cor esse ar-
guunt. Si non est qui patiatur, profectò
non est qui oret; nec queri possum ad-

SOLILOQUIA. *Quomodo.* 267
versus justitiam manifestam. Deest anima ad patiendum, deest spiritus ad patiendum: quid æquius? Nonne spiritus tuus magis est vita cordis mei, quam anima mea manuum mearum? Subtrahō astutē quod meum est; & subtrahis justē quod tuum est.

Domine, miserere mei, & converte me. *Sit anima mea in manibus meis*: Et in hoc credam quod non abstuleris à me orationem tuam; atque ita non obliviscar legem tuam, quam oblitus sum quotiescumque nolo pati. Adducit nos amor tuus ad patiendum, quia prior passus es; & nisi passus fuisses, non amaremus. Non ergo tantum amanti te patiendum est, quia passus est quem amat, quod valet ad conformitatem amantium; sed quia amor ipse quo beati sumus amando te, ortus est ex latere morientis, & cruci tuæ originem suam debet.

Non obliviscitur ergo legem amoris, qui non obliviscitur legem passionis. Et cum te amare crediderim, qui pro te pati vult, & cujus *anima in manibus* est, ut profundatur cum volueris, tam ardens ad amandum & orandum, quam ardens est ad patiendum. Amen.



✠. II. Posuerunt peccatores laqueum mihi; & de mandatis tuis non erravi.

BENE, benè. Animæ ad patienti- dum se effudenti, & non oblivif- centi legem Domini sui ponant pec- catores laqueum, in quem seipfi peri- culosius infidiando conjiciunt; hoc enim multùm valet ad foelicitatem ser- vorum tuorum. Non frustra infidian- tur inimici. Urgent exitium suum, & omnem operam ponunt ut pereant ipsi, & non pereant quos oderunt: nihil enim aliud optant quàm ut patiantur; quod cum illis conceditur, non pereunt qui patiuntur, imò patiendo servan- tur, & pereunt tantùm per quos pa- tiuntur. Flammâ fornacis per ipsum os ejus erumpente consumuntur, qui pue- ros tuos in fornacem projecerunt; & non consumuntur qui projecti sunt, sed benedicunt Dominum suum.

Daniel.
3.

Videlicet qui fruuntur amore tuo, nihil illis deest ad perfectam foelicitatem; quia ipse hic amor, foelicitas est beatorum. Crucem tantùm sibi comparare ipsi non possunt, quæ alienâ semper operâ conscenditur. Hoc unum de- erat. amantibus, & ecce non deest:

Posuerunt peccatores laqueum.

En sapientes sæculi, quos in sapientiâ suâ, quæ tibi stultitia est, comprehendis, Crucem ipsi advehunt magno inventam periculo suo, & majori advectam, ut vincant qui conscendunt, & vincantur in quorum labore in eam conscenditur. Crucem afferunt pereundo, ut serventur amici tui patiendo. Et tamen sapientes se arbitrantur inimici, cum sapienter tantum id comparent quod nobis necessarium erat, ipsi vero dementissime pereant.

Sinamus illos: faciant de nobis quidquid voluerint. Non opponamus consilia consiliis, & circumcursationes circumcursationibus: una est prudentia ut amemus, & patiamur quodcumque jusserit quem amamus. Nobis tantum cura sit mandatorum coelestium. Non servamur sapientiâ nostrâ quæ abjicienda est, sed sapientiâ mandatorum Domini nostri. Cum non *erramus*, hoc *mandatis* debemus amanti nos. Jussit ut amaremus, & ipso ejus amore servamur. Tantum amandi cura sit, quia amando vincimus. Amentur etiam ipsi qui *laqueum posuerunt*, ut *non erretur* amando.

Error omnis, quidam amoris defectus est. Sed ut verus sit amor, jungatur patientia; & ut vera sit patientia,

ab eâ haurimus spiritum vitæ. Morte enim tuâ vivimus , cum verbis tuis vivimus.

Sed da nobis , ut hæc hereditas æterna sit. Amor tuus , quem Scripturæ tuæ jubent nos imitari , æternus est. Ament semper , qui amant ; ut æterni sint. Æternum est verbum , quod prædicant. Æterna charitas , quâ intelligitur , & quâ possidetur. Ad regnum vocant æternum , quod regnum est veritatis æternæ. Non amemus temporalia , ut simus æterni. Nullæ abundantiores divitiæ , quam Scripturarum tuarum ; sed non profunt divitiæ , quantæcumque sint , quibus mendicitas succedit æterna.

Hereditate ergo acquiram testimonia tua in æternum ; quia exultatio cordis mei sunt. Unde melius gauderem , Domine , quam de te & in te ; aut quod majus gaudium , quàm veritatis ? Sed hæc sit non sensuum exultatio , sed cordis. Sensuum lætitia infirmitatem affert gaudentibus ; sed cordis gaudium fortitudo est , & fortitudo tua quâ vincimus. Ideò gaudium fortitudo Domini , quia à spiritu Domini. Gaudeamus igitur , cum audimus spiritum tuum in Scripturis tuis loquentem te. De te loquitur , quia à te procedit & à Patre tuo quocum vivis & regnas.

Ps. 112. *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum, propter retributionem.*

SCIENTIA Scripturarum tuarum, Domine, scientia cordis est. Verbo tuo admonemur ut amemus te, & eodem fit ut amemus. Idem amorem tuum præcipis, & infundis: non enim tantum jubes, sed das quod jubes. Ergo cum *non sit in potestate nostra cor nostrum:* Ambrosi
si à nobis inclinari non possit, ut non potest, conveniamus te, Domine, quærentes te in libro tuo & in verbis tuis, ut igne illo cœlesti superatâ duritiæ & contumaciâ ejus, *inclinetur ad faciendas justificationes tuas.*

Inclinavi, Domine, & à te supplex peto ut inclines; quia opus hoc, & divini muneris est, & propria voluntatis. Inclino illud, quia inclinas. Facio quidem quod præcepisti & facio libens, non tantum non coactus, sed spontaneo liberoque motu voluntatis liberæ, & ut ita dicam, incitatissimo; non minus tamen tibi debeo in opere tuo, etiam quod meum est; quia facis ut faciam.

Inclinavi cor meum; verbo tuo non tantum appellente ad aures meas, sed movente intus cor meum, ut obtempera-

rem præceptis tuis , quibus obtemperando vivimus , & quæ sunt vita obtemperantium. Nonne & hoc innuis , Domine ; humilitate ad charitatem deducis nos , & veritatem. Si cor exaltaretur , cœcutiret in inveniendis justificationibus tuis , ideoque nec faceret eas , unde & moreretur. Inclinetur ergo , & sit humile ut vivat , & semper vivat.

August. *Non moriuntur , nisi superbi : Ideò ceciderunt , quia præsumpserunt. Ideò stant quicumque stant , quia non in se , sed in te gloriantur. Perseverantia & vita æterna , donum est humilium. Si placet beata æternitas , placeat & beata humilitas , quæ cor inclinât ad faciendas justificationes tuas in æternum.*

Propter retributionem. Spes mercedis necessaria laboranti ; & hoc recreat laborem , ingruentesque repellit molestias , dum consolatur. Spero mercedem , Domine ; sed tu esto spes mea , & merces mea , *merces magna nimis.* Quàm fortis est , Domine , qui te uno contentus est. Quàm beatus jam , qui nullum aliud præmium quærit quàm te ipsum. *Inclinetur cor meum in retributionem tam abundantem & magnificam,*

Genes.
25.

Hoc semper cogitem , sanari me à Deo meo , & ipsum esse sanitatem animæ meæ ; vivere me illi , & ipsum esse

SOLILOQUIA. *Quomodo.* 275
vitam meam ; laborare me illi , & ip-
sum esse præmium meum. Nonne hoc
continget , ut *lancem in librâ ponderibus* Theodoꝝ
impositis deprimi , sic animum cedere per- Chrysoſt.
ſpicuitati veritatis tuæ , & inclinari cor
meum verborum tuorum suavitate , &
ſanctarum cogitationum impulſu. O
Domine , ne deprimat vanitas in oppo-
ſitâ lance , veritas tua ſemper inclinet
cor meum , & ſit pondus ejus amor
tuus ; ut movear *ad faciendas juſtifica-* Auguſt.
tiones tuas in æternum propter retributionem.
Amen.



██

ψ. 114. INIQUOS odio habui, & legem tuam dilexi.

CHARITAS tua, Domine, etiam probetur odio. Amor veritatis in quam inclinari peto cor meum, odio mendacii demonstratur. Multum amandus es, Domine: & quis satis amabit Dominum, tam magno amore & æterno amantem nos? Totum cor occupetur affectu tam necessario. Nil pereat amoris, quo tam bonus Dominus amandus est. Si amem aliquid quod amari non debeat, minus amabo te. Damnum amoris, damnum vitæ. Si jactura facienda est, fit illa certè rerum peritura-rum, quas amitti sæpè lucrum est amit-tentis. Sed nulla fiat jactura amoris æterni, quia amor est, & ne fortè jactura æterna fit.

Quid hoc est quod confiteor Domi-no meo? Non tantum subtrahō sacri-ficio Domini mei aliquid amoris quod re-bus vanis impendatur, sed quod cedat in lucrum inimicorum tuorum. Partem amoris tot nominibus tui non largior etiam exigenti, ut illam largiar iis qui te oderunt.

Magnum

SOLILOQUIA. *Iniquos.* 277

Magnum hoc malum , Domine , & *peffima infirmitas* cordis mei. *Coram te non* Deut. 7^o
potest stari super hoc ; & nisi miserearis infantiaẽ bonum suum ignorantis , nimis hoc sufficeret ad exitium animæ meæ. Libera me , Domine , ab hac amoris tui imperitiâ. Non mihi placeant qui tibi non placent , ne quis mihi Propheta hoc exprobret ; *Cum his qui oderunt Dominum* 2. Paral:
amicitiã conjungeris. Iniquos odio habeam , 19^o
quia iniquos odio habes. Sequar judicium amoris tui, quo nihil sapientius. Nihil oderim eorum quæ amas. Nihil amem eorum quæ odisti. Sint mihi odio sermones eorum , sententiæ , judicia, actiones, colloquia. Ipsas eorum virtutes improbem coram te , quas improbas. Miserear quidem pereuntium , sed non laudem pereuntes.

An misererer morientium , si arriderem morientibus ? An amarem homines quos fecisti , Domine , & in quibus amandum est opus tuum , si me oblectarem in morte eorum ? Quam timendum *Hicetor,*
ne tandem placeat mors ipsa , cum tam multa placent quæ pertinent ad mortem miserorum , & quæ ipsi eorum exitio conjuncta sunt.

Ecce , Domine , aut non diligeris , quod malorum omnium maximum est , aut diligitur lex tua. Lex enim tua veri-

tas est , & tu dixisti : *Ego sum veritas*.
 Lex tua charitas quâ vivimus , & tu
 dixisti : *Ego sum vita*. Quomodo ama-
 bo utramque hanc legem iniquos dam-
 nantem , si amem iniquos ? Quomodo
 amabitur veritas , si consentiam men-
 dacio , amando mentientes , & faven-
 do mentientibus ? Quomodo amabitur
 charitas , cum amabuntur inimici cha-
 ritatis ? Si amem legem arguentem il-
 los , & nisi obsequantur præcipienti , se-
 parantem se ab illis , arguam & ipse , &
 tandem deseram deferentes te , ut amem
 eos & legem quâ puniuntur. Ita in me
 hoc verbum tuum implebitur ; *Iniquos
 odio habui , & legem tuam dilexi*.

ÿ. 114. *Adjutor & susceptor meus
 es tu ; & in verbum tuum super-
 speravi*.

S. Hilar. **E** C C E , Domine , *bonesto & utili*
odio iniquos profecutus sum , ut di-
 ligerem legem tuam , quæ hominibus
 præferenda est. *Unde hoc mihi ? An quia*
melior sum aliis ? O me ingratum , si
non agnoscam misericordiam Domini
mei ! Adjutor & susceptor meus es tu. Ad-
juutor , cum sustines ne cadam : *susceptor* ,
 cum suscipis cadentem , & erigis. Tan-
 ta est infirmitas mea , Domine , ut ni-

miùm sæpè contingat collabi me inter ipsas manus sustinentis, cum me subtraho misericordiæ salvantis, & minus adhæreo vitæ meæ.

Actum esset de salute mea, si tantum prohiberes ne peccarem, & peccanti non parceres. Piè auxiliaris ne cadam, & *adjutor* es. Piè offers te cadenti; piè facis ut facili lapsu & molliori cadam inter ipsas manus accurrentis, & *susceptor* es. *Adjutor in presentibus periculis; susceptor in futuris.* Hieron.

Quid ergo retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Virtus mea, si quæ sit, auxilium gratiæ liberantis, non proprium est meritum liberati. Ne sim mendax & peream, non mihi salutem hanc imputem, sed salvanti. Non hoc sine te, & absque tuo auxilio. Adjutor & susceptor meus es tu, & in verbum tuum super- Chrysost. hic
speravi. Domine, fiducia cordis mei, quâ innititur liberanti, respondere debet misericordiæ liberantis. Ut magna est redemptio, sit magna spes eorum qui redimuntur. Spes nostra, digna sit verbo in quod speramus.

O felices nos! Eodem verbo salvamur, quo cæli omnes, quo terra universa, quo nos ipsi creati sumus. Ut nihil resistere potuit creanti, ita nec salvanti. Possumus quidem resistere, &

resistimus : Sed major est etiam iniquitate cordis nostri qui salvat nos , & nemo est qui nos eripere possit de manu salvantis. Venient ad te quos Pater tuus traxerit ; venient , & non erit potentior homo ad pereundum , quàm Deus ad salvandum. In verbum ergo tam efficax supersperemus ; in verbum quod non tantùm salvat , sed quod salus ipsa est salvandorum. O spem justam & necessariam ! Quàm miseri quos latet verbum hoc , & non sperant in eo , ut sperent in dementi & perditissimo auxilio ! Stultus , qui non sperat in vitâ hac. Sed quàm stultus , qui ideò non sperat in vitâ tam beatâ , ut speret in morte tam inœlici !

Ecce , Domine , si sperem in auxilio sæculi hujus , aut non salvor , aut miserè salvor mox periturus. Sed quæcumque sit salus hæc tam exigua , tam nihili , & quæ tam magno mihi constabit , salvat me homo , sed non salvat me spes quâ in eum spero , imò angit & torquet sperantem , quia justus es. Sed spes tua , Domine , & ipsa salvat , & consolatur , & nutrit , & ditat. Cum tale sit verbum & talis spes , non tantùm sperandum , sed *supersperandum est.*



ψ. 115. *Declinate à me, maligni; & scrutabor mandata Dei mei.*

GRATIÆ agendæ fuerunt Deo meo, qui hoc mihi tribuit ut iniquos odio haberem, & ab omni eorum consuetudine recederem tam periculosâ animæ meæ. Quicumque enim adhuc eorum consortio implicatus est, minùs vacat Deo suo. Magna hæc pœna, & quæ terrere possit amantem te, quamvis alia non accederet. Et multæ sunt. *Declinate à me, maligni; & scrutabor mandata Dei mei.* Domine, non timeam iudicium superborum. Si aliter fieri non possit, obsecrem eos ut parcant mihi saltem, si ipsi sibi parcere nolunt.

Fac me imitari simplicitatem Prophetæ tui, mundo displicere non metuentis ut sibi prodesset, & iis ipsis quibus displicebat ut tibi placeret. Non taceam illis consilium meum, quod utile erit imitantibus, & quod mihi libertatem conciliabit fruendi te, si non imitentur. Ecce salvari volo, & pauci sunt qui salvantur: aut salvamini mecum, aut si perire vultis, relinquite ut saltem solus salver. Verba quæ deberi credebamus amicitiae humanæ, debentur amoris divino. Ecce vobis taceo, ut loquar Deo

meo. Parum superest temporis , ut otiosè effluat rem suam non agenti. Multum amavit me Deus meus: Multum amandus ; ergo solus amandus est.

Declinate à me. Adjuva me, Domine, ut hoc audiant : aut si non audiunt, non minus hoc loquar etiam non audientibus. Non frustra accidit ut Propheta tuus *hujus sermonis figuram verteret*, & cum antea te alloqueretur, illos statim alloquutus sit. Exemplum dedit imitaturis. Homines illum malos, non malos spiritus alloquutum fuisse crediderim, cum illi verbis egeant ut arguantur, isti verò maximè silentio nostro, & fide non dubiâ arguendi sint. Fugiunt nos, cum sperantes in te imperamus illis. Audiunt præceptum imperantium, cum tacemus & Deo loquimur.

O Domine, adjuva infirmitatem meam. Hoc à meipso obtineam, ut *nemo mihi molestus sit*. Heu me, ut quid adhuc consulo, ut quid hæres, anima mea? Fac, non displicere Deo homines istos. Etiam hoc concedam, quod concedi non potest, non esse illi inimicos. Sint homines boni; sed sint homines. Ecce Deus meus vocat te ad colloquium, & audisti vocem vocantis. Ecce expectat te. Sermo illi erit tecum de Scripturis suis, quas te scrutari vult. Quamvis

Non merearis, *virtutem operum suorum annuntiabit tibi.* Festina, quocumque detinearis morbo, satis est audire loquentem, ut faneris. Sed si audieris, regnum suum & se dat tibi; ipse præmium est audientis.

Et isti expectant te. Sed quid justius; hominem-ne Deo cedere, aut Deum homini? Expectent te servi si voluerint, dum tantus te non expectet imperator. Satis est cum Deo loqui, ut vivas. Satis est fortè loqui cum homine, ut moriaris. Non consulam amplius. Adjuvame, Domine, ut eligam te, & verè dicam coram te: *Declinate à me maligni, & scrutabor mandata Dei mei.* Fiat, fiat.

ψ. 116. *Suscipe me secundum eloquium tuum & vivam; & non confundas me ab expectatione mea.*

SUSCIPE cadentem sine te. Suscipe errantem sine te. Suscipe relinquentem te, nisi miserearis, & meipsum non relinquant. Sensus mei vitæ meæ contrarii pactum cum morte inierunt; obstat perituris, & *suscipe me.* Somniorum meorum vanitate, & rerum præterlabentium mendacio delector; menti meæ veritas tua affulgeat, & *suscipe me.* Amo quod non amandum, & sic immi-

nuitur amor tuus qui est vita mea. Minue cupiditatem, auge charitatem, & *suscipe me*. Totus cado, totus pereo; totum sustine, totum sana; & *suscipe me secundum eloquium tuum*.

Quomodo sanandus sit, nescit ægrotus. Quidquid volo, morbus est; quidquid vis, sanitas est. Cedat morbus sanitati; cedat voluntas ægrotantis voluntati medentis; non tantum quia remedium novit quo convalescam, sed quia ipsa remedium meum est. *Suscipe me ergo secundum verbum tuum*, quia verbum sanantis vita est morientis. Nisi mihi adfit verbum hoc, morior. Verbo sanas, & verbo vivimus.

Suscipe me ergo secundum eloquium tuum, & vivam. Sileam ipse, ne moriar: loquatur Dominus meus, ut vivam. Verba ejus, verba vitæ æternæ. Verba mea, cum solus loquor, initium mortis æternæ. Si *susciperes me secundum eloquium meum & desiderium cordis mei*, caderem & morerer. Mihi sum morbus, tu mihi sanitas es. Libera me à me, & sanor: Da mihi te, & sanus sum. *Suscipe me secundum eloquium tuum & vivam*.

Et non confundas me ab expectatione mea. Confundentur qui non expectant Dominum meum: sed qui expectant non confundentur. Non timeo ergo ne con-

fundar expectando te, quod fieri non potest; sed ne aliud fortè expectando, non expectem te. Hoc periculum meum. Timeo ne cum videar mihi aut aliis expectare Dominum meum, ipse intus, ubi melius vides, expectem inimicum tuum, hominibus & mundo placere desiderans. Hunc enim expecto, quem amo; & hæc est natura cordis mei, ut non sit aliud *pondus ejus* quam *amor ejus*, *August.*
quo fertur quocumque fertur.

Confiteor tibi peccatum meum. Cum hoc semper loquantur Scripturæ tuæ, te *humilibus dare gratiam*, fateor, mihi placuit humilitas tua; & hoc esse votum cordis mei arbitratus sum, ut humilis fierem. Sed quando humilias me, sive per teipsum miris modis, sive per quoscumque alios; cum gaudere deberem, & gratias agere, intelligens donum tuum, molestè fero, & multùm expostulo: repello manum sanantem, & fugio.

Quid hoc est, Domine? An medicum expectare possum cum abest, quem expello cum adest? Prorsus *confundor ab expectatione meâ*, quia decipit me cor meum, & falsa est expectatio mea. Da mihi ergo, Domine, ut amem bonum meum, & non amem amplius malum meum. Cum enim ad spem salutis tuæ exarsero, vera

erit expectatio mea , quia verus erit amor meus ; & sic *non confundes me ab expectatione meâ*. Sed ut vera sit sanitatis expectatio , non meritum est ægrotantis , sed donum sanantis.

ÿ. 117. *Adjuva me & saluus ero ,
& meditabor in justificationibus
tuis semper.*

Auguft. **N**ONNE , Domine , *tanquam respondises Propheta in silentio : si non vis confundi ab expectatione tua , non intermittas meditari in justificationibus meis ; ipse sentiens istam meditationem plerumque anima languoribus impediri , ad te confugit ut largireris quod præcipis , & dares ei cor intantum justificationibus tuis : Adjuva me , inquit , & saluus ero , & meditabor.*

Ista Prophetæ tui oratio sit , & mea. Jubes ut meditemur: Libera nos ut meditemur. Quomodo enim meditabitur legem tuam , qui alienus est à lege tua ? Quæ utilitas id meditari me quod non cupiam , & otiosâ cogitatione versari tanquam in rebus alienis , nullo voto cordis mei ?

Cogitem , Domine , justificationes tuas , sicut avarus cogitat pecuniam , dolendo paupertatem suam & optando divitias. *Mediter in justificationibus tuis , ut*

non remaneam injustus ; sed accensus desiderio justitiæ Domini mei , usurpem ad amandum quod exhibes ad meditando. Libera me , Domine , à sterili meditatione non amantium te , nec saltem hoc quærentium ut ament.

Quam infœlices qui meditantur , & pereunt ; cum tantùm meditandum sit , ut non pereamus , & ut amemus ! Salva me , & meditabor. Salus tua meditationem meam antecedit aut consequatur ; aut inveniatur , aut saltem quærat , ne frustra meditemur. Sit amoris incitatio , meditatio amantis. Non enim salvas , nisi cum amas , ut ameris. Ut ergo falver , amandum est ; & ut perfecta sit meditatio , perfectè amandum est.

Adjuva me ergo , & salvus ero. Cum adjuvant homines , non ideo salvant ; immo adjuvari ab eis tam inutili auxilio , multis causa est pereundi. Tu solus adjuvas , & salvas ; quia auxilium Domini mei , non tam via est ad salutem , quàm salus ipsa. Libera me , Domine , à salute hominum. *Hic non magna , non vera est salus.* Ambros. An magna salus in adeptione rerum tam vilium , & exiguarum ? An vera salus , statim morituri ?

Adjuva me , & salvus ero. Hoc homini ab homine dici non potest ; quia pereuntibus salutem non possunt largiri qui pe-

reunt. *Adjuva me*, Domine, qui frustra non adjuvas. *Adjuva ut vivam*. Vivam verò, ut meditari possim justificationes tuas; & eas meditando, magis amem ut magis vivam. Non sint distincta tempora occupationis tam necessariæ. Semper meditandum est, quia semper vivendum est: *Meditabor in justificationibus tuis semper*. Sit ista non verborum tantùm, sed rerum ipsarum meditatio; ne si tantùm in nudâ cogitatione consistat, & bonis operibus non innixa sit, cito finiatur, & salutis æternæ non inserviat.

Theod.

†. 118. *Sprevisti omnes discedentes à judiciis tuis; quia injusta cogitatio eorum.*

UT sit utilior meditatio, & certius ducat & efficacius ad amantem ut & ipse amem, id maximè mihi meditandum est, quàm miseri sint & & infœlices qui te non amant. Videam in pereuntibus, unde non peream. Timeam in eis quod non timuerunt, & intelligam in exitio eorum quàm miserum sit non amare Dominum meum, quia non amando te discesserunt à te, & tu *sprevisti* eos. Non enim potest benè esse relinquenti te: & quocumque se vertant, moriendum est deferentibus vitam.

S O L I L O Q U I A. *Iniquos.* 289

Sprevisti ergo omnes discedentes à judiciis tuis. Utinam, Domine, intelligerem quis sit iste contemptus irati, & quam metuendus! Ut enim frustra non amas, sic neque frustra contemnis. Nonne quodammodo incipit non esse, qui contemnitur ab eo qui est, & à quo sunt omnia quaecumque sunt? Quàm vacuus, qui relinquitur à veritate implente omnia, & sustentante omnem naturam ut sit! Quàm detestandæ improbitatis, qui ab omni bono avertitur, ut se ad omne malum convertat! quem enim contemnit charitas, non amat quod amandum est; & inverso naturæ suæ ordine, amat quod non amandum est.

Hoc unum timeam, Domine, ne *discedens à judiciis tuis*, incipiam non esse, & ferar in abyssum immanem ultra fines veritatis tuæ & charitatis, ultra quos nihil est. Exulare à veritate & charitate, hoc est, sperni à Domino meo, infinita miseria est. Nihil tamen æquius, quàm ut spernas qui te spernunt, & qui contemnendo te, ipso suo contemptu puniuntur & pereunt. Miserear quidem pereuntium, nam & ipse *in eadem damnatione sum*, nisi miserearis: sed nihil admirer in pereuntibus, præter magnitudinem tanti mali, quod ne quidem cognoscunt. Nec divitias, nec gloriam

LUC. 236

42.

eorum admirer , quibus pereunt.

Sprevisti discedentes à judiciis tuis ; & contemptus iste æternus est. Sprevisti , & ego spernam , non fastu superbix , sed æquitate justitiæ. Spernam quos spernis ; non ut eos oderim , sed ut te amem. Hoc

Theod. valde meditati necessarium , ut intelligam quàm contemnenda sint quæ jubes ut contemnamus. Ducant me ad hunc contemptum & charitas amantis & veritas præcipientis ; ut duplici autoritate charitatis & veritatis impulsus , multum contemnam , quod multum contemnendum est. *Ne discedam à judiciis tuis , versentur semper ante oculos meditantis : & quia primum discedendi à te initium , in cogitatione est discedentis quæ nos separat à te , nil cogitemus nisi quod æternum est , ne separemur.*

Sap. 1.3.

Euseb. Ideo mentem homini dedisti ad cogitandum , ut te cogitaremus. Servemus eam veritati. Si illi furto aut fortè sacrilegio subtrahatur , injusta est. Audi vi , Domine , unum ex sanctis successoribus Evangelistæ tui Marci , noluisse unquam sedere in cathedra servi tui , quòd se eo honore indignum crederet. Nec ego usurpem sedem Verbi in corde meo. De me , nec de rebus vanis cogitem. Sua veritati servetur cogitatio , cui nata est ; ne si se alienis expulso Verbo tri-

SOLILOQUIA. *Iniquos.* 291
buerit , injusta fit, & ideo discedentes à
te contemnat nos.

Ψ. 119. *Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ : ideo dilexi testimonia tua.*

QUAM magna injustitia est, Domine, non esse tuum ! Væ discedentibus à te. Væ inimicis tuis. Cum enim vel minus peccare videntur, graviter peccant ; & nullum eorum peccatum leve est coram te, Dominum suum contemnentium, & transgredientium superbè legem ejus. Numquid non prævaricatores, quibus cum imperaveris suavissimo quodam & benignissimo imperii genere, ut diligerent te, cum illis ipsâ necessitate naturæ aliquid diligendum esset, maluerunt diligere inimicum tuum, & suum ; hoc est maluerunt perire, terram amando perituram, quàm salvari amando te ? Quidquid agant isti amando terram, & non amando te, *prævaricatores reputandi* sunt. Nec tam hinc delicti ipsius habenda ratio est, quàm imperantis, cujus præcepto non obsequuntur.

Adjuva me, Domine, ut nunquam mihi peccatum leve videatur, quo offenderis, & quod tibi displicere testatus

Basiliius
in Regul. es. *Istam enim peccatorum distinctionem magnorum & levium* (quamquam omnino probandam si non abutamur) *non ita expressit Evangelium tuum.* Displicere tibi, hoc est, vitæ displicere, hoc certè conjugii potest periculo mortis. An contemnendum verò periculum vitæ, & talis vitæ? Jam tum Evangelio tuo, tam graviter punienti verbulum non amanti fratrem, consentiebat Propheta tuus, qui *prævaricationem*, hoc est, magnum esse peccatum statuit *peccatorum terra*, non amantium Dominum suum.

Sed benedictus sit Dominus meus, qui *prævaricantes* vult haberi *peccatores terra*, non absolutè peccatores; ut misereatur fervorum suorum, peccantium quidem ob infirmitatem naturæ, sed terram non amantium. Non sunt *peccatores terra*, qui nihil aliud amare volunt præter eum qui fecit cœlum & terram. Sunt verò *peccatores terra*, qui sibi benè esse putant in terrâ morientium, & qui moriuntur ipsi amando res caducas; dicunt enim terræ, loquente cordis affectu; *Pars mea tu es.* Hinc *prævaricantur*, hinc *peccatores terra.*

Da mihi, Domine, ut qui sunt hujusmodi, nunquam beati, in quâcumque fœlicitate positi, mihi videantur; sed eos credam tantò miseriore quanto

S O L I L O Q U I A. *Iniquos.* 293
 foeliciores. Hic non verear judicare. Judicat interdum humilitas, & securè, cum sequitur judicium judicantis Domini sui: & non judicat superbia, quamvis omne judicium ad se pertinere arbitretur. Hic tantùm non judicat, quia se absolvi quærit, & in simili delicto est. Ego verò, Domine, non timeam judicare quos tu judicas, dum meipsum judicem, & in me primùm sententiam feram. Quomodo enim *diligerem testimonia tua* damnantia *peccatores terra*, si tantæ authoritati non cedens, eos absolverem. Non *diligote*, Domine, *nisi sermones tuos servavero*. Sed non servo sermones tuos, & iis contrarius sum, si aut iis parco quos damnant, aut eos damno quibus parcunt.

ÿ. 120. *Confige timore tuo carnes meas; à judiciis enim tuis timui.*

Q U I S unquam audivit talia? Res ip- II. 66. 8.
 sæ vel sensûs expertes quæ timere non possunt, naturæ tamen suæ contraria fugiunt, & ab eorum consortio avertuntur. Plantæ ab hostilibus plantis umbrisque nocentibus, quantum fieri potest se subducunt, ramos in aliam partem naturâ flectente. Pecudes quamvis ratione careant, quæ sibi noxia sunt fu-

gâ utili averfantur. Timent periculum suum, & nulla est sensu à naturâ suâ ita alieno, ut exitium amet. Solus homo amore perverso deceptus, vitæ suæ inimicus est, & sibi non favet.

Væ mihi, Domine; ovis lupum fugit, cum ipse lupum periculosiorem non fugiam, & spontè occurram venanti me inimico, ea diligens per quæ pereo. Malum impendet gravissimum & æternum quod timendo fugerem, & non timeo, & non fugio, malè securus in ipso exitio, malè timidus in ipsâ securitate, qui timeam tecum, & cum hoste crudelissimo nihil timeam. Quid mihi in me præsidii est, si timere non possum aut nolo quod ita timendum est, & quod timere tam facilè est sapienti.

Ad te igitur confugio, Domine; *Confige timore tuo carnes meas.* Non mihi sufficit timor qui in solâ cordis vel potius cogitationis superficie hæreat, primo tentationis flatu dimovendus. Da mihi timorem in ipsâ cordis substantiâ infixum, qui vitam meam non deserat; ut jam non occidar ab inimico, qui nihil in eum potest qui te timet & nihil aliud timet.

Gal. 2, 19. Transfige carnes tibi non obsequentes *timore tuo*, seu potius *confige*, ut tecum *confixus sim cruci.* Crux enim ipsa caret salute nisi tua sit. Da mihi timo-

rem salutem includentem, & cuius beneficio tibi semper adhæream. *Confige me*, ut iisdem dilectionis clavis in te permaneam, quibus tu in cruce permansisti; neque enim ferro, sed amore in eâ tenebaris. Amor Dominum meum crucifixit, idem amor me quoque crucifigat. Hunc quæro timorem qui sit amoris, nam alii omnes infirmi sunt. Timor hominum, custos officii non diuturnus; pudor ipse, cum superatus est, sæpè in impudentiam vertitur; humanarum virtutum aut necessitudinum & societatum quarumlibet vincula quibus contineri posse videbamus, cedunt tandem ardori peccantis; sed nullum est peccatum, nulla ad peccandum invitet aut cogat necessitas tam dura, ut non cedat timori amantis.

Confige hoc timore carnes meas, & securus sum: si verò defuit, nunquam securus. Cum enim cupiditas, quæ peccato delectatur, peccare timet, lege poenam minante, poena timetur, non tu timeris nec diligeris; ideoque actio peccati impeditur ipsa, sed non impeditur peccatum quod intus vivit. Cum verò peccare timet charitas: nec in actione velut in fructu, nec in corde velut in radice peccatum est, quia non peccatur et si sequatur impunitas; quod non tam

poena peccati, quàm peccatum ipsum timeatur.

Hoc tuo timore *confige carnes meas*, & ipsæ castæ erunt timore casto. *Confige me timore tuo*: tuo, inquam, non meo. Nam timor tuus semper castus; meus verò, qui me spectat, nunquam castus. Timeam meipsum, quòd malum meum à me fit. Timeam verò tibi non mihi, quòd bonum meum non à me mihi, sed à te fit. Ut quid mihi timerem, aut in me defineret timor meus. Quidquid meum est, potius amittatur velut foelicitati meæ contrarium, ut tu non amittaris qui mea foelicitas es. *Tuo ergo timore non meo confige carnes meas.*

A judiciis enim tuis timui. Quasi à Propheta tuo quæreretur: cur cupis timere, cum in timore poena sit? Scio, inquit, quod cupio, quia jam timui. Timorem quæro qui adjuvet amorem, & ideò pars sit foelicitatis nostræ; non verò timorem quo excludatur amor, & qui reddat infœlices. Utinam, Domine, suavitatem hanc timoris tui & ipse experirer. Quod Propheta experiebatur credo, sed non expertus. Experiar quod credidi, ut perfectius credam minus peccando, & suavius magis amando.

†. 121. *Feci iudicium & justitiam;
non tradas me calumniantibus me.*

D O M I N E , nihil cruce tuâ potentius. Nihil certè efficacius verbo crucifixi. Ecce cum ad eam confugerim , justitiam donas. Maximum hoc beneficium, quia tuam donas, non meam, etsi mea sit ob magnificentiam largientis. *Facit enim justitiam, id est opus justitiæ, qui August.* habet in se *justitiam, id est opus gratiæ.* Immitter Prophetam tuum qui iudicio non contentus est, quamvis implente legem; sed justitiam humilitatis adhibuit, ut in te gloriaretur. Non enim prodesset implere omnem legem, & superbum esse. Da mihi priorem hanc justitiam, quâ justus sim obtemperando omnibus mandatis tuis: da & hanc alteram quâ sim humilis, & non ingratus misericordiæ liberantis. Justus sim, non transgrediendo legem Domini mei, & adhærendo illi. Sed ita justus sim, ut laudem tuam prædicem, non meam; ut ostentem beneficium tuum, non meritum meum; & agnoscam cum *curro in via mandatorum tuorum, ipsum hunc cursum meum non currentis esse, sed miseren-* Rom. 9.
tis. Sic faciam *iudicium & justitiam, ut* 16.
non tradas me calumniantibus me. Nam si

niantibus Angelis, succumbentem hominum calumniæ, & obtemperantem imperiis iniustis persequentium? Non multum cedit ad nocendum, superbo

Theod. Angelo homo superbus. *Ad opprimendum infirmos nihil potentius iniustitia potentium.*

Chrysol. Sed libera me etiam ab homine superbo, quamvis paupere. Nam ad nocendum animæ, pauper dives, & fortis infirmus. Libera me ab eo qui transgreditur legem tuam; nam *omnes qui illam transgrediuntur superbi sunt.* Ut ergo non sint mihi causa pereundi, qui pereunt, *suscipe servum tuum in bonum.* Ut non calumnientur me superbi, fac humilem. Nam *suscipies in bonum*, si suscipias humiliatus, & non remaneam inter superbos *unus ex illis.* Valdè timeam, Domine, maximum hoc crimen, quod nullâ virtute compensari potest, sed omnem virtutem labefactando in se convertit, ut inde pereamus unde alii salvandi sunt.

Ecce, Domine, si amem jejunium aut eleemosynam, si fanes alios morbos animæ meæ, *me suscipis.* Nemo enim se ipsum sanat, aut vincere potest hostem suum absque te. Ergo me sanando, & nonnullam victoriam tribuendo, *me suscipis*: sed nisi fiam humilis, & laudem

SOLILOQUIA. Iniquos. 307

te omnibus diebus vitæ meæ , non me *suscipis in bonum* ; quia vincere nocet superbo, & sanari nocet ingrato qui oblitiscitur te, & qui cum gratias agere deberet sananti se , extollitur , & *evanescit in cogitationibus suis*. Fac me ergo humilem & ^{21.} parvulum , ut *suscipias servum tuum in bonum*. Sed ut tam amanter suscipias , sim tantum *tuus* ; & omni ex parte mundo renuntiem semper insidianti , & tunc vel magis nocenti , cum magis occultus est.

Servus Domini nil debet alienis. Fugiam ^{Ambr.} ergo sæculum ; & quidquid à cruce Domini mei alienum est , sit & à me alienum , ut *suscipias* tanquam *servum tuum* , & ideò *suscipias in bonum* , ne *calumnientur superbi* ; nullæ enim valere possunt calumniæ adversus eum quem ita susceperis. Nihil hic medium est ; aut beatus sum , suscipiente me Deo meo , aut *calumniantur me superbi* & occidunt. Aut suscipis tu , qui vita es ; aut suscipit mors. Aut ad regnum vocor , aut ad supplicium ; & utrumque æternum est. Non hic dubitandum. Adjuva me , Domine , eligentem , ut benè eligam , & *suscipias me in bonum* ; ut cum moriendum erit , cadam in sinum amantis. Amen. Fiat , fiat.

Ps. 123. Oculi mei defecerunt in salutare tuum, & in eloquium justitiæ tuæ.

Rom. 8.
28. **S**I amaremus te, Domine, *omnia cooperarentur in bonum* amantibus. Ecce calumniæ superbiorum humilibus profunt. En insidiantur, & insidiando utiles sunt, cum vigilas in salutem tuorum, ut ipsi vigilent, & *facias cum tentatione proventum*. Calumniæ malignitas auxit pium desiderium Prophetæ; & ardentibus magis inimicorum odiis ad nocendum, & ipse magis exarsit ad amandum, majori sollicitudine quærens auxilium liberantis, cum majus periculum ob malignitatem tentantis experitur.

O foelicem illum, Domine, cujus *oculi salutari damno deficiunt*, ut minus deficiant. Cum enim plenum laqueis mundum intueretur universum, nec posse singulos vitari cerneret; omnes pietatis ardore transgressus est, supra mundum quibusdam amoris pennis, & *desideriorum fidelium* incitatione abreptus.

En *oculi servi tui tota fidei intentione defixi in salutare tuum*, nihil aliud vident, quia te vident. Cum enim ardenter amamus, *nil aliud videre delectat* quàm quod amamus. Ecce à *mundanis sollicitudinibus*

Idem.

intentionem omnem suae mentis avertit , ut Bernard.
fruat te , nullo carnalium desideriorum ,
nullo corporeorum phantasmatum perturban-
te tumultu. En oculos jam perspicaces ani-
mae ad te aestuantis , quia defectum sui pa- **Ambros.**
tiuntur , ut assumant quod verbi est.

Non hoc tepidi , Domine , & similes
 mei experiuntur. Das te ipsum , sed a-
 mantibus te , & nihil sibi servantibus ,
 quia praeter te nihil volunt. Paupertas
 nostra , ex eo tantum quod nobis super-
 esse potest , molesta est. Verae divitiae
 sunt nihil prorsus habentium , nec seip-
 sos ; & ideo te fruuntur , qui es abun-
 dantia pauperis.

Quid jam nocent Prophetæ tuo ca-
 lumniæ superbiorum ? *Quid sentitur , cum* **Bernard.**
vita ipsa nec sentitur ? Quam clarè cerni-
 tur vilitas mundi , & abjectio creatura-
 rum oculis ita deficientibus , & in ipso
 sole justitiæ obtutum figentibus ! O fœ-
 lices oculos , qui vim habentes aliorum
 sensuum , implentur luce justitiæ , &
 audiunt loquentem justitiam ! Cum lo-
 quitur illa , quid aliud loqueretur quàm
 seipsam ? Sed cum se loquitur , & hanc
 adhibet ad loquendum magnificentiam
 ut externis sonis non utatur , sed ipsa
 influat in cor audientis intus loquens ,
 absit ut non audiretur. Auditur , & **s. Theresia.**
 sunt justi qui audiunt. Quis enim in-

justus , qui ipsam justitiam Dei habeat, dantem seipsam ? Quam noctem non expellat solis præsentia tanto lumine irradiantis ?

Da talem gratiam , Domine , spon-
 sis tuis ; ut mortalia omnia contemnen-
 tes , & nihil amantes ad magis aman-
 dum , in tuo amplexu de te gaudeant ,
 & nos ob foelicitatem amantium te gau-
 deamus. **August.** Mihi sufficit , si *memor infirmi-
 tatis humanae , divinam Dei mei desiderem
 gratiam.* In hoc tantum gratiam Pro-
 phetæ accipiam , & cupiam *salutare hoc,*
 quod haberi non potest nisi à cupiente.
 Optem salutem animarum , quam hic
 optavit , antecedendo votum ipsum ser-
 vi tui Simeonis. **Chrysoft.** Etsi oculi similiter non
 deficient , cor similiter amet ; quia hoc
 amanter jubes , ut amemus te ex toto
 corde.

*ψ. 124. Fac cum servo tuo secundum
 misericordiam tuam : & justifica-
 tiones tuas doce me.*

ECCE , Domine , post tam publi-
 mem contemplationem , Propheta
 donis tuis non superbus , sed humilior ,
Chrysoft. *non exigit mercedem , sed misericordiam ;*
August. *Fac cum servo tuo , non secundum justitiam
 meam , sed secundum misericordiam tuam.*

Justitiam enim nostram si jactamus, amittimus; cum misericordia tua melius comparari non possit, quam si in eâ gloriamur.

Misericordiam hanc, Domine, non debes alienis; tantum enim tuorum est; *Fac cum servo tuo*, inquit. Nemini ergo illam debes: quia antequam miserearis nostri, tui non sumus. Inimicorum primum misereris, ut misericordiam postea impendas amantibus. Adhuc alienos vocas, ut non sint amplius alieni, & des teipsum jam tuis.

Misericordia ista, Domine, unicum bonum est miserorum; quæ si desit, ad omnem infœlicitatem nihil deest. Non enim tantum in quodam genere hominum, sive rerum, aut negotiorum & temporum requiritur, quæ semper, ubique, & omnibus necessaria est. Pauperes non egent divitibus ut panem sibi deesse intelligant, aut ut petant, sed tantum ut suppeditetur. Nobis verò misericordiâ tuâ opus est, ut ad misericordiam tuam confugiamus.

Cum optatur misericordia, miserentis beneficium est, non sensus optantis, quò certum est nos carere, nisi miserearis; vel ipse sensus miseriæ deest miseris: non enim hic naturæ est, sed gratiæ. Sed etsi intelligeremus quod deest, misericordiæ auxi-

lium non quæreremus, nisi ipsa nos quæreret, ut quæreretur. Quam necessaria illis misericordia, Domine, quibus non tantum ad accipiendum necessaria est, sed etiam ad petendum.

Rectè ergo Propheta tuus fieri sibi *secundum misericordiam* tuam postulat, hoc unum curans, à quo alia omnia pendent, & quod omnem vim bonorum omnium complectitur. Absoluta hæc oratio est, nullum bonum prætermittentis, cum nihil sit certè in quo misericordiâ non indigeamus. Miserere, & fac quod vis. Non enim misereris & deseris. Misericordiam à te petit ad vivendum, ad perseverandum, ad orandum, ad omnia. *Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam, ut ipse vota mea perficias.* Nam ipsum votum orantis pertinet ad misericordiam largientis.

Et justificationes tuas doce me. Domine, si antequam misereris doceres, frustra doceres. Non enim doctior essem propterea, sed superbior. Benè ergo, quod misericordia antecedit scientiam. Etiam, Domine, miserere, & sic doce, ut sim discipulus humilis, non magister superbus. Hoc me doce maximè, omnia deberi misericordiæ tuæ. *Doce me justificationes tuas, illas certè quibus nos facis justos, non quibus ipsi sumus just.* Miserere, & do-

S O L I L O Q U I A. *Iniquos.* 307
ce. Et hoc pertinet ad misericordiam :
nemini enim exoptulandi locus esset ,
etsi neminem doceres.

ψ. 125. *Servus tuus sum ego : da mi-
hi intellectum, ut sciam testimo-
nia tua.*

P O S T commemorationem tantæ mi-
sericordiæ , rectè se ad Deum perti-
nere asserit homo Dei : *Servus tuus sum*
ego. Non benè mihi cessit, Domine , quando August.
esse volui liber meus , non servus tuus. Qui-
cumque suus est , servit , etsi non alteri,
pessimo certè domino , hoc est sibi. Qui-
cumque verò *tuus est* , etsi multis domi-
nis serviret , revera regnat , & tantò la-
tius regnat , quantò humiliter tibi sub-
ditus est , & veriùs dicere potest : *servus*
tuus sum ego.

Hoc tibi confitetur , Domine , piè
gloriando ; non enim adderet , *Ego* ,
quod legitimæ ostentationis est , nisi ho-
noricum sibi crederet & excellens ad
gloriam , quod imperanti obsequeretur.
Gratias enim tibi agit , cum se nominat
servum. Servire enim apud hominem ,
valere potest ad injuriam ; apud te au-
tem , valet semper ad beneficium , id-
que maximum. De tanto igitur bono ,
& quod à te est , gratias referri oportuit ;

O iiij

s. Hilar. quia *miseratione tuâ opus est , ut in hac servituti nostræ professione maneamus.*

Idem. *Servus tuus sum ego.* Quàm beatus , Domine , cui contingit hoc dicere , non mentienti ; qui in quolibet tempore , & quovis rerum statu sive prosperarum sive adversarum , *servum* se dicere potest , & servum obsequentem ; neque enim *tuus* esset nisi obediret. Da nobis ergo , Domine , *constantem in tuâ voluntate famulatum* , ut semper servi simus , & fideles. *Da mihi intellectum* ; Nam ignorantia & tenebræ , hereditas est non obedientium Deo meo.

Primi parentis peccato factum est , ut cæci nasceremur : nec nobis ullum jus est lucis , nisi in servitute tuâ. Ante , se commemoravit *servum* Propheta , ut lucis tuæ usum sibi posceret , quia tantùm debetur servis. Non tantùm verò lucem postulat , sed oculos ; quia tam absoluta cæcitas est , ut oculis etiam careamus ? Nonne veritas tua lux est , & intellectus oculus cordis quo percipitur ? Utinam , Domine , intelligeremus cæcitatem nostram , oculosque à te , & lucem , hoc est *oculos cordis illuminatos* posceremus , antequam nos accingeremus ad videndum. Ecce *lumen meum non est mecum* , & non magis convenio te fontem lucis meæ ad sumendos oculos , non

Ephes.
I. 18.

SOLILOQUIA. *Iniquos.* 309
minùs securè in tam periculosis tenebris
versaturus.

*Da mihi intellectum , ut sciam testimonia
tua.* Oculos tantùm peto rei necessariæ ,
nempe quibus cognoscaris. Non tam ad
videndum oculos quæro , quàm ad vi-
vendum ; vita enim in testimoniis tuis ,
cum *habeas verba vita aeterna.* Donum hoc Joan. 6
duplex mihi petendum , ut hoc sciam , 69.
& alia nesciam. Cognoscam te , Domi-
ne : hoc sufficit amaturo. *Hoc unum scire,* Tertull.
omnia scire est. Nam reliqua omnia igno-
ranti hoc contingeret , ut perfectiùs co-
gnosceret te , & perfectiùs amaret ; in
quo omnis scientia est viventium &
beatorum.

¶. 126. *Tempus faciendi , Domine ,
dissipaverunt legem tuam.*

IN quo non decipimus nos , Domi-
ne ? Credimus amari te à nobis , &
non amaris : credimus mundum non a-
mari , & amamus. Videmur nobis in-
terdum cognoscere veritatem sive *testi-
monia tua* , & ecce nesciuntur. Cum e-
nim non diligimus adventum tuum
quem prædicant ; cum nullo Ecclesiæ ,
Matris nostræ & Sponsæ tuæ amore tan-
gimur , certè non intelligimus Scriptu-
ras , quæ nihil aliud quàm pulchritudi-

nem Sponsi & Sponsæ complectuntur. Et utinam de earum intellectu fortè præsumenti, aliquis se Apostolus vel Evangelista offerret moniturus me, & diceret: *Putas, intelligis quæ legis?*

Cum Propheta tuus locutus fuisset de cognitione *testimoniorum tuorum*, statim exarsit amore adventus tui, statim
 A. 8. 30. *compatiens super contritione Joseph*, & optans salutem populi tui exclamavit: *Tempus faciendi, Domine*; ut nos interim non lateret, hanc testimoniorum tuorum scientiam, quam sibi optabat, in eo maximè consistere, si Sponsum & Sponsam amaremus.

Da nobis, Domine, cor Prophetæ tui, non ad prophetandum certè, sed ad amandum; ut eodem amantis affectu in eandem vocem & ipsi erumpamus,
 Ambros. *Tempus faciendi, Domine.* Heu me, non loquendi, *non jubendi*, sed *tempus faciendi*; quamquam hinc non tam auxilium hominum requiritur quàm tuum. Ea est morbi nostri magnitudo, ut non discipulorum, sed medici ipsius præsentiam desideret. *En totus in periculum ultimum mundus urgetur; veni, Domine Jesu.* An dissipaverimus legem tuam satis indicat vita nostra; & ut id probetur, non opus est vocibus nostris, quia res ipsæ loquuntur. Precabatur Propheta ut venires,

& crucem pro nobis ascenderes. Ascendisti; Idem.
 ecce redemisti nos, & ingrati sumus,
 iterum crucifigentes te. *Veni, Domine,* Hieron.
 ut iudices. *Dissipaverunt legem tuam Ju-*
daei, qui eam spiritualiter non intellexerunt.
 Ecce nec ipsi eam spiritualiter intelli-
 gimus. Ecce nec secundum litteram præ-
 cepta Evangelii implemus, quæ adhuc
 secundum spiritum implenda erant.
 Utinam saltem Judæi essemus; & quali-
 cumque litteræ cortice famem malè su-
 stentaremus, impetum occidentis ut-
 cumque retardantis.

Quod votum hoc, Domine, & pe-
 nè inimici? fieri Judæos, qui beneficio
 tuo Christiani sumus: sed, fatendum
 est enim, nec Christiani sumus: nec
 iam Judæi. Litteram ipsam prætermi-
 timus, nec spiritum scimus. Superva-
 caneum est dicere, sensum & animam
 legis contemni; corpus ipsum legis con-
 temnimus; tam absolutum *cum morte* II. 28. 15.
fœdus initur, & tam integrè consumi-
 mur, ut nec supersit cadaver quod lu-
 geatur, & servari possit ad spem resur-
 rectionis.

Tempus faciendi, Domine, dissipaverunt
legem tuam. Fœlix Propheta qui de aliis
 loqueretur. Ecce & ipsi sumus in nume-
 ro dissipantium legem humilitatis su-
 perbiâ, legem charitatis odio & fratrum

contemptu , legem vitæ tot peccatis quibus quotidie morimur , legem fidei faltem vitâ sensuum , & fortè erroribus , & crassâ certè ignorantîâ. *Tempus ipsum faciendi vocat te , Domine. Veni ergo , & noli tardare.*

ÿ. 127. *Ideo dilexi mandata tua , super aurum & topazion.*

O DOMINE , non ideo non amanda lex amoris , quia plures sunt qui non amant. *Urget nos quidem charitas amantium , foelici exemplo & efficaci ad persuadendum. Sed nescio an non adhuc magis urgeamur tam foedo contemptu non amantium. Propheta certè legem acrius dilexit , quam viderat dissipari : Ideo , inquit , dilexi mandata tua. Dicit brevius non potuit , & foelicus. Amanda lex , quæ data est ut amaretur. Mandata diligenda , quia præcipiunt amorem. Cum verò foelicitas nostra sit amare Deum , etiam amanda lex ipsa quâ nobis hoc præcipitur.*

Si Rex titulum aliquem aut gradum honoris largiatur , & hoc scribat absenti , qui gaudet se vocari ad iudicandum , aut imperandum exercitui , nonne ipsas litteras benefici principis osculatur , dementi gaudio abreptus , quia nescit vocari se ad vincula ?

Quid dubitamus? Major foelicitas est amare Deum, quàm Regem esse. Ecce litteras scripsit amplas & magnificas. Manu Dei scriptæ sunt, quia Spiritu Dei. En nobis scribit, ut vocet ad regnum. Ecce instituit heredes, & filiorum nomine jam censetur. Quod ferè tantùm injungit istud est, ut eum amemus. Et hoc emendum fuisset quibuscumque laboribus; sola enim vita est, amare vitam. Non tantùm offertur bonum hoc maximum quod nemo postulare ausus fuisset, sed magnâ autoritate præcipitur, ut nulla jam dubitet humilitas, an possit amari tam magnus à tam parvis.

Ecce certum est, & hoc legimus: Deus à nobis amari vult. Cur ergo non osculamur litteras ipsas, quibus ad tantum bonum tot pœnis & tot promissis impellimur? Cur non diligimus mandatum ipsum præcipientis, ut & ipsi cantemus; *Ideo dilexi mandata tua super aurum & topazion?* Amanda lex, quia amoris. Quidquid enim ad amorem pertinet, amandum est; aut non amatur ipse. Amanda lex, quia amata est à tot Sanctis. Amanda, quia non amata est à tot impiis. Amanda, quia nobis cernentibus amatur & non amatur, ut imitemur amantes, & compensemus dolore

amoris , stultitiam non amantium.

Hieron. Legem amabant Patres nostri , quia in eâ *adventum redimentis nuntiatum esse intelligebant.* Adhuc eam amemus , quia annuntiat etiam adventum judicantis.

August. Amemus , quia *id agit gratia , ut dilectione impleantur mandata Dei , quæ timore impleri non poterant.*

Ambros. Sed nonne , Domine , Propheta tuus fortè & hoc admonet , *amandam esse crucem tuam , quam admonet super aurum & topazion præferendam , quæ nos ab omni errore culpæque revocat & corrigit.* Non enim ignorabat mandatum hoc Evangelii tam singulare , quo præcepturus eras ut crucem tuam tamquam remedium nostrum portaremus , quo sanaremur ad amandû. Qui legem hanc patiendi non amat tam suavem postquam prior passus es , iste non amat. Mandatum crucis si tollitur , tollitur & amoris ; & tam arcto nexu utrumque connectitur , ut solvi non queat. Et in hoc ergo *diligamus mandata tua* , utrumque diligendo. Sed *diligamus super aurum & topazion quibus nihil pretiosius humanus error opinatur ;* ut charitati cedat omnis avaritia , quæ virorum stultitia est ; & eidem cedat omnis cura pulchritudinis & ornatus , quæ stultitia est mulierum.

S. Hilari.

Idem.

¶. 128. *Propterea ad omnia mandata tua dirigebar ; omnem viam iniquam odio habui.*

PROPHETA tuus valde consequentia loquitur Domine ; cum enim contemneret quidquid mundus admiratur, & non aurum aut gemmarum, sed amoris tui amore arderet, mandata tua diligens super aurum & topazion, idcirco *non s. Hilz* detorquebatur à lege per terrenas cupiditates ; *non obvia occupabant*, aliarum divitiarum & alterius pulcritudinis amore inflammatum. *Propterea ad omnia mandata tua dirigebatur.* Properat ad legem implendam, quia amat. Nullum mandatum excipit, quia verè amat ; & ideo semper amat. Hanc amantis alacritatem affert ipse amor. Festinat enim, quicumque amat. Hoc unum illi studium erat, ut impleret legem Domini sui. Ut latius regnaret, non id curabat ; sed ut ardentius amaret, prorsus regio animo. Quid enim dignius rege, quàm id ipsum quo regnat & vincit, imo & vivit ? atqui amore regnamus, amore vincimus, amore vivimus.

Desiderium promptitudinem efficit.
Theod.

Ergo Propheta tuus, Domine, *merito* *corrigebatur*, quoniam diligebat. Sed quia diligebat, humilis erat ; ideoque

Ambro

non sibi tribuit quod curreret in via mandatorum tuorum, sed deducenti. Non tam ibam ipse, inquit, quam deducebar. Non tam ambulabam quam portabar: quasi hoc diceret; cur ambulantem spectas? specta dirigentem gressus parvuli, & in eodem vestigio hærentis, nisi dirigeretur: *Propterea ad omnia mandata dirigebar.*

Omniem viam iniquam odio habui. Domine, cum talis flagrat charitas, tutò jam oditur iniquitas. Omne odii periculum charitate adimitur. Foelices, qui charitate oderunt. Et ego, Domine, *viam iniquam odio habui*, sed non *omnem*. Crudeli exceptione utor, & meipsum occido amore stultitiæ pleno. Non horreo multa mihi placere quæ tibi displicent. Unde in eis quæ tibi & mihi displicent, non veritatis iudicium sequor & amoris; sed pondere naturæ ipsius abripior, & sensum errantium circa rem vanam.

Væ mihi, qui sæpe ipsâ iniquitate adducor, ut oderim iniquitatem. Sæpe mendacio improbamus quæ falsa sunt. Nonne ista & ista odi; non quia amo te, sed quia amo me? Odio quidem haberi debent, quia & tu ea odisti, qui lex es amoris nostri & odii nostri. Sed hoc imprimis in odio requiritur, ut justum sit; nam si injustum est, quale meum, non

est amplius charitatis odium, cum nihil eâ justius esse possit, imo fons ipsa sit omnis justitiæ & æquitatis. Ergo licet oderim iniquitatem, quod à te concessum est, si aliquid est, justè tamen ipsum odium meum tibi odio est.

Non hoc Prophetæ tui odium est. Odit, quia amat. *Unde enim fieri poterat ut* Augusti
viam iniquam non odiret diligens reëtam?
 Eodem corde quo te amat, odit & quæ tu odisti. Ne unam quidem iniquitatis viam amat, quia recessit ab omnibus. Fieri enim non potest, ut non amemus viam quam sequimur non coacti, & à quâ ne admoniti quidem discedere possumus. Ergo quia illi *nihil de viis iniqui-* Hieroni
tatis accessit, ideo omnem viam iniquam odio habuit.





ψ. 129. MIRABILIA *testimonia tua;*
ideò scrutata est ea anima mea.

DA nobis, Domine, ut ipso odio iniquitatis crescat amor veritatis; ut eam magis amando, magis admiremur. Quid enim admirabilius veritate, & testimoniis veritatis, quæ in scripturis tuis lucent ad dirigendos pedes nostros? Ut integra sit admiratio, nihil illi desit, nihil aliud admiremur. Quidquid mirantur homines sæculi, nobis vilescat. Eorum divitias, eloquentiam, & omnem gloriam contemnamus. Divitiæ nostræ sint, ipse thesaurus Domini nostri, qui lucis thesaurus est. Eloquentia & pulchritudo nostra, sit audire loquentem & affici verbis ejus mutantibus nos, & sanantibus ægritudines nostras. Quid mirabilius verbo omnia malorum genera expellente, omnemque vim bonorum conciliante? & ipsum est omne bonum.

O magnificentiam loquentis! Ecce cum audiuntur verba Domini mei, faciunt reges. Etiam si servi sint qui audiunt, & vinculis astricti durissimæ ser-

vitutis; cum verè audiunt, verè regnant. Nec desperent qui surdi sunt; nam ipsa verba loquentis possunt etiam sanare surditatem non audientis. *Verba sunt vita*; qui audiunt vivunt, nec moriuntur; & ipsa suscitant mortuos. Verba sunt lucis; qui audiunt vident, etsi cæci sint. Nil pulchrius his verbis, facientibus pulchros, & omnem sive corporis sive animi deformitatem adimentibus, cùm audiuntur.

Verè mirabilia testimonia: te enim & August.
Dominum quia jubes, & bonum & magnum
quia talia jubes, esse testantur. Audierunt hæc martyres, & vicerunt, etiam cum vincebantur. Audierunt hæc sancti tui, *S. Ambr.*
 & tibi placuerunt. Audierunt, & ama- *Theod.*
 verunt. Domine, non opus est alias commemorare laudes verborum tuorum tam admirabilium. Satis laudavit, qui dixerit verba esse amoris. Hæc enim locutus es, quia amasti nos, ut te amaremus. Sed quod minimè prætermittendum est, verba sunt amoris creantis amorem in cordibus amantium.

Omnis hæc pulchritudo verborum tuorum, Domine, æstimari non potest; *futurorum enim atque aternorum bonorum S. Hilar.*
exemplaribus mirabilia sunt. Umbras tantùm videmus, & velut inchoatas rerum delineationes; sed quod in eis non

videmus, æternum est. Ecce arcana summi Regis in manibus omnium versantur, & latent. Quæ scribuntur amantibus aut amaturis, audiunt etiam qui non amant, & tamen occulta sunt. Deferri possunt & ab inimicis ministrantibus verbum hoc, sed *absconditum est ab oculis eorum*, & capiunt tantum qui amant.

Corticem, Domine, & velut paleas figurarum, etiam animantibus præbes: sed res ipsas, & frumentum hominibus fervas. Exclamemus ergo: *Mirabilia testimonia tua: ideo scrutata est ea anima mea.* Etiam, Domine, huic uni negotio veritatis tuæ & charitatis intentus sim. Hæc scrutare, anima mea, *in his esto.* Sed cum audieris *verba vite*, & iis in Deo tuo delectata fueris, noli amplius aut loqui aut audire verba mortis. Amen.

1. Tim.
4. 15.

ψ. 130. *Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis.*

Q U A M melius, Domine, testimonia tua laudat Propheta, qui ea amando proficit; cum major eorum laus sit in profectu & virtute audientis. *Profectum ejus agnoscimus ex versibus qua sequuntur.*

Ambros.

SOLLILOQUIA *Mirabilia.* 321

tu : *Declaratio sermonum tuorum illuminat. Illuminat fidei claritate, resurrectionis tuæ gloriâ, & divinorum operum potestate. Si ergo & nos illuminari volumus, vita fidei respondeat; credamus & vivamus; & mortem cedere verbis vitæ, resurgendo testemur. Verba vitæ explicent opera vitæ.*

Declaratio ista verborum tuorum illuminat. Non sufficere mihi credam quæ loqueris, Domine, nisi accipiam spiritum loquentis, de quo tu dixisti in Evangelio: suggeret vobis omnia quaecumque dixero Joan. 14. 16. *vobis. Periculose audiuntur verba tua, si talis desit interpres; quia scientia inflat, & morbus noster superbia est. Nonne audiunt hæretici verba hæc salutis, & pereunt? Ecce sermones excoecantes cor incredulum percipiunt, & declarationem sermonum illuminantem repudiant; quia sponsæ inimici sunt, & ideo sponsi.*

Gladius hic quo vincit Ecclesia, Domini est, & Gedeonis, qui in antiquo Judic. 7. 20. *dramate sponsæ tuæ personam sustinebat. Gladius quo tuemur nos ab inimicis, Christi est & Ecclesiæ: Christi loquentis, & Ecclesiæ interpretantis. Ad sponsum pertinet, quia loquitur, & ipse est Verbum. Ad sponsam pertinet, quia sponsa est, quia velut *ejus dos est*, quia interpretatur. Et ipsum Evangelium*

322 PIA IN PSAL. CXVIII.

quod prædicat in universo orbe terrarum, declaratio est quædam & interpretatio Prophetarum. Ut ergo non errem in tenebris decipientibus superbos, audiam matrem meam sponsam tuam interpretantem sermones tuos, & non minus audiam spiritum tuum primum eorum interpretem, à quo ipsa accepit ut non erraret.

1. Reg. 15. 17. Sed ut audiam, sim humilis, & *in oculis meis parvulus*, quia *intellectum das parvulis*. Doctor es humilitatis, qui eam nos docuisti *usque ad mortem humiliando te*, & discipulos non vis habere nisi humiles. Non doces superbos; ipsi se docent. Ut se docuerunt, ita & se loquuntur. Se audiri volunt, non te. Possunt ergo audiri, sed non audiunt, quia superbiunt.

Noli superbire & intelliges August. Chrysoft. Non superbiam, Domine, ut audiam te, & audiendo vivam. *Si puerorum similes simus*, nullam quærentes scientiam nisi Patris & Matris, quod tantum illi cognoscunt, hauriemus hanc scientiam scripturarum tuarum quæ nobis lucebunt ad vitam. *Intelligimus hæc parvuli, quæ ignorant elati*. Prophetarum qui obscurius locuti sunt intellectus, parvitati nostræ tribuitur, ut non ita sit scientiæ fructus quam pietatis. *Fiat, fiat.*

Hilar.
Hieron.

ψ. 131. *Os meum aperui, & attraxi spiritum; quia mandata tua desiderabam.*

TESTIMONIA tua, Domine, velut lapides vitæ sunt, quibus extruitur *domus orationis*. Quidni lapides, quia tu *lapis angularis*. Ad multa utilis est scientia scripturarum; sed præcipuus earum fructus, oratio amantis. Loqueris nobis, ut amemus loquentem, & loquamur amanti.

Hoc intellexit Propheta tuus, ad eruditionem filiorum tuorum. Quia audivit loquentem, habemus hic orantem. Luce verborum tuorum, ad majorem fructum orationis usus est. En postquam declaratione sermonum tuorum illuminatus est, *os suum aperuit, & attraxit spiritum*. *Os suum aperuit* confitendo, & *attraxit spiritum* petendo & *pulsando*. Ipse necessitatis sensus *os aperuit*, ne moreretur; & *attraxit spiritum vitæ*, ut viveret. August.

Quid hoc est, Domine, vivimusne, an mortui sumus? Si vita nostra non est intra nos, sed aliunde eam expectamus, & non hauritur à visceribus nostris; ergo mors intus. Ecce vita foris, & attrahenda est: mors intus, & ex-

324 PIA IN PSAL. CXVIII.

pellenda. Nisi attraham vitam quæ expel-
 1. Reg. lat mortem, mortuus sum. Ecce uno,
 20. 30. *ut ita dicam, gradu ego morsque dividimur.*
 Immò non dividimur. *Scio enim, & hoc*
 Rom. 7. *revelasti, quia non habitat in me bonum.*
 18. Non sum sine habitante. Si non habitat
 bonum, ergo habitat malum; & ecce
 mors.

O Domine, non maneam libens in
 hoc domicilio mortis, nec me delectet
 versari cum morte. Fugiam me, quia
 morior ex me. Fugiam mundum, quia
 & ipse homicida est. Non superest quò
 fugiam, nisi ad Dominum meum, qui
vita est & fons vite omnibus accedentibus
 ad eum. Attraham aquam hanc vitæ
 crebris orationibus. Dicam & ipse, *Os*
meum aperui, aperiente te labia mea; nam
 Hieron. nisi aperias, non aperiam. Os suum ape-
 ruit Propheta, dum cor mundum re-
 feravit. *Cor mundum etiam crea in me*, ut
 munda sit oratio confitentis: nec enim
 fieri potest ut cujus cor immundum est,
 labia munda sint.

Nisi tranquillitatem in corde impera-
 veris, fluctuantibus intus rerum simu-
 lacris, & diversis affectibus impellenti-
 bus cor meum, quæ succedet oratio, &
 quomodo me audies, si meipsum non
 audiam? Sed jube, Domine, & fiet
 tranquillitas magna. Fac me *virum deside-*
riorum

riorum ; commotam illa mentem sedabunt. Nam ut vento expellente nubes, coelum mox serenum est ; non minùs *cogitationes meæ torquentes cor* , & figmenta umbrarum excæcantium oculos cordis mei , cedent desideriiis amoris,

Desiderem ergo mandata hæc quibus vivunt servi tui , ut laqueos mortis intus habitantis , & foris etiam insidiantis evadam. Non me decipiam , Domine , nec audiam decipientes. Non das te , nisi amanti. Tantum bonum ut habeatur , desiderandum est ; nec obtingit fastidienti. *Non ultrò ingruis. Expetendus es , attrahendus , & infantium modo tanquam lac innocens hauriendus.*

ÿ. 132. *Aspice in me , & miserere mei , secundum iudicium diligentium nomen tuum.*

QUAM sanctè aperit os suum Propheta , quàm benè orat ! En mendicum stantem ante januam divitis , & petentem ut aspiciatur ; & aspici à Deo suo , panis ejus , quo confirmet cor suum. Domine , imiter orantem. Dicam & ipse : *Aspice in me.* Ut aspicias me , aspiciam te : neque enim æquum esset , ut aspiceres me tam amanter , aspicientem tam ingratiè creaturas , & avertentem à te oculos meos.

326 PIA IN PSAL. CXVII F.

Da mihi ut non sequatur cogitationes
suas cor meum, nec oculos per res varias
fornicantes. Non intuear, Domine, quod
 non prodest intuenti, ut toto corde in-
 tuear salvantem me. Cur pereo, Domi-
 ne, aspiciendo res vanas, & cur non
 salvo aspiciendo te? Ecce si aspicio te,
 jam aspicias me; imo & praevenis:
 non enim aspicerem non aspicientem.
 Cum ergo peto supplex ut aspicias in me,
 hoc peto ut *avertas oculos meos ne videant*
vanitatem, sed *inclines cor meum in testi-*
monia tua.

Aspice in me & miserere mei. Væ mihi
 si aspiceres, & non miserereris. Cum
 aspicias, vides quod sum; & quid sum
 coram te, Domine, nisi *vas perditum*
 & miseria magna nimis? Cum Prophe-
 ta tuus a te videri optaret, vidit se &
 timuit. Timentis vox est, cum clamat;
miserere mei: sed cum addat, *secundum*
judicium diligentium nomen tuum, qui vult
 videri, vult diligi, vult diligere.

Amantis etiam ista oratio est; *Aspi-*
ce in me. Amor praesentiam exigit, &
 non tolerat affectus iste absentiam. Tu
 ipse in cantico amoris tui, quia amas
 sponsam, & eam audire vis & intueri.
 Crediderim ergo Prophetam tuum du-
 plici sensu miseriae suae & charitatis
 tuae impulsus exclamasse; *Aspice in me*.

Ps. 30.
 13.

Pauperis quidem vox , sed amantis. Urget paupertas , sed adhuc magis urget charitas ; nec dubitandum , cum *ex abundantia cordis os loquatur*. Ipsum amoris nomen , quo urgetur ad loquendum , dilecto locutus est : *Miserere mei secundum judicium diligentium nomen tuum.*

O affectum foelicem , & facientem foelices ! O affectum liberum , & liberantem ! Non timet judicari , dummodo amet. Et hoc rectè : si enim judicet amor , absolvet. Nil timendum vel reo quem judex suus amat , praesertim si ferat amor ipse sententiam. Si damnare cogereur , sententia effet necessitatis aut justitiae , non amoris.

Sed tu , Domine , non cogaris : quæ enim necessitas imponi potest omnipotentissimæ libertati ? Sed tibi , Domine , judicanti non timenda est injustitia , quam timent justii judices. Quidquid enim vis , hoc justum est. Securus ergo est , qui amat te. Nam si amat , amatur : si amatur , non judicatur ; quia ipse amor absolvit , & justè absolvit , quia omnipotens & justus est.

Cum ergo amas , aut justum invenis , aut facis. Sed si invenis justum , jam justum feceras. Hoc unum ergo timendum amanti quem amas , ne non semper amet. Non enim amas , & damnas. Au-

dacter dicam ; damnaret seipsum amor , si damnaret amantem ; cum Sancti tui non te proprio amore diligant , sed tuo ; ita tamen tuo , ut etiam suo , quod summum est amoris tui beneficium.

ψ. 133. *Gressus meos dirige secundum eloquium tuum ; & non dominetur mei omnis injustitia.*

QUI judicari vult *secundum* *judicium* charitatis , vivere debet *secundum* *eloquium* veritatis. Tam conjunctæ sunt, ut diversa esse non possit utriusque sententia. Deus charitas , Deus veritas. Nunquam ergo absolventur charitatis judicio , quos veritas damnaverit. Fieri autem non potest ut non eos damnet à quibus ipsa damnatur , nisi eos poeniteat *judicii* tam *injusti*.

Rectè ergo Propheta tuus *gressus suas* *dirigi* postulat *secundum* *eloquium* *tuum* , cum antea postulasset ut misereretur *secundum* *judicium* *diligentium* *nomen* *tuum* : certè, Domine, jam eum exaudiveras ; non enim oraret tam sapienter , nisi eum aspexisses. Ecce lumine veritatis illustratus , facile deprehendit sibi deesse omnia ; & nisi adjuvares , tam esse infirmum , ut nec pedem movere posset.

Non ait , *gressum* *dirige* , quasi in lu-

SOLILOQUIA. *Mirabilia.* § 29
to, aut difficili quodam vestigio hæreret
à quo se explicare minùs valeret. Qui
gressus suos dirigi postulat nullâ exceptio-
ne factâ, eamdem in omnibus infirmita-
tem confitetur. *Gressus meos dirige*, ut ipse
sis finis viæ, qui fortitudo es ambulan-
tis; & in te non tantùm ambuletur, sed
etiam quiescat.

*Gressus meos dirige secundùm eloquium
tuum.* Domine, cur conjecturis nitimur
& hominum sententiis res vanas sæpe
opinantium, cum tam certam habea-
mus normam veritatis tuæ? Cur hic
homines audiuntur, cum Deus ipse lo-
cutus sit. Nobis *secundùm eloquium tuum*
vivendum est. Judicabit veritas; cur
consultitur vanitas? Quid isti & isti di-
cant, non interest. Imò multùm inte-
rest ne audiri quidem qui avertunt au-
dientes à lege tuâ, ut secundùm doctri-
nas hominum doceant, non quod ipse
locutus es, sed quod ipsi loquuntur.

Sequantur membra caput suum. De
cœlo descendisti, non tantùm ut audire-
mus, sed ut imitemur. Etiam quod
fecisti, Domine, *eloquium tuum* est. Ma-
gnæ voces in factis tuis; & ipsæ prædi-
cant ut sequamur præeuntem, nec at-
tendamus *doctrinis demoniorum*. Non ^{1. Tim.}
multùm nocere deberet alterius error ^{4. 1.}
decipientis, cum satis erudimur vitâ

docentis. En magistrum habemus non fallentem, cujus sermo veritas, cujus vita sanctitas, cujus ipsa mors charitas est. Cur consulimus alienos? Audiamus Doctorem nostrum; intueamur quid egit, & quid docuit, ut nemo decipiat, ut non erremus.

Domine, *gressus meos dirige secundum eloquium tuum*; nam si non dirigas, sequar alienos, aut me sequar; & mihi sufficio ad pereundum. Sive alienos, sive me- ipsum sequenti dominabitur iniquitas; sed non dominabitur sequenti te. Libera me, Domine, ab *omni injustitiâ*, tam meâ quàm aliorum. Si ipse non dirigis, injustus sum: non enim facis justos, nisi quos doces. Quocumque alio dirigente; si ipse non dirigis, exibo è viâ, & ecce errandum est. Dirige ipse, & salvus sum, Amen.

ÿ. 134. *Redime me à calumniis hominum; ut custodiam mandata tua.*

HOC maximè obstat ne adjuves, & dirigas gressus meos, quod multùm curem aliorum judicia, & conturber hominum calumniis avertentium me à viâ rectâ. Domine, nihil timeam, dummodo deducas me. Da mihi, ut

SOLI LOQUÏA. *Mirabilia.* 33E
hoc usurpare possim Prophetæ tui, qui
multis & ipse impeditus erat calum-
niis: *Non sum turbatus te pastorem se-* Jerem.
quens. 17. 16.

Rectè peto *redimi me à calumniis homi-*
num, quibus si cesserim, de salute meâ
actum est, & certò perii. *Redime* ergo,
& præveniat lapsus timentis misericor-
dia liberantis. Adhuc magis *redimis* cum
prohibes ne in captivitatem incidamus,
ut non opus sit redimi.

In tuâ causâ, Domine, non timeam
quod non timuisti in meâ. Ecce ut me
quæreret, contempsisti calumnias infi-
diantium; & fervus eram, & Domi-
nus eras. Parum dixi: nam Deus es, &
peccator sum. Quam alienum hoc ab
omni justitiæ & rationis judicio, si Do-
minus servum non erubuerit licet eru-
bescendum, & fervus ipse Dominum
erubescat dignum non tantùm omni ad-
miratione, sed & omni etiam adora-
tione.

Quæ graviora erant, Domine, suscepi- Ambr.
sti. Calumniabantur & tacebas. *O silen-*
tium triumphale, & triumphantis! Reve-
ra triumphabas, & vincebat amor cum
vinceretur: ideo enim vinci volebas,
quia amabas. Vicisti mihi, Domine:
da ut etiam vincam tecum; & cum ca-
lumniabuntur, taceam ut gaudeam.

332 PIA IN PSAL. CXVIII.

August. Respondeat calumniantibus silentium; cuius vocem, Domine, magis audis quàm loquentium. *Crimen falsum, quod est calumnia, reum non facit hominem cui imponitur, nisi apud iudicem hominem. Ubi autem tu iudex es, nullus falsò crimine ladiur; quia non cui obicitur, sed obicienti potiùs imputatur.*

Idem. *Redime me igitur à calumniis hominum; hoc est, tu age infuso spiritu tuo, ne me calumnie hominum terroribus vincant, & à tuis mandatis ad sua malè facta traducant. Criminationes eorum falsas non pertimescam, non tantùm quia veritas es, sed quia & ipsi veritatis odio criminantur. Si veritatis odium facit ut calumnientur, faciat veritatis amor ut gaudeam propter te & propter me; & si quis se dolor interferat, tribuatur miserix calumniantium qui pereunt, & non eorum foelicitati qui salvantur.*

August. Quomodo custodiam mandata tua, Domine, si formidem hominum iudicia, si opprimant me calumniae. *Neceffe est plerumque tristitia cedere aut timori, si sint qui calumniantur. Quis locus amoris tuo, si me ipsum amaverim? An æquum hoc, tristitiam quæ maximis malis & propriis peccatis non impenditur, calumniae impendi, de quâ mihi gaudendum est si amaris?*

SOLILOQUIA. *Mirabilia.* 333

Regem ipsum , mox judicaturum , imo jam judicantem non timeo ; & tanti fit servuli judicium , quem damnas , ut continere me non possim , sed timore frangar & perhorrescam. O timorem inhonestum & vilem , indignum servis tuis , indignum te , & qui tantum timendus sit ! Non timeam illos , ut te timeam ; & *redime me* ab hoc timore , ut tibi timens , *custodiam mandata tua* amando te. Amen.

ψ. 135. *Faciem tuam illumina super servum tuum, & doce me justificationes tuas.*

QUANTA merces , Domine , non timenti calumnias hominum , & custodienti mandata tua ! de te enim beatus est , & fruitur te. Das te ipsum non timenti homines , & amanti te. Ecce haurit lucem in fonte lucis , ut jam in lumine tuo beatum lumen videre incipiamus.

Non est similis scientiæ Judæorum , scientia Christianorum. En ipsum lumen faciei tuæ lumen est cordis nostri , cum *faciem tuam illuminas super nos*. Quis hoc crederet , nisi dixisses ; *ex majestate* S. Hilari *& vultu videntis Dei lumen accipimus*. Neque enim nunc quocumque modo vide-

remus te luce fidei tuæ, nisi prior videres nos, & luceres in corde amantium.

Tu charitas; amando videris, sicut videri potes à servulis in loco exilii; & spiritus amoris tui, ipse oculus est intuentium te: neque enim tantum amando, sed etiam amore videris. Nonne, Domine, hoc faciei tuæ lumen est ne-

Cyrrill. cessarium videnti te. *Faciem tuam illumi-*
 Alexan. *nas super servum tuum*, cum das illi spiritum tuum. *Quemadmodum enim neque aurum vel splendidius, neque gemmam per se lucentem videre potest qui caret oculis; ita hanc faciei tuæ lucem, & veritatem tuam quamvis radiantem in scripturis, dignoscere non potest qui non habet spiritum tuum.*

In lumine hoc videmus lumen, cum *faciem tuam ita illuminas super servos tuos*, ut eam facilè cuius pulchritudini rerum caducarum anteponamus. Nisi enim facies tua nobis luceret, & quidam veritatis splendor perstringens interiores oculos raperet cor amantium ad te conversum; deciperet vanitas, & jam erranti vilesceret veritas.

Faciem tuam igitur illumina super servum tuum, & doce me justificationes tuas. Jam quidem docuisti, cum ad faciei tuæ lucem gavisi fumus, & consensimus veritati; sed iterum docendi su-

mus, ut cognitâ veritate, ipsi humiliemur & te amemus, gratias agentes Patri luminum velut grati, & non evanescentes in cogitationibus nostris velut superbi.

Doce me, ut faciam quod docuisti. Qui enim audiunt, licet memoriâ teneant quod audiunt, nequaquam didicisse putandi sunt, si non faciunt. Docuisti veritatem, doce nunc justitiam; non tantum ut opere ipso impleamus quod jam scire potuimus, sed laudemus per quem scimus, in eo gloriantes & non in nobis; ut quemadmodum es lux nostra, ita etiam sis laus nostra.

August.

Non enim ferendum esset, ut tu lueres, qui verum es lumen, & tenebræ in quibus lucet ipsæ laudarentur. Tenebræ quidem illuminentur, sed lux ipsa laudetur; ut neque tenebris desit lumen misericordiæ tuæ, neque luci prædicationis gloriæ tuæ; atque ita *faciem tuam illuminabis super servum tuum, & docebis me justificationes tuas.* Amen.

ÿ. 136. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei; quia non custodierunt legem tuam.*

DUBITARI non potest quin Propheta luce faciei tuæ perfusus sit. Ecce peccatorum suorum recordatione

compungitur. Obortum illi lumen veritatis, probant lacrymæ charitatis. O felicem & veram pœnitentiam! Quæ crimina veræ pœnitentiæ lacrymis non abluerentur?

Hieron.

Hilar.

Hæc pœnitentia vox, lacrymis orare. Hæc venia est. Tacet lingua pœnitentis, sed cor loquitur, nec alias adhibet voces quàm lacrymarum suarum, quæ suo etiam silentio intelliguntur. Sive sibi fleat, sive nobis; sive quia peccavit ipse, sive quia alii peccaverunt, aut quod nos prævidisset peccaturos, sunt istæ lacrymæ amoris, quæ licet ex ipso velut fonte tristitiæ manare videantur, suaves sunt tamen amanti, & tibi ipsi placent quia amas.

Amas lacrymas amantium te, donum amoris tui. Dignæ Deo pœnitentium lacrymæ, quia à Deo sunt. Tu fundis glaciem cordis quâ stringebatur; tu moves, tu afficis, ut se jam continere non possit, sed hic velut erumpat sanguis ex vulnere amoris, qui funditur in sacrificium tuum. Amas ergo lacrymas, testes misericordiæ tuæ, quia jam parcis, & testes justitiæ tuæ, quia ipse qui peccavit, adversus seipsum insurgendo te ulciscitur. Amas in eis significationem sanitatis nostræ aut advenientis aut jam confirmatæ: quia salutem nostram amas, amas lacrymas quibus sanamur.

Hoc tibi placet sacrificium , quo non sanguis animalium , sed animæ ipsius , non ferro sed amore funditur. His enim *lacrymis impetratur gratia quæ pœnitentis delicti iniquitatem , & credentis adjuvat voluntatem.* Da nobis , Domine , has Prophetæ lacrymas. Da lacrymas sanatrices , quibus submergatur quidquid est amoris sæculi , & quibus amor tuus inflammetur : nam eadem lacrymæ tum ad sedandum cupiditatis incendium , tum ad fovendum charitatis ardorem valere possunt.

Exitus aquarum deducant oculi mei ; quia non unâ de causâ tam misero flendum est. Multi sint exitus lacrymarum , ut sint multi aditus vitæ , cujus magna quædam abundantia sæpius mortuo necessaria est ad vivendum. *Deducant illas oculi,* corde intento ad amandum , non ad flendum. Fundat illas non studium aut cogitatio impellens , sed amor gemens. Deducantur oculis sponte manantibus , nec faveamus illis ut faveas. Non lacrymas nostras , sed amorem nostrum cogitemus , ut ab oculis tantùm & amore proficiscantur.

Domine , si hoc donum largiris , tam aliorum sit quàm meum. Me unum amavi , non mihi uni fleam ; neque nihil interesse credam , sive ego , sive alii peccave-

fint. Cujuscumque sit, membri tui peccatum est quo offenderis. Sufficiat ad flendum charitas, quæ lacrymarum fons est. *Neque custodivi, neque custodierunt legem tuam; miserere nostri, Domine, miserere nostri.*

ψ. 137. *Justus es, Domine, & rectum judicium tuum.*

QUEMADMODUM postquam imbrez nubes effuderint, serenius est cœlum, & lux clarior: ita & post pluviam hanc voluntariam lacrymarum è cœlo quoque manantium, facilior cordis prospectus est, & in adversitatibus vitæ clariùs videt justitiam permittentis, unde exclamat: *Justus es, Domine, & rectum judicium tuum. Benè omnia fecisti. Verum quidem testimonium.* Sed quorsum id? Reges terræ, & ipsi terreni, obedientiam subditorum requirunt non judicium. Quis auderet privatus legi regis subscribere? nec si probaremus, acquiescerent.

Verè, Domine, regnum tuum regnum amoris. Amor tuus, autoritati quidem infinitæ & potestati conjunctus est; sed si hoc dici potest, amor regnat, non potestas. Certè potestas ipsa servit amori. Cum imperas, non hoc imperans

ti utile est, sed obedienti; & probari
 judicia tua non ejus interest qui probatur,
 sed probantium. Non indiges isto
 approbanti judicio, sed indigemus.
 Cum justum prædicaverimus, initium
 justitiæ habemus.

Væ injustis jacentibus in abyſſo inju-
 ſtitiaæ suæ, cum amando volueris fieri
 justos. Prorsus, Domine, *mandata tua* ^{1. Joani.}
gravia non sunt. Non multum adest justitia ^{5. 3.}
 tua, nec longâ navigatione opus est
 ut accersatur. Tantum amanda est: pro-
 pè est verbum in corde meo. Facile a-
 maris, quia nihil amabilius; & faci-
 le amat qui homo est, quia creatus est
 ut amaret. Tam facile possum amare,
 ut non possim non amare. Tam facile
 amari potes, ut nihil aliud amandum
 sit.

Væ ergo mihi, si te non amaverim
 quantum à me amandus es. Quantum-
 cumque deformis, si amem pulchritu-
 dinem Domini mei, pulcher sum.
 Quantumcumque pauper, si amem re-
 gnum tuum, & ipse Rex sum. Quan-
 tumcumque injustus, si amem justitiam
 tuam, illicò particeps sum justitiæ,
 & non alterius quam tuæ. Nec velo
 insufficiente & falso justitiæ humanæ
 regi poteram, & ecce impleri possum
 justitiâ Dei. Non quidem illa est à me,

sed non minus mea est , quia donata est.

Justus es , Domine. Quàm justus , qui justum facere potes etiam tam injustum ! O justitiam absolutricem si velim , & non damnatricem ! O justitiam omnipotentem , quæ potest facere ut velim ! *Justus es , Domine , & rectum judicium tuum.* Fac quodcumque placuerit : si facis , justum est. Justitia hæc quam nosse possumus , non te reddit justum , sed à te justa est. Voluntas tua , origo & lex justitiæ ; proinde nunquam potest esse injustum quodcumque vis. Brevis confessio , sed vera : *Quidquid à te , justum est : quidquid à me , injustum est.*

August.

Hæc mea sapientia sit & justitia , confiteri justitiam Domini mei , & injustitiam meam. Nil nobis melius voluntate tuâ , nil nobis pejus , nostrâ ; quia *justus es* , & nos *injusti*. Lacrymæ naturæ coërceantur , non profuturæ ; fundantur amoris , quibus nihil in hoc sacrificio utilius. Aufer lacrymas mortis , da mihi lacrymas vitæ , lacrymas humiles atque ardentes , quibus peccata mea deleantur , & glorificetur nomen tuum. *Amen.*



ψ. 138. *Mandasti justitiam testimonia tua, & veritatem tuam nimis.*

EN laudator justitiæ fructum percipit abundantem laudis suæ, cum justitiam, quam prædicavit, magis cognoscat & magis amet. Non tibi nimirum, sed nobis, Domine, proficit quod laudamus. Bonis nostris non indiges; & quod est bonum nostrum, nisi des illud indigentibus? & semper indigemus, donec te ipsum plenius largiaris. Laudari, tibi quidem quem laudamus non necessarium, sed valde necessarium est laudantibus.

Da mihi etiam, Domine, laudem justitiam tuam, ut intelligam cum Propheta quàm diligenter & quantâ curâ servanda sit. Quàm beatus qui *tremis* Is. 66.22 *super sermones tuos!* Nam si iudice, & sæpè non multùm iusto loquente timet reus; valdè timendum est tam reis, non homine iusto, sed justitiâ ipsâ ferente sententiam. Ipsa justitia judicat, ipsa injustitia judicatur. Perii, Domine, nisi miseraris.

Fateor, Domine; etiam justum est non misereri ingrati tam sæpè & tam graviter peccantis. Et si damnares, *di-* Bernardus *gnus esbes qui laudareris, sed non ego idoneus*

qui laudarem. Hoc tantum est quod doleam : non possem laudare , & laudandus esses. Ut puniar justum est , nec multum forte deprecor ; sed ita puni , ut laudare possim iudicem meum , & gaudere in justitia punientis. Sed ut tam justè gaudeatur , opus illud est misericordiae Domini mei. Non amatur justitia , nisi parcat misericordia ; & tamen amanda est. Nam hoc imperasti ut multum servaretur , hoc est multum amaretur ; non enim illi obtemperari potest nisi ametur.

Ambros. *Mandasti justitiam testimonia tua , & veritatem tuam nimis.* Sed utrum nimis mandasti , hoc est multum ? an mandasti , veritati & justitiae praecipienti nimis quam multum & sollicitè parendum esse ? Sed utrumque amore tuo dignum est. Pertinebat enim ad misericordiam tuam id multum commendari negligentibus , quod ita necessarium erat. Sed & hoc justum erat , eum injungi ad mentendum tam propensis veritatis amore , cujus excessus ipse non tantum laudaretur , sed etiam imperaretur.

August. *Mandasti . . & veritatem tuam nimis. Nunquam enim tutius erratur , si hic error est , quam nimio amore veritatis. Cum homines hoc dicant nimium esse , ipsa adhuc clamat : nondum satis. Et veritatem tuam nimis. Hoc*

S O L I L O Q U I A. *Mirabilia.* 343
fatendum; & nimia veritas; plena lau-
dis. Si nimium salutis esse potest, &
nimium vitæ, nimium esse potest veri-
tatis. Sed cum visum fuerit nimium esse
vitæ, quid hoc, si ad ipsum vitæ fon-
tem comparetur?

Domine, verba tua, verba sunt justi-
tiæ; audiat humilitas, & sollicita sit.
Verba tua, Domine, verba sunt
veritatis & vitæ; audiat charitas &
gaudeat. Justitiam loquentis humilitate
veneremur; Veritatem loquentem, &
verba vitæ habentem charitate complecta-
mur; ut cum nihil per nos justitiæ &
veritati defuerit, justi simus & veri.
Amen.

ψ. 139. *Tabescere me fecit zelus
meus; quia obliti sunt verba tua
inimici mei.*

O VIRUM secundum cor Dei! Sta-
tim ac locutus est, obtemperat.
Mandaveras multum fervendam esse
justitiam tuam, & hoc tibi placere. Ec-
ce ejus zelo accenditur: *Tabescere me fe-
cit zelus meus*, inquit. Quam foelices,
Domine, quos zelo tuo repleveris; nam
amant te. Sed si eo careant, vereor ne
non ament.

Da nobis, Domine, hunc primoge-

Ambros. nitum amoris tui ; da laudabilem hanc impatientiam , ut pati non possimus quod pati non potes. *Nemo gravior hostis omnium , quàm qui omnium ledit authorem.* Crudelem oderimus mansuetudinem , parcentem corpori morituro , & animas occidentem immortales.

Idem. *Zelum tuum qui habent , Domine ; omnes sibi inimicos suos putant qui sunt hostes tui , quamvis patrem , fratrem , sororem.*

Idem. Nulla virtus nobis utilior , quàm quæ *incorruptam servare studet Ecclesie castitatem.* Sed vae nobis. Inimicis tuis patientes sumus , tibi uni impatientes : & cum zelus salutis necessarius nobis desit , habemus supervacaneum , ut noxium non dicam. Utinam saltem omni zelo careamus ; sed quod tibi & sponsæ tuæ negamus , privatæ utilitati impenditur.

Act. 17.
16. Nec mihi deest zelus. Si peccantem fratrem videro , *incitatur in me spiritus meus* , sed certè meus. Pati non possum ; & me graviora peccantem ne arguo quidem. Zelum imperasti , Domine , sed amoris tui : hic enim salvat , & zelantem , & eos sæpè qui zelantur. Sed jubes ut zelum amoris nostri , & nobis multum & aliis nocentem quo nihil pejus , omnino coërceremus.

Zelus tuus , Domine , non tantum charitati , sed etiam humilitati conjun-

S O L I L O Q U I A. *Mirabilia.* 345
gitur. Quò magis illo servi tui inflam-
mantur , eò magis ipsi humiliantur.
Quid *humilius tabescente* ? Ut enim la-
boribus & sudore moles corporis depri-
mitur consumptâ pinguedine ; ita ze-
lo tuo illa velut moles tumoris cor in-
flantis deponitur auctâ humilitate :
Tabescere me fecit zelus meus.

Certum hoc argumentum optimi
zeli , qui humiliorem reddit. Utiliter
irascitur peccatis alienis , qui non redit
in gratiam cum suis , sed ea vincit
zelo tuo factus humilior. Imitemur
zelum Prophetæ. *Tabescebat quod ini-
mici ejus verba tua obliviscerentur.* Non
quod sua , sed quod verba tua contem-
nebantur , hoc dolebat. Nullam sui ra-
tionem habebat ; sed in suo dolore seip-
sum obliviscebatur ; & cum tot injuriis
afficeretur , non suas cogitabat , sed tuas.
Gloriâ tuâ , & eorum utilitate , non ve-
ro suâ movebatur. Unde vera hæc in
corde ita sentientis , & in ore cantan-
tis sententia : *Tabescere me fecit zelus
meus , quia obliti sunt verba tua inimici mei.*

ψ. 140. *Ignitum eloquium tuum
vehementer ; & servus tuus dile-
xit illud.*

ZELUM hunc suum non sibi im-
putat amicus tuus , sed tibi ; non
enim suo igne ardebat , sed illo quem

346 P I A I N P S A L. CXVIII.

de caelo nobis attulisti. *Ignitum*, inquit,
eloquium tuum vehementer; quasi diceret,
 Pl. 38. 4. illo hic zelus meus accenditur. Cum *intra*
eum cor ejus concalesceret, & *in meditatione*
 Prophetæ *exardesceret ignis ille cœlestis*,
 facile erat inflammari zelo, jam inflam-
 matum ardore *eloquii tui quod ignitum est*.

Da nobis hunc ignem, Domine, eloquiorum tuorum, tam necessarium frigore pereuntibus. Si arderet in corde nostro veritas, non refrigesceret charitas. Ecce, Domine, inter ignita eloquia versamur, nihil aliud loquimur, & frigidi fumus. Septies in die verba tua cantamus, quorum ardore mundus exarsit, & torpemus. Unde hoc, Domine? Ignis quidem in verbis; sed ignem, cujus vim caro formidat, seponimus: verba, quæ illi gravia non sunt, & quorum causâ non offenditur, retinemus.

O nos miseros! Remedium ipsum quo sanaremur projicimus, thecam verò in quâ allatum est, & jam sine remedio inutilem, diligenter servamus. Non verbis, Domine, quamvis sanctis, sed charitate verborum cui serviunt, & quam complectuntur, salvandi sumus.

Ambros. Da nobis *flagrantiam devotionis, quam nisi quis sumpserit, presentiam tuam non merobitur*. Da nobis hunc ignem eloquio-

~~Am~~ tuorum, mundantem animum, & consumentem errorem. Da nobis ignem, cujus luce contrarius ignis extinguitur.

Quid ignito illo eloquio admirabilius? *Hieron.*
peccatum consumit, & peccantem illuminat,
 in eodem homine fervans quod tuum est, & amputans quod nostrum est, ut toti jam tui simus, ideoque nostri; quia naturâ ipsâ tam tui sumus, ut nostrum esse non possit, quod non est tuum.

Amem, Domine, verba tua, sed ut te amem. Fieri non potest ut amem quod loqueris, non amando loquentem. Amem verba loquentis, propter eum qui loquitur. Sequar verba loquentis, ut me deducant ad loquentem. Obediam verbis ipsis, implendo quod præcipiunt; sed obediam loquenti, amando illum. Non enim sufficit amare & facere quod præcipitur, nisi ametur qui præcipit. Imperas, & amas. Non obedio imperanti, nisi faciam quod imperas. Non obedio amanti, nisi amem. Ecce Propheta tuus *non solum hæc agit* *S. Hilar.*
quæ præceperas, sed diligit. Et faciendum, & diligendum. Sed si hæc inter se comparentur, præstaret adhuc diligere quàm facere; cum actionem ipsam vi suâ amor complectatur, quem semper actio non complectitur. Facit qui amat, si possit; sed qui facit, non ideo amat.

Operatio-
ni obe-
dientia
præstat
dilectio-
nis ope-
ratio.
Obedien-
tia enim
sola ple-
rumque
terroris
est: dile-
ctio au-
tem non-
nisi ex
devota
mentis
voluntate
proficisci-
tur.

Ergo, Domine, *ignitum eloquium tuum* obedientiâ impleam & charitate, faciendo, & amando. Væ mihi: Non sufficeret incallescere. *Ignitis vehementer eloquiis* cor vehementer ardere oportuerat amantis, & ecce friget. *Miserere nostri, Domine, miserere nostri.*

Ps. 141. *Adolescentulus sum ego, & contemptus: justificationes tuas non sum oblitus.*

QUID nocuit seruo tuo adhuc versanti in domo patris, quod omnes qui sensuum iudicium sequebantur, fratres illi anteponerent, ut jam adultos, & fortè pulchriores? an minùs hic electus ad regnum, an minùs illi abjecti sunt? Ecce illo suo contemptu licet præterito adhuc gloriatur, & ipsâ ejus commemoratione fruitur ad oblectationem memoriæ. Gaudet se fuisse contemptum, qui jam contemni non poterat.

Hic maximè effectus igniti eloquii quod diligebat. Si ducat veritas non renuentes, & ejus inhæreamus vestigiis, ad humilitatem ducet & charitatem: unde qui arbitratur amare se veritatem, & superbus est, multùm fallitur. Qui illam novit, videt se non amandum.

Qui

Qui verò illam amat , jam se non amat ; nihil enim magis veritati contrarium quæ sancta est, quàm amor nequitiae, rerumque vanarum quæ illi favent ; & ipsæ vanæ sunt , nec ferè sunt , cum sola veritas sit , quâ creante sunt omnia , & quâ conservante conservantur.

Non frustra verò gaudet Propheta ob contemptum præteriti temporis , non tam quia ejus merito ad regnum evectus est , quàm ob hanc repræsentandi gloriam , cum ideo fuerit figura sponsæ tuæ & populi junioris qui & ipse à Judæis in fide adultis contemptus est.

Quid est , ego junior & adolescentulus Augusti
non sum oblitus justificationes tuas , nisi , illi majores obliti sunt , nempe Judæi ? Populus gentium non est oblitus justificationes tuas , quia non suam habere voluit justitiam , sed tuam. O singulare privilegium humilitatis , quæ nunquam Dei , ideoque nec salutis obliviscitur ! Quid prodest nihil oblivisci rerum omnium ad salutem non juvantium imo & nocentium , si Deum obliviscamur salvantem nos , & propterea pereamus ? Felicitas est , aliorum omnium oblivisci , quæ ipsâ recordatione miseros facere possunt , ut hujus rei unius non obliviscamur quâ foelices sumus , & cujus vel sola recordatio magnum bonum est.

350 PIA IN PSAL. CXVIII.

Adjuva me, Domine, ut sciam quare humiles non te obliviscuntur. Nonne humiles sunt, quia paupertatem suam & morbum suum intelligunt? sed quomodo morbum suum intelligere possunt, non intelligendo te qui sanitas & vita es? Fortè pauper, si nihil illi desit, obliviscetur vicinum divitem; sed si paupertas urgeat, si desit panis & fames cruciet, noverit verò beneficium divitem, jam illius non obliviscetur, qui sui ipsius non obliviscitur; sed ipso paupertatis sensu & naturæ deficientis angore & molestiâ ad januam divitis adducitur.

O Domine, fac humiles, ut quæramus te. Claude oculos superbiæ quæ cæca est salutis, & aperi oculos humilitatis ut noverimus quod sumus. Domine, ideo amas humilitatem, quia amas veritatem, & quia veritas es. Non decipiamus nos: sed nobis simus, quod tibi sumus; hoc est, veritatis sequamur iudicium, & salvabit nos. *Adolescentulus & contemptus*, si ipse quoque se contempserit, *justificationes tuas non obliviscetur*; & ideo justus erit, quia in te & non in se.

¶ 142. *Justitia tua justitia in æternum; & lex tua veritas.*

VERE, Domine, *appropinquas humilibus.* Gradus est ad scientiam, humilitas; & quicumque humiliatur coram te, fit doctior. Ecce statim ac de contemptu suo locutus est, *mirabilia ei de lege tua, & de justitia tua revelasti: Justitia tua, inquit, justitia in æternum.* Adhuc humiliatur; & quæ crevit humilitate scientia, auget & ipsa humilitatem. Gaudet quidem & gratias agit quod justus est, quia non à se justus est; sed cum hanc suam, quantacumque est, justitiam confert cum ipsa origine justitiæ omnis; cum hanc velut scintillam lucis confert cum sole justitiæ à quo emanavit, exclamat contemnens se & admirans Deum suum: *Justitia tua, justitia in æternum.*

Rapiat me etiam, Domine, admiratio æternitatis tuæ, & despiciam me. Quæ hæc justitia mea, si justitia dici potest? Si sit, quàm recens est! ferè hesternæ. Præteritis diebus & maximâ vitæ parte injustus, hodie justus, & cras nisi miserearis, jam injustus. Nescimus enim *quid superventura paritura sit dies, & Prov. 17: si iniquitates observaveris, Domine, Domi-*

352 PIA IN PSAL. CXVIII.

ne quis sustinebit? Hanc commemorationem injustitiæ nostræ, seu temporalis justitiæ, etsi taceatur, ipsa includit admiratio justitiæ tuæ quæ æterna est: *Justitia tua justitia in æternum.*

Et lex tua veritas. Justitia nostra, humilitas est; ideo ad veritatem deducit quæ respuit superbos. Unde & tu ipse, Domine, voluisti implere omnem legem humilitatis, antequam populis prædicares legem veritatis. *Sine*, inquiebas; *sic enim decet nos implere omnem justitiam*, humilitatem intelligens. Utinam, Domine, aliquid hujus legis intelligerem. Sed hanc tantum audiunt qui regnant,

Matth.
3. 15.
August.
in Jo.

Bernard. ferè non audimus. Veritas *Exulum patria est, & exilii finis*, Aliquid ejus audiendum est, ut oderimus exilium, & patriam cogitemus; sed revera magis Regum lex est quàm captivorum, quamquam etiam nostra sit, si reipsa Christiani sumus,

S. Hilar. *Christianis lex veritas est*, etsi vim ejus nondum intelligunt, sed credunt, & fides ignorantiam consolatur. Lex ergo Christianorum est, sed numquid Ju-

Ambros. dæorum? *Non habent veram legem, qui eam non acceperint spiritualiter.* Lex ergo, Domine, *quæ per Moysen data est, figura est legis veræ.* Ergo illa lex veritatis exemplar

S. Hilar. *est, & tantum lex tua veritas.* Ideo mar-

tyres tui *foelici hac mandatorum & legis tuae meditatione jam fortes, omnia hominum & diaboli tormenta confirmata fidei virtute vicerunt, quia lex tua veritas.*

Hanc legem, Domine, amemus ut liberi simus. Hanc legem meditemur, ut fortes simus ad vincendum. Hanc legem impleamus omni curâ & sollicitudine, ut vivamus. In eâ perseveremus, ut regnemus. Amen.

ψ. 143. *Tribulatio & angustia invenerunt me; mandata tua meditatio mea est.*

UT humilitas ad veritatem, ita veritas adducit ad tribulationem. Sed *sevant, Domine, & persequantur, August. dum tamen mandata tua non relinquuntur, & ex ipsis mandatis etiam qui seviunt diligantur.* *Foelix tribulatio, quæ veritatis effectus est & præmium. Beata mors, si etiam moriendum sit, quæ causa est vitæ æternæ.*

Non decipiant nos, Domine, ipsæ rerum similitudines; nec velut pueri terreamur asperitate nominum, quæ tantam gloriam significant, vim nominum ipsam intelligentibus. *Tribulatio velut quadam gratia est.* *Jam placet tibi qui patitur; jam pulcher est, & nullæ* Ambros.

Ambr. sunt maculae quae non eluantur sanguine morientis. Quid times? *Qui querit Christum, quarit & tribulationem ejus, nec refugit passionem.*

Etiam, Domine, *tribulatio & angustia inveniant nos.* Non appetamus eam, nec rursus horreamus. Inveniat illa nec quærentes nec fugientes. Si enim quæremus eam, quod fortè temeritatis esset & nimiae fortitudinis, inveniretur, non inveniret. Sed si obstinato ad non patiendum animo semper fugeretur, non inveniret nos, aut opprimeret. Ergo inveniatur expectantem, ut *similes simus hominibus expectantibus Dominum suum.*

Luc. 12. 26.

Tribulatio & angustia invenerunt me. Quam sapienter omnia disponis! Quia crux omnibus necessaria, nulli deest. Sed habes rationem infirmitatis nostrae, ut qui graviori succumberet, sub leviore ornatus magis quam oneratus incedat. Alii cruce ipsa, alii qui proximi sunt patientibus, ejus velut umbrâ sanantur. *Tribulatio* servatur fortibus; *angustia*, quae aliquid minus est & vix differt à viâ angustâ, donum est infirmorum; ut cum alios sub majoribus poenis laborantes aspexerint, ipsa hæc compatientium angustia & timor valeat illis ad salutem; quia etiam numerum inis capillorum nostrorum, & nihil perire potest quod tibi tribuitur.

SOLILOQUIA. *Mirabilia.* 355

Da nobis, Domine, ut cum hæc sive tribulatio sive angustia invenerint nos, *mandata tua meditatio nostra sit.* Ad veritatem hoc pertinet, ut quæ suos in hanc tribulationis flammam purgatura inje- cerit, eadem eripiat. Meditentur il- lam, & totâ in eam cogitatione defixi meditentur qui pro illâ patiuntur, ut fortiter patiantur. Væ in certamen sine veritate descendentem, licet pro veritate certaturus sit. Non defendemus illam, nisi prius ab illâ defendamur: *Magis enim illa defendit, quàm defenditur.* Guigo
Carthuf.

Mirabilis martyrum tuorum fortitudo non aliunde profluxit. Cogitabant te pro quo patiebantur, & vincebant. Cœlesti veritatis spectaculo inhærentes, al- terum istud infamiæ & doloris specta- culum facilè contemnebant. *Nihil crus sentit in nervo, cum animus in cœlo est.* Apud se non erant, cum tecum erant; & ideo non vincebantur qui *mandata tua medita- bantur.* Tertull.

†. 144. *Æquitas testimonia tua in æternum; intellectum da mihi, & vivam.*

Q UAM pulcher iste circuitus stan- tium in te, cum à justitiâ ad veri- tatem, & à veritate rursus ad justitiam

356 PIA IN PSAL. CXVIII.

dilabuntur. Nihil enim pro te patienti utilius, quàm ut cogitet, licet poena injusta sit, ob injustitiam in terrâ judicantium, nihil tamen eâ justius esse ob justitiam in cœlo judicantis.

Sic martyres tui, Domine, non multùm invehebantur in hominum injustitiam, quia justitiam tuam admirabantur. Æternæ justitiæ pulchritudine delectabantur, & gaudebant in te, quòd jam ultimum peccati vestigium in morientibus deleretur. Meditantes legis tuæ testimonia, hinc infirmitatis suæ & peccatorum suorum cogitatione implebantur ad humilitatem, illinc fortitudinis tuæ experientiâ & fide supra se rapiebantur ad præsidium & securitatem victoriæ. Ideo inter tot fluctus & turbines ingruentium tempestatum aut mutationes temporum non movebantur, quia stabiliebat illos & confirmabat contemplatio mandatorum cœlestium, & justitiæ æternæ.

Hoc fortè vidit Propheta; & gaudens ob gloriam patientium quæ unius est corporis, eâdem se stabiliri fortitudine precatus est. Id se intueri voluit ad inculpatè vivendum, quod illi ad tam fortiter patiendum intuebantur.

Intellectum da mihi, & vivam. Neque enim cujusvis est, id in testimoniis tuis

SOLILOQUIA. *Mirabilia.* 357
perspicere quod beati martyres perspe-
xerunt. Ecce, Domine, vix illa intelli-
gimus ad non moriendum, si fortè non
morimur, quæ illi non solùm ad viven-
dum utcumque, sed etiam ad patien-
dum & gaudendum intelligebant.

Intellectum da mihi, & vivam. Non
enim vivam, si pietas desit; sed *qui ha-* **Ambros.**
bet intellectum, ipse verè est pius. Libera
me, Domine, à pietate imperitâ, quæ
se tutam putat si nihil sciat, quamvis
scriptum sit, te ignoraturum eos qui **1. Cor.**
ignorent. Gratia tibi agenda sunt quod **14. 29.**
in Evangelio tuo dixeris virginibus fa-
tuis, eas te nescire. Eruditioni nostræ,
ipse orationis modus, & ipsæ locutiones
tuæ inserviunt.

Scis quidem & eos qui nesciunt te,
quia scis omnia; sed ideo eas nesciri di-
xisti, ut ad ignorantiam hanc quæ pœ-
na æterna est, delapsas se intelligant
nesciendo te. *Intelligentiam gratia Chri-* **August.**
stiana quâ velut oleo sapientes utuntur,
contempserunt, & ecce contemnuntur.
Scientiam tam utilem vitæ & neces-
sariam non adeptæ sunt, & ecce ne-
sciuntur.

Intellectum ergo da mihi, & vivam; si
de sit, certè moriturus. Intelligam quæ
scripta sunt. Consilium in eis tuum
requiram, quod consilium est vitæ. Si

358 P I A I N P S A L. CXVIII.

intelligam & non amem, si intelligam
& nolim pati, nondum intelligo & non-
dum vivo ; cum ferè nihil aliud com-
mendent scripturæ tuæ quàm amorem
patientis. Charitatem & crucem ubique
loquuntur ; amare ergo & pati, suavif-
simus earum fructus est.



✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠

✠.145. CLAMAVI *in toto corde meo,*
exaudi me, Domine; justificationes
tuas requiram.

INTELLECTUS, Domine, in clamore est. Non credam intelligere me verba Domini mei quæ locutus est ut me excitaret ad orandum, nisi oravero. Ecce cum hominibus loqui dignatus es, ut ipsi auderent loqui tecum. Præ animi stupore nescientibus quâ re indigerent aut quid à te postulandum esset, ostendisti illis paupertatem eorum & divitias tuas, ut magis ad postulandum incitares.

Nihil aliud scripturæ complectuntur quàm foeditatem morborum nostrorum, & pulchritudinem salutis tuæ; ut sanari optantes, quæramus te medicum nostrum qui *sanas omnes infirmitates nostras.* Si ergo medicum fugiam, aut non quæram orando, certum est non intellexisse me vocem loquentis, aut contempnisse; cum ideo locutus sis ut vocares. Quid mihi prodesset scire ubi est fons vitæ, si non accedam, & moriar?

Pf. 102.

Aperi mihi, Domine, sensum ver-

borum tuorum; ut cum audiero te, & ipse audias me. Audiam unde clamem; Et quantò plus erit lucis, fit etiam tanto plus calor. Scientiam oderim lucentem tantum & non ardentem, *clamans in toto corde meo*; ut quidquid das lucis intus sit, & eâ ardeat cor meum. Cum enim lux oculorum tantùm valere possit ad videndum, lux cordis immititur, non modo ad videndum, sed ad vivendum & clamandum.

Cur præcipuo ejus frustrarer effectu? Lingua animæ quâ loquatur, cor ipsum est. Frustra mihi cor concessum fuisset, nisi loquerer ad Dominum meum, & urgente necessitate clamarem auxilium petiturus. *Clamem*, clamem, sed *toto corde*. Nihil ejus pereat in rebus perituris. Nullo rerum caducarum desiderio, nullâ cogitatione alienâ avocetur. Suo operi intentum sit. Vivat.

Quid aliud à corde quæreretur, & quid illi magis necessarium quàm amare te? Omnes affectus amoris tam necessario inserviant. Una sit spes amantis & unus timor, ut sit etiam unus amor. Fieri non potest, Domine, ut non audias clamantem, si totum cor clamori suo impenditur; unde cum peto ut exaudias, iterum peto ut *clamem*, & *justificationes tuas requiram*. Væ mihi si aliud optavero.

SOLI LOQUIA. *Clamavi.* 361

Libera me ab injustitiâ amoris mei, qui amat quod non amas, ut justus sim amando te. Ut placeam tibi, da mihi quod & tibi placeat, & unde mihi non placeam: ut cum justum feceris, *justificationes tuas magis requiram*, magis amans justitiam tuam. Nam quanto magis deest, tantò minus requiritur. Sed cum minus requiritur, noxia requiruntur; & aliquid cordis vitæ eripitur morti tribuendum, periculoso cordis errore, amantis quod non amandum est, & minus amantis quod solum amandum est. Prohibe tantam amoris dementiam. Serva tibi cor meum, & integrum serva, ut vehementius clamet.

ÿ. 146. *Clamavi ad te, salvum me fac; ut custodiam mandata tua.*

BENEDICTUS sit Dominus, qui tam utile exemplum suppeditare voluerit Prophetæ in tantâ foelicitate iterum atque iterum clamantis, ut doceret quantâ contentione clamandum sit inter tot pericula constituto & per-eunti. *Clamavi ad te.* Ad quem enim alium clamaremus? Si ad homines confugiam, aut non credent dicenti se miserum, aut contemnent miseriam alienam; aut si misereantur, an liberabunt

& ipsi miseri? *Ad te*, Domine, clamandum est, qui semper paratus es ad subveniendum, qui audis ipsum silentium nostrum, qui misereris vel inimicorum, qui potes omnia, vel quæ fieri non posse videntur.

Salvum me fac. Hoc tantum clamem, Domine. Cum enim peream, quid aliud magis petam quam salutem? Nil necessarium morienti præter vitam. Nam quis usus, vel quæ utilitas rerum magis necessariorum, jam mortuo? Nonne hoc furori proximum, imò quovis furore majus, in tanto periculo mortis æternæ impendentis & miseriarum omnium à quibus liberari possim si petam, hoc non petere quamvis admonitum, & somnia petere prætervolantia quibus frui non possim, & quibus si fruerer, adhuc essem miserior? *Clamem* quidem, sed *ad te* clamem, & hoc unum clamem, ut adjuves pereuntem: *Clamavi ad te, salvum me fac.*

Hora ultima est. *Adhuc modicum, & non erit tempus.* Quodcumque ergo superesse potest tam necessarij temporis, saltem non nisi rebus necessariis insumatur. Non miror si non clamem, cum ea desiderem quorum clamor esse non possit. Ut enim pluma, etsi longe projicere velim & impellere vehementius, su-

Finere non potest impetum impellentis, ob levitatem : ita umbræ quas confectamur, indignæ sunt vi clamantis ; & tamen clamamus ; sed frustra , & cor miserum inutili clamore frangitur , quia contentio clamantis & velut ictus qui in res ipsas cadere non potest ob exiguitatem , in clamantem labefactorus revertitur.

Ille clamat ad te , Domine , qui magna s. Hilari postulat , qui celestia precatur , qui aterna sperat , qui innocentis timoris vivit officiis. Da mihi , Domine , hunc clamorem quem non audiant qui adsunt , & quem tu audias. Clamem , non sono corporis , sed Augusti cogitationum sublimitate , concentuque virtutum.

Dignus hic clamor sapientiâ virginum, & illis necessarius. Nam *omnis sapiens in corde suo clamat.* Si desit clamor, deest oleum , & lampades extinguuntur. Non vivit , aut non diu vivit , qui non clamat. Ergo orandum ; & hoc orandum , ut *custodiamus mandata tua* , hoc est , ut salvemur ; tantùm enim salvantur qui custodiunt. Custodiamus thesaurum nostrum ; quod enim præcipitur ab eo qui amatur , & tam utiliter præcipitur, amanti thesaurus dici potest.



ψ. 147. *Præveni in maturitate & clamavi ; quia in verba tua super speravi.*

SAPIENTER mones , Domine , ut si clamare velimus ne pereamus in silentio tacentium , qui ideo tacere debuiffemus ut salvaremur : hæc nobis cura fit , ut tempeftivi ad clamandum temporis omnem maturitatem elabi & præterfluere non finamus. Nam si cor ipsum quo clamatur occupari contingat ab amore noxio rerum caducarum ; licet ipsi aliquando tentemus id , & conari velimus velut impellentes ad clamandum ad te , non audis nos , feu potiùs non audimus te , quia tui non fumus , amantes inimicum tuum.

Ecce cor meum non clamat ad te , quia cum admonui jam clamabat. Quomodo clamaret ad salutem fuam , quod clamat ad exitium fuum ? Domine , non *præveni in maturitate* , & ideo non *clamavi*. Sub potestatem redactus sum domini crudelis ; & quod miserius est , volens redactus sum. Omnes animæ affectus quibus ad cœlum clamari potest , terræ ferviunt.

Quædam si non vitæ , saltem poenitentiaë innocentia necessaria est clamaturis , ut nemo obstrepat. Hanc non adhi-

SOLILOQUIA. *Clamavi.* 385

Beo velut comitem oraturus, nec *præveni in maturitate* ut quæreretur, decipiens meipsum. Hinc non clamo, aut si quis clamor editur, tam exilis est, ut invalescente tumultu tot rerum in corde meo æstuantium, nequidem à me, qui mihi tam proximus sum, audiri possit. Tanta est in corde tempestas excipiente omnes ventos ob patentes aditus qui relinquuntur aut contemnti aut nequidem advertenti, ut facile quemlibet clamorem superare possit. Ea verò vox est, si quædam sit, ita exigua & tenuis, ita fracta morbo, ut nequidem audiri posset in magno alioquin silentio. Quomodo ergo audiretur in hoc fragore tempestatis, & velut mugitu impellentium se fluctuum?

Fateor, Domine, prævenienda erant tot incommoda, & non præveni: nec præveniendi jam tempus, elapsâ rerum & ætatis maturitate. Mari imperare non possum, ut fiat tranquillitas clamori cordis necessaria: sed tu imperare potes, cui olim vel antequam resurgeres obsecutum est imperanti.

Hoc unum superest, quod magna mihi spes sit in verbis Domini mei, & utinam hoc dicere possim: *quia in verba tua supersperavi.* Mare verbo tuo tranquillum reddi potest, quod verbo tuo crea-

tum est. Non difficilius est ut serenetur
quàm ut fiat. Tantùm jube , & fiet. Sit
in corde meo silentium , ut audiaris.
Audiaris primùm , ut audias ; non enim
clamo ad te , nisi prior clames.

Nisi excitares jacentem , & manum
dormientis apprehenderes , non surge-
rem. Nisi verba tua posueris ipse in cor-
de meo , certè mutum est ; & non solùm
non clamo , sed non loquor : non solùm
non loquor , sed non vivo ; quia verbum
es audientis , & sermo loquentis. Tu vi-
ta non mortui ; & si recedas , statim mo-
rior. Ergo , Domine , in te sperem ;
quia tu es spes mea , ut & ipse dicam :
*Præveni in maturitate & clamavi , quia in
verba tua supersperavi.*

*ÿ. 148. Prævenerunt oculi mei ad te
diluculo ; ut meditarer eloquia
tua.*

B I s saltem præveniendi erant ini-
mici , ut servatâ congruentiâ tem-
porum , ad te clamarem ; & nec semel
præveni. Non præveni ut clamarem ,
nec præveni ut meditarer. Cum enim orare
non possimus , si cor occupetur sive ma-
lis rerum caducarum desideriiis , sive ma-
lis earundem cogitationibus , servandi
primùm fuerant aditus quibus intratur

In cor meum, & muniendi sive aduersus cupiditatem sive aduersus cogitationem sæculi. Facile enim optatur quod facile cogitatur; & ipsa hominis cogitatio tam via est amoris, illique tam necessaria, ut eâ carere non possit.

Magnâ ergo nunc misericordiâ & singulari, Domine, indigeo ut clamem ad te, cum *prior in domum meam non prae-* Eccli. 32
currerim, quod dudum monueras voce ¹⁵.

sapientis. Non præveni cupiditates sæculi, obstantes nunc sanctis desideriis. Non *præuenerunt oculi* cordis tenebras suas, hoc est cogitationes meas quibus jam torquetur cor meum, *separantibus à te*, & lucis ingressum prohibentibus. A me jam impetrare non possum ut non cogitem de me, quia meipso impletum est cor meum.

Exceptis peccatis meis quorum recordatio necessaria, & quæ nec semper cogitanda sunt ut beneficia tua utilius cogitentur, quid mihi mecum? An ipse tueor me? An in me spes mea? Res suas quæ ad sæculum hoc pertinent cogitare, otiosa saltem & inutilis cogitatio est, cum res ipse cogitando non mutantur, nec possit colorem vel unius capilli vertere intenta hominis cogitatio. Væ mihi. Si veritatem cogitarem, quæ bonum infinitum est, mea esset; quia

cogitando possidetur. Divitiæ & bonâ hujus sæculi similiter possideri non possunt cogitando, & cogitantur.

Miserere nostri, Domine, miserere nostri. Saltem nunc *præveniant oculi me ad te diluculo*: nisi enim primo diei initio & statim ac surrexerim omnis aliena cogitatio expellatur, quomodo *meditabor eloquia tua* quæ tota die meditanda sunt. Serva cor vacuum, ut luce tuâ impleatur. Nunquid non, Domine, corporis oculos minus certè necessarios, suis quibusdam palpebris munire voluisti, quibus arceretur quidquid obesset ad videndum?

Da suas etiam oculis interioribus palpebras, quibus prohibeantur irruentes molestiæ rerum caducarum. *Præcedant palpebræ gressus meos*, ut clausis oculis adversus pulverem hunc & quisquillas mundi, ipsa externarum actionum occupatio minus obsit contemplationi veritatis tuæ quæ me inter tot pericula tueatur. Sed etiam hoc mihi concede, ut pars ultima noctis, & prima diei, *saltem tota sit tui juris*; *Grave est enim si me otiosum in stratis radius solis orientis invenecundo pudore conveniat. An nescis, anima mea, quod primitias tui cordis ac vocis quotidie Deo debeas?* Amat præveniri sol justitiæ.

PROV. 4.
49.

Ambros.

ψ. 149. *Vocem meam audi secundum misericordiam tuam, Domine; & secundum iudicium tuum vivifica me.*

SI prævenerim, & me à sæculi cupiditate liberaveris; si prævenerint etiam oculi cordis, ut non immorentur in cogitatione rerum mortalium: sed dono tuo vigilem ad repellenda desideria sæculi cum turba cogitationum velut domesticarum quæ illis necessitate quadam connectuntur, jam tempus est ut *vocem meam audias*, & majori misericordiâ donum orationis perfectioris largiaris. Væ mihi si accedentibus annis, interioris hominis vox firmior non evadat, & ad superandum tumultum sensuum constantior.

Vocem meam audi. Audies si aperueris labia confitentis, ipsum orandi desiderium largiendo. Aperies, si des quod loquar, & ipsam loquendi fiduciam, ut nec timore frangatur vox, nec periculofiori præsumptione evanescat; audies, si ut perseveret effeceris.

Sed quocumque modo loqui concesseris, indigeo misericordiâ audientis. Quid est enim homo, ut loquatur ad Deum suum? Nisi miserearis, nullâ re

magis, ut arbitror, quàm tanta hac temeritate & negligentia orantium offenderis. Ut non oret amplius, dignus est qui ita orat. Et tamen misereris, & adhuc fortè utcumque oramus ad sustentandam infirmitatem nostram. Ergo *vocem meam audi secundum misericordiam tuam*; ut & parcas quod malè oramus, & hoc tribuas ut perfectius jam oremus. Neque verò hoc tantùm à me, & similibus petendum est; sed *semper homo*;

Ambros. etiamsi sanctus sit, debet orare ut exaudias secundum misericordiam tuam, non secundum merita virtutis alicujus. Ita enim prius miserendo, secundum iudicium tuum vivificabis.

Hic verò finis & consilium omne orantium esse debet, ut vivant, & tibi vivant: neque enim aliis vivere possumus, nisi moriendo. Oremus ergo ut vi-

Hilar. vamus. Incessabiliter vocis spiritualis pius hic gemitus emittatur ex corde amantium; ut ad vitam transferantur aeternam. Orandum ut vivatur; & ecce nec securius, nec jucundius, nec amplius vivitur quàm orando. Vivit, qui orat ut vivat; neque enim recordatur tui, aut orat te, qui descendit in infernum. Nemo accedit ad hunc fontem vitæ jam mortuus, an enim mortui ad vitam tenderent? Aut non movetur qui vitâ caret, aut pergit

SOLILOQUIA. Clamavi. 375

ad moriendum adhuc : & hic motus est putredinis , seu lapsus putrescentis cadaveris quo ruit in locum suum , nisi tu , Domine , qui suscitās mortuos , palpitationes quasdam inspires veluti vitæ re-ducis prænuncias.

Da vitam , Domine , sine te non tantum morituris , sed morientibus. Neque longo tempore opus est , sed statim mors vitæ succedit. Dummodo vivamus , nostra non refert quomodo seu qua ratione vivamus. Tui sit hoc iudicii , ut ea vita & eâ lege instituatür quæ tibi magis placuerit. Tantum vivamus , ut oremus. Tantum oremus , ut vivamus. Amen.

ψ. 150. *Appropinquaverunt persequentes me iniquitati : à lege autem tuâ longe facti sunt.*

ECCE , Domine , cum oraret te Propheta , in ipso orationis æstu inimicorum suorum recordatus est , ut miseretur. Sed quàm humilis & modesta oratio ! Non audet palam petere ut misereris ; sed ut in Evangelio beatæ sorores Lazari tui te tantum monuerunt , *Ecce quem amas infirmatur* , quia sciebant hoc sufficere amanti ; & iste tantum te monet de tanto periculo inimicorum

compatientis affectu. Ecce morti proximi sunt; tam proximi morti quàm proximi iniquitati. Ecce à lege tuâ discedunt quæ vita est, & discedendo moriuntur.

Nihil addit amplius, quia timet iram judicis quam veneratur, & quia perspektam habet ejus misericordiam. An enim amat ipse, & non amaret ille cujus dono eos amat? Tantùm ergo monendus fuit, ut suus honor servaretur aut iræ punientis, aut misericordiæ amantis. Ab inimicis quærebatur ad exitium, & eos quærit ad salutem. Graviter & odiosè impellebatur; sed magis dolet quod pereunt, quàm quod nihil non moliebantur ut periret. Primam & ultimam orationis partem occupant inimici: *appropinquaverunt iniquitati, à lege tuâ longè facti sunt; tantùm verbo de se dixit: persequentes me.*

Da nobis, Domine, ut hanc Prophetæ tui mansuetudinem imitemur. Cum persequuntur nos inimici, non tantùm nostro, sed etiam eorum periculo timeamus. Cogitemus quanti boni nobis causa sint, & quanto suo malo. Ecce ardent odio & pereunt, ut luceant nobis ad charitatem, & salvemur. Suavio-rem nobis veritatem reddiderunt, in-ruentibus quò tandem perveniatur defensione mendacii.

Sed quàm nihil auget. Non tantùm

non amplificat morbum eorum, sed minuit quantum potest quem nimium esse dolet. *Appropinquaverunt iniquitati*, imo in ipsum se sinum abdiderant iniquitatis. Intra mortis sagemam toti jam includebantur, quos illi proximos esse asseruit. Nimis parcè & timidè locutus est; sed amabat pereuntes, & consolatur utcumque dolorem suum, parcendo asperitati nominum, cum tantum de salute suâ agitur.

Amat, sed non fallit: eos enim longè à salute suâ recedere fatetur, cum à lege ipsâ longè recedunt. Amat, sed non tacet periculum, quod tacere, non potest esse amantium. Non verò sui obliviscitur, cum *appropinquare persequentes* dixerit. Ecce in persecutione, & in ipsâ ejus flammâ, eam tantum proximam esse arbitratur. *Tunc enim appropinquant qui* August. *persequuntur, quando usque ad carnem cruciandam perimendamve perveniunt. Sed quid eis nocent, quando interior est propinquatio tua, Domine, cum à te nullatenus deseruntur.* Proximum quidem homini corpus hominis; sed aliud est homo, quàm quod oculis cernitur. Non timeam ergo, Domine, qui occidunt corpus; si enim te timuerim timore amantis, qui fortis est, minùs ad me quàm ad interitum suum appropinquabunt.

ψ. 151. Prope es tu, Domine; & omnes viae tuae veritas.

APPROPINQUENT persequendo quantum voluerint, aut potius quantum permiseris, adhuc propior es. Illi extra positi oppugnant: tu intra consolaris. Quos aliquid in me posse concedis, ipsi sine te nihil possunt. Subministras vim omnem & potestatem impugnantibus, quia mihi utile est impugnari; & tueris me, majorem tribuens fortitudinem ad resistendum quam illis ad impugnandum. Frustra obsident, & omnes arcent commeatus ut fame peream; quia unde nutrior intus est. Quod in fonte tam intimo charitatis tuae scaturit, prohiberi non potest à corde amantium.

Prope es tu, Domine. Quid faciant? Amor non cogitur; & liber est qui liberos facit. Tantum possunt ipsi non amare; sed facere non possunt ut non ameris. Et non amando, ipsam commendant adhuc suavitatem amoris. Quam pulcher sit, vel solâ odii deformitate ostenditur. Prope es tu, Domine; quia cum videris, intus es; & ipse lux es quam cernimus.

Prope es tu; quia cum adsis amanti- bus, ipse amor es quem diligunt & quo

diligunt. Non enim tantum vita es ad quam tendimus, sed & via esse voluisti in qua ambularemus. Quid in hac via timemus, quæ clauditur persequentibus, & quæ fortitudinem ipsa suppeditat ambulantibus? Quomodo in via moreremur quæ vita est? tantum ergo viam non relinquamus, & securi sumus, quia *prope es*. Quid propius ambulanti esse potest, quam via in qua ambulat, & ipsa ambulandi voluntas qua viam ingressus est? Quid propius viventi quam vita viventis?

Ergo *prope es tu, Domine; & omnes viae tuae veritas*. Magna hæc consolatio, Domine, amantium te & obedientium præceptis tuis, quod nihil à te præcipis alienum. Idem ipse es, qui præcipis, & quod præcipis. In præceptis tuis inveniris; & si obsequamur sicut obsequendum est imperanti, fruimur imperante. Mitte, Domine, quocumque volueris. Quid mea refert? *Omnes viae tuae veritas*. Veritatem amanti, nulla obesse potest viarum diversitas, quia ipsa est in omnibus. Nec satis dixi; ipsa via *veritas est*.

Cur moerore humano afficimur, si hanc viam aut illam relinquere necesse sit? Cur potius id spectamus unde difcedimus quam quò imus, aut ubi sumus? En adhuc lucem veritatis in qua

versamur. Ecce adhuc ad eam tendimus, & in eâ sumus. Involucra quædam veritatis relicta sunt, sed veritas ipsa non relicta est. Sequitur suos, imo prævenit, imo intus est. Deseris tantùm si non obedis, & si foris spectas. O anima mea quid doles? Si veritatem quæris; en habes: fruire. Si non quæris, tu eam deseris. Noli timere, cum veritate; noli secura esse, adversus veritatem: *Nec fugere eam possumus si offendimus, nec amittimus si colamus.*

S. Ambr.

ψ. 152. *Initio cognovi de testimoniis tuis, quia in æternum fundasti ea.*

NON tantùm ubique es, sed semper es. Qui antecesserunt nos in viâ hâc sancti tui Patriarchæ & Prophetæ, eandem veritatis vim & efficaciam ad salvandum experti sunt. *Ecclesia tua terris non defuit ab initio generis humani. Ejus primitiæ (Abel sanctus) sanguine morientis consecratæ sunt, ut ostenderetur quia moriturus eras, & jam audiretur vox sanguinis tui melius clamantis quam Abel.*

August.

Hebr.
12. 24.

Nonne, Domine, in omni vitâ Patrum nostrorum & rebus gestis, æternorum bonorum spes continetur, & per eos ad doctrinam Evangelicæ prædicationis imbuimur? Initio ex-

Ergo cognovimus de testimoniis tuis , quia veritas non cessat ; nec aliquando avocari potest ab opere suo , quia non vincitur. Maximum illud opus salutis humanæ , tam dignum veritate quâ liberamur à mendacio , nullâ vi impeditur : imo quicumque adversari voluerit , perit quidem ipse , quia adversatur ; sed quod præstat & molitur , proficit in salutem non pereuntium.

Tam potens es, Domine, ut nihil subtrahere se possit authoritati dominantis. Ecce militant tibi qui te impugnant ; & ad nutum imperantis, ipsæ exitii causæ in causas salutis convertuntur. Ergo nunquam desunt *testimonia* sive justitiæ in pereuntibus, sive misericordiæ in electis. *Cognoscam* & ipse *de testimoniis istis* , ut credam justitiæ poenitentiam agendo , & credam misericordiæ amando te.

Non *cognoscuntur testimonia tua* , nisi cum coluntur , & obedimus voci eorum sequentes quò nos vocant. Justitia vocat reos ad timorem , misericordia ad amorem, utraque ad humilitatem; quia nihil æquius quàm ut humilietur coram eo quem timet qui reus est , & quem amat qui se omni amore indignum arbitratur. *Cognoscam* aliquid *de testimoniis tuis* , Domine , quia perfectè cognosci non possunt à creaturis. Verum enim te-

simonium , ipse est qui testatur.

Idem testimonii privilegium , quod viæ. Si omnes viæ tuæ veritas , hoc ipsum de *testimoniis* dicendum est , nam æterna sunt , *quia in æternum fundasti ea.* Æternitas signum Dei ; nihil enim præter te æternum est. Nec veritas incoepit , nec desinet. Eadem charitatis æternitas. Utraque lex nostra est : utrumque animæ testimonium hoc , cogitantis te & amantis. Ad utrumque nata est , cuius natura ipsa cogitare est & amare : unde beata est cum te fruitur ; nihilque illi deest , si cum æternâ luce fruens , amat quem videt , & videt quem amat. *Fiat , fiat.*

ψ. 153. *Vide humilitatem meam , & eripe me ; quia legem tuam non sum oblitus.*

N IHI L dignius tantorum testimoniorum magnitudine , quàm humilitas timentis , aut charitas patientis. Meritò ergo Propheta , qui *secundum cor tuum erat , non regni opes , non spiritum prophetia , non alia aliqua humana jactantia nomina in se conspici , sed humilitatem , precatur.* Humilitate enim & patientia maximè tuti sumus : & cum aliæ virtutes interdum periculi causa esse possint , his periculum omne propulsari consuevit.

S. Hilari.

Vide humilitatem meam, & eripe me. Certè, Domine, utraque hæc virtus subtrahi non potest oculis tuis; eam semper vides, quandiu ipsi videmus. Sed cum humilitate nostrâ offendimur, & displicet nobis crucis tuæ similitudo quâ gloriandum erat, non amplius vides humilitatem à quâ prior oculos revocaverim. Sed si gaudemus sive aliquid patientes, sive humiliati, quomodo abesses à gaudentibus, qui author es gaudii nostri? Cum igitur à te peto, ut *videas humilitatem meam*, hoc imprimis peto ut eam amem.

Muta, Domine, oculorum meorum iudicium, qui asperiori rerum cortice non delectati respiciunt foelicitatem suam, & carnis errore fallentis involuti non sequuntur iudicium tuum.

Vide humilitatem meam; & vides, si mea sit. Sed si crucem fero invitus alienam, non est ferentis, quæ pertinet tantum ad scelus imponentium. *Mea* fit ergo hæc *humilitas* quam ultra offers. Accipiam non tantum à manu, sed à corde largientis; amem donum tuum, & non sim ingratus, ut liberer à periculo. Tantum abest ut desereri possint qui humiles sunt, quin ipsâ *humilitate eripiuntur* ab omni molestiâ. Sufficit ipsa ad omne auxilium periclitantibus. Er-

go eripis jam ab inimicis largiendo humilitatem, & quantò magis humiles fumus, tantò magis eripis; ut nullum illi defit præsidium, cui nulla deest humilitas.

Vide humilitatem meam, & eripe me; quia legem tuam non sum oblitus. Nihil verius dici poterat. *Legem non obliviscuntur* nisi superbi. Cum enim ipso hujus amentix morbo excæcari contingat, lucem amplius licet fulgentem non percipiunt. Hanc verò non videre oblivisci est. Sed qui oculis valent, & ejus luce delectantur, quomodo illam *obliviscerentur*? Ipsa se in memoriam revocat lux, splendore radiorum ipsos aperientium oculos quibus cernitur.

Sed si humiles non *obliviscuntur* veritatem quâ fruuntur, nec obliviscuntur charitatem quam amant & cujus beneficio recordantur. Obliviscitur quidem amor, sed quæ non diliguntur. Eorum verò quæ diliguntur, ipse memoria est recordantium, ut jam oblivioni obnoxius esse non possit.



Ψ .154. *Judica judicium meum, & redime me: propter eloquium tuum vivifica me.*

QUAM beatus est, Domine, quem liberas, & qui non obliviscitur liberantem, non oblitus legem tuam: ille enim expectat adventum judicis sui, quia diligit judicem suum, & cum Propheta dicere potest: *Judica judicium meum.* Magnæ ac securæ conscientie vox. Hilar. Non hæc timentis vox, sed amantis. Non ideo tamen sibi nimium tribuit, aut nimis sperat, qui nihil de se sperat, sed ejus tota spes in misericordia judicantis. Jam judicabat Propheta *nihil se scire nisi Christum crucifixum*, quem pro peccatis suis & totius mundi moriturum intelligebat & velut animo intuebatur. Hieron.

Vox amantis & gaudentis, ad amantem & morientem: *Judica judicium meum.* Non dubitat de eventu causæ, qui advocati meritum intelligit. Ecce qui perorat causam meam, ipse judex est. Causa quidem rei est; sed judex amat, & innocentiam suam largitur reo ad defensionem injustitiæ. Causam meam tuetur misericordia & judicat amor. Crimen meum absolvitur ipso sanguine

judicis mei. Quid timeam mortem meam, quam vindicat mors Dei? Ex-
 tincta quidem vita, sed hominis. Ecce
 ut vivat, non aliquid quod vivat, sed
 vita ipsa auxiliatur. Ecce vita ipsius vitæ
 donatur mortuo. En vita Dei, ut sup-
 pleatur quod deest vitæ hominis.

Vidit hoc Propheta tuus, Domine,
 & exarsit ad amandum te, & contempsit
 inimicum suum amore judicis sui, cau-
 sam suam non distinguens à causâ tuâ.
 Provocavit illum ad certamen, non in
 quo ipse certaret, sed in quo moriebaris
 & vincebas, ut viveremus. Unde ve-
 lut subitâ amoris impatientiâ festinan-
 tis ad vitam exclamat: *Judica judicium
 meum, & redime me.* Cur absolutionem
 suam non urget reus, quam urget ju-
 dex ipse qui absolvit? etiam moritu-
 rus, Domine, festinabas, & hæc vox
 tua ad proditorem: *Quod facis fac citius.*
 Ex hoc fonte charitatis jam biberat qui
 cantabat; *Judica judicium meum, & re-
 dime me.*

Joan. 13.
27.

Propter eloquium tuum vivifica me. Amo-
 re quidem rapitur Propheta, sed non
 obliviscitur humilitatis. Amat arden-
 ter, sed non minus judicat justè. Imò
 nisi amaret, justè non judicaret; solus
 enim amor justus est. Quamvis ergo nil
 morte tuâ potentius intelligat, non mi-

SOLILOQUIA. *Clamavi.* 383
nus sollicitè orat; & ideò mortuus es ne
ora remus. Statim ad obsecrandum con-
vertitur, qui sciebat morte tua apertum
jam esse aditum ad misericordiam Dei.

Propter eloquium tuum vivifica me. Pro-
pter tuum, inquit, non propter meum.
Et hoc sapienter, Domine. Quis enim
non timeret meritum suum quo damna-
tur? Quis non amaret meritum Verbi
quo salvatur?

*Ps. 135. Longe à peccatoribus salus;
quia justificationes tuas non ex-
quisierunt.*

IPs. 1 sui sunt authores periculi, qui Do- Ambrosi
mino non appropinquaverunt, & cum
tantæ fons salutis apertus fit in sanguine
morientis, in siti tam mortali non u-
tuntur tam facili remedio. Ecce facti su- Eph. 2o
mus propè in sanguine tuo, & ipse est salus. 13o
Cur longè à salute tam jucundâ recedi-
mus?

Utinam, Domine, hanc mihi vo-
cem tribueres, quæ à peccatoribus audire-
tur à quibus longè est salus. Quò itis mi-
feri, quò itis? Quis fructus laboris tam
pertinacis? Laborioso itinere, & per
vias difficiles quæritis mortem, eam-
que crudelem & sempiternam. Propè
est salus, & longè itis. Cur diversæ susci-

piuntur profectioes? Cur nos tot negotiis implicamur, plenis periculorum omnium? Pereunti unum est negotium, non perire.

Ecce offertur quod quæris, & ex proximo. Si rex esse volueris, en regnum, & quod æternum est. Si lætari vis, en salutis lætitiã, & ipsius foelicitatis: en lætitiã verã, quæ non causã sit morborum & mortis, sed sanitatis & vitæ. Si gloriam quæris, en gloriam Dei; ipse laudabit te, ipse admirabitur. Quodcumque bonum cogitari potest, & majus quàm quod possit cogitari, tibi offertur. Ecce rogaris ut accipias. Non pretium exigeris, & offertur præmium accipienti. Si volueris, fiet.

Ut beatus sis, tantum requiritur ut velis beatus esse. Nec te injustum causeris; *sanguis Christi justitia est.* En tibi datur; & ut non superbias, non pereunris erit justitia, sed salvantis. En fontem ipsum vitæ, si mortuus es: sed si viveris, si vivis, injice te in eum ut non moriaris. Bibe & vive. Tantum cor sit vacuum, ut vitã impleatur. Cur manus isto mortis tuæ instrumento impediuntur? Depone hæc omnia, & abjice quod occidit te, ut arripas vitam, & manibus jam liberis amplexeris.

Miserere nostri, Domine, miserere nostri.

O nos miseros, & volentes perire! Non audimus voces tam salutares: *Longè à peccatoribus salus, quia justificationes tuas non exquisierunt.* Volunt salvari non volentes. Offers regnum tuum & justitiam tuam quâ regnatur, optantibus; & malunt ea optare quibus pereunt. Quærunt à mundo divitias, quæ nequidem dantur quærentibus; & tuas quæ veræ sunt, & dignæ regno tuo, haberent si quærerent.

Longè à peccatoribus salus, quia ipsi longè volunt esse à salute. Non recedit salus ipsa, sed recedunt qui salvandi erant, & qui salvarentur si accederent. Interdum se quoque velle salvari arbitrantur, quando incitatissimo mundi amore ad exitium rapiuntur. Agant quod voluerint; decipiant seipfos, aut decipiantur ab aliis; non salvabuntur nisi velint salvari, & quærant justitiam tuam. Sed certum est non velle salvari, cum ea volunt quibus pereunt.

ÿ. 156. Misericordiæ tuæ multæ Domine; secundum judicium tuum vivifica me.

Z E L O justitiæ tuæ impulsus Propheta in peccatores invectus erat, sed cum intelligeret in eâdem se causâ

386 PIA IN PSAL. CXVIII.

versari damnationis humanæ, seipsum vidit & timuit. Quid enim haberet ille quod à te non accepisset, aut quis eum discerneret à pereuntibus, nisi misere-

August. reris & discerneres? *Vidit hoc, continuo-
que subjecit: Misericordia tua multa, Do-
mine. Etiam hoc ergo quod exquirimus justi-
ficationes tuas, pertinet ad misericordias tuas,*
ut obstruatur os loquentium iniqua,
& non gloriatur omnis caro, cum
Scriptura omnia sub peccato conclusere-
rit, ut liberatus de non liberato discat, quod
etiam sibi supplicium conveniret, nisi gratia
subveniret.

Non usurpemus, Domine, bonum
alienum, quod pertinet ad salvantem.

Bernard. *Solus vicisti, & vir non fuit tecum. Quo-
modo mihi tribueretur victoria, qui nec in pra-
lio fui? Gratias agamus misericordiae,
ut misericordiam mereamur. Nam si ju-
stitiæ unius ratio haberetur, periremus.
Misericordiis opus erat, & multis, ut sa-
lute tam indigni salvarentur. Abundan-
tia vitæ tuæ mortis nostræ abundantiam
operuit, inundante diluvio misericor-
diarum tuarum, ut consideremus, &*

August. *non superbiremus. Qua enim merita sua
jactaturus est liberatus, cui si digna suis me-
ritis redderentur, non esset nisi damnatus?*

*Misericordia tua multa, Domine. Non-
dum nati eramus, & jam perieramus.*

SOLILOQUIA. *Clamavi* 387

Loco vitæ, mortem à parentibus acceperamus: Et hoc jus hæreditatis paternæ. Morti alienæ quæ nascendo fit nostra, quot mortes nostras addideramus? Quis númeret tot peccata, non dicam totius vitæ, sed unius anni? Quoties peccamus, quoties impedis ne peccemus, quoties parcis, quoties prævenis, quoties salvas? Dicat hoc expertus. Et quis non experitur, *si paulisper digerat vinum ebrietatis humana?*

Misericordia tua multa, Domine. Tua sunt, Domine, & tui juris, nec aliquam earum partem vindicare nobis possumus aliquo merito nostro. *Tua* sunt, ut omnis spes nostra in te sit, ut vivamus; & non in nobis, ne pereamus. *Misericordia multa, misericordiæ tuæ.* Et hoc centies repetendum est obliviscentibus securitatem nostram, quæ in fiduciâ misericordiæ tuæ tota consistit.

Secundum iudicium tuum vivifica me. Non enim tantum sperandum, sed etiam orandum est. Misericordia quidem sufficit ad salvandum; sed optanda, sed quærenda est. Vox optantis, oratio est; manus quærentis, laus bonorum operum, quæ tua est si vera est. Et hoc est *iudicium secundum quod vivificandi sumus.* noluisti enim ut beneficio tuo viveremus, culpâ nostrâ mortui, nisi vitam

388 PIA IN PSAL. CXVIII.
quam offers & largiris , amaremus &
quæreremus.

ψ. 157. *Multi qui persequuntur me,
& tribulant me : à testimoniis tuis
non declinavi.*

VITAM à te petierat Propheta , &
tu das illi signum vitæ: ut enim se
vivere confidat , & non dubitet se exau-
diri , *multi sunt qui persequuntur*. Ita est ,
Domine: rerum ipsarum ignoratione
usum nominum pervertimus : quod tri-
bulationem dicimus , si adverteremus ,
consolatio dici deberet misericordiam
tuam intelligentibus.

2. Tim.
3. 12. *Omnes qui piè volunt vivere persecutionem
patientur*. Hoc certum est. Cur ego non
magis gaudemus ob donum pietatis ,
quam dolemus ob tribulationem perse-
cutionis ; cum pietate nullum majus
bonum esse possit ; persecutio autem
ipsa , aut malum non sit , aut malorum
omnium levissimum?

Nec verò amicum tuum audimus
conquerentem aut lugentem ob acerbi-
tatem persequentium. Quid geratur ,
commemorat ; quod amicitiae officium
est , nihil rerum suarum abscondere iis
qui diliguntur. Sed multùm abest , ut
se ideo infoelicem arbitretur.

SOLILOQUIA. *Clamavi.* 389

Quia verò hæc *ad adificationem nostram scripta sunt*; videam, Domine, quid opponat molitionibus persequentium, & quam ineat defensionis suæ rationem *vir secundum cor tuum. A testimoniis tuis non declinavi.* Nihil excogitari poterat sapientius. Non ignorat se ob pietatem impugnari, & in pietate ipsâ omnem vim præsidii sui collocandam arbitratur. Externam defensionem non adhibet, quæ causæ hujus magnificentiam indigna sit. Quasi diceret; veritatem in me persequuntur, ipsa se tueatur. Quidquid est istius tribulationis, ipsa adduxit, ipsa quoque remedium fit; tantum non recedam à veritate. Quidquid aliud opposuero, minus est. Veritas vinci non potest, si ipsa pugnaverit; alio armorum genere non utenti, spes victoriæ certa.

O Domine, imiter Prophetam; ut & ipse dicere possim, si quæ ingruat tribulatio; *à testimoniis tuis non declinavi.* Nullum aliud præsidium præstantius arbitrer præsidio humilitatis & patientiæ; & hanc esse defensionem optimam credam, quæ solius fit veritatis.

Loquere, Domine, in corde meo, & *fugiant à facie tuâ qui oderunt te.* Omnia ps. 67. cedunt authoritati loquentis. Etiam creaturæ quæ sensu carent, vim Verbi

sentiunt quo creatæ sunt. Veritatem tuam tantum meditati ; & non declinanti à testimoniis tuis nihil nocet. Ideo vincimur , quia ab iis declinamus. Nec ista est inimicorum nostrorum victoria ; non eorum sapientiæ , sed stultitiæ nostræ tribui debet. Vincentem deseruimus veritatem , ut vinceremur.

Ergo , Domine , quò plures erunt qui persequuntur , eò fidelius veritati tuæ adhæream ; ut me semper inter hæc testimonia versantem nulla vis frangat ; quia veritati cedent , etiam quibus omnia cedunt.

Ps. 158. Vidi prævaricantes , & tabescebam ; quia eloquia tua non custodierunt.

ADVERSUS dæmonum sive hominum impetus persequentium , tutum se credidit Propheta patientiæ & humilitatis præsidio , aliorumque testimoniorum tuorum , quæ , cum veritatis luce fulgeant , spem certam afferunt victoriæ : & adversus dæmones pugnantibus sufficit veritas quâ judicantur. Sed adversus homines certanti , adhuc necessaria charitas quâ diligantur. Nam si desit , saltem odio vincitur qui non amat. Ergo amentur inimici , & vincantur.

Ita eos vicit amicus tuus ; & iisdem

nos armis instruit ad vincendum. *Videbatur pravaricantes, & tabescebam. Tabescebat, quia diligebat; & quia diligebat, idcirco vincebat.* *Auguſt.* Ecce oculi Prophetæ tui charitate aperiabantur ad videndum, cum nostri tam sæpe odio & malignitate aperiantur. Videbat pravaricantes, & eos etiam videmus. Videbat, & salvabatur; videmus, & perimus.

Unde hoc, Domine? Quæ tantæ hujus diversitatis causa esse potest? Nimirum ipsa charitate impellebatur ad videndum; & cum viderat, ipsâ iniquitatis hujus observatione adducebatur ad amandum. Miserebatur, dolebat, animo angebatur, ad te confugiebat oraturus; & ex alienæ iniquitatis amaritudine dulcissimos ipse fructus percipiebat charitatis omnis & humilitatis.

Miserere nostri, Domine. Longè alia ratio est consuetudinis nostræ. Si fratres lapsi sint, hoc facilius videmus, quia minus antea diligebantur: & cum hoc viderimus, frigidiores adhuc sumus in diligendo. Si non gaudemus, sed nec dolemus. Non miseremur erroris humani, sed ut alienum contemnimus; & cum infirmitatem ipsi nostram intelligere deberemus in infirmitate aliorum, fortiores nobis videmur, quia visi sunt non fortes. Prophetæ tuus *videbat prava-*

ricantes, quia amabat, & ut amaret; eos verò nos videmus, quia non amamus, & ut adhuc minùs amemus. Visum oculorum antecedit cordis malignitas; & eundem subsecuta, capit inde incrementum morbi sui, quo emendari debuisset.

Converte nos Deus salutaris noster, & igne tuo inflamma cor tam frigidum; ut aut non *videamus prevaricantes*, aut *videndo tabescamus*. Foelices qui videndo *tabescunt*, & quorum tumor imminuitur iniquitate alienâ, cum fiunt exinde humiliores. Sed cum corpore tabescente nulla fit spes sanitatis, longè alia ratio est animæ charitate tabescentis, cum nullâ re magis ad sanitatem confirmetur. Utinam verò tabescere possemus: nam multæ sunt causæ tabescendi, cum multi sint *qui eloquia tua non custodierunt*, quorum causâ dolendum est, non nostrâ, ut sit dolor ille charitatis, non verò cupiditatis.

ÿ. 159. *Vide quoniam mandata tua dilexi, Domine; in misericordiâ tuâ vivifica me.*

VERE, Domine, nihil utilius ad amandum te quàm si amentur fratres; tam enim arctè gemina hæc chari-

tas capitis & membrorum connectitur, ut te magis amet qui illa magis amaverit. Ecce postquam vidit prævaricantes, & alienæ miseriæ condoluit, ipso dolore compatiens crevit charitas diligentis. En sumpsit amandi fiduciam ex amore fraterno: *Vide quoniam mandata tua dilexi, Domine.* Noverat certè hoc amori proprium esse & convenire, ut nihil magis amet quàm quod est amoris. Veritas se negare non potest: an se negaret charitas, ut aliquid charitati anteponeretur? Hoc maximè amas, ut amemus; & ad nullam rem magis impellis quàm ad amorem; unde ad hoc te vocat spectaculum cujus ipse author es, & quod tibi jucundius esse non ignorat: *Vide quoniam mandata tua dilexi, Domine.*

Ipsam appellat nomen tuum, quod amoris est; quia amat ipse, & loquitur amanti, & ad videndum amorem invitat. *Non ait; Testimonia tua non negavi,* August,
 quæ ut martyres non negarent cuilibet se immanitati tormentorum objiciebant; *sed hoc dixit ubi fructus est omnium passionum; Vide quoniam dilexi.* Et amandum, & patiendum. Sed meritum amoris superat meritum passionis. Etiam cum corpus ardet, & flammis fidei causâ exponitur, animo non ardente, & si charitas desit, latronis poena est aut

homicidæ , non gloria Christiani. Seipsum charitati tam debitæ furatur , qui non amat ; & seipsum interficit qui se vitâ privat amoris , quô verius vivitur quàm ipsâ hâc animæ vitâ quâ corpus informatur.

Magnificè ergo & amanter Propheta , ut invitaret oculos amantis , hoc maxime ad aspectum usurpavit , quod gratius videretur. Et quidem ille præcepta omnia servaverat ; *non dixit tamen, Mandata tua servavi , sed Dilexi. Diligere amplius est quàm custodire. Custodire enim plerumque necessitatis est & timoris , diligere charitatis. Possumus non amare quod volumus ; non possumus nolle quod amamus. Servantur mandata etiam à servis , sed non diliguntur nisi à filiis. Non est heres qui servat , & tantùm timet : sed semper heres est qui diligit.*

Vide ergo quoniam mandata tua dilexi , Domine. Hoc ut dicam ipse , prius vide ut diligam. Non sicut videmus res quæ sunt , & non possumus videre non existentes , ita & tu. Nam videndo , etiam facis ut sint , quoniam omnipotens es. Et vides quod facis , & facis quod vides. Ne videas , Domine , deformitatem meam ; sed teipsum vide videndo me , ut miserearis , & amem te. Non enim vivam , nisi amem te ; & vita ipsa

sine amore non amanda est. Quicumque vivit, & non amat te, aut mortuus est jam, aut moritur. Amem ergo ut vivam, sed miserere ut amem. Ut enim vita esse non potest absque amore in viventibus; ita neque amor esse potest absque misericordiâ in tam indignis & peccatoribus: *In misericordiâ tuâ vivifica me.*

ψ. 160. *Principium verborum tuorum veritas; in æternum omnia judicia justitiæ tuæ.*

VITÆ initium à te petit, qui vitam perierat; & hoc initium humilitas est. Cum enim, Domine, conver-
tis animas verbo virtutis tuæ, hoc primum illis præstas ut videant se & erubescant. Hoc *principium verborum tuorum* in corde eorum, à quo cætera dependeant. Fundamentum veritatis subternitur aperientis nobis iniquitates nostras, & magnitudinem morbi, ut confugi-
mus ad medicum.

Et tu prior invisere dignatus es, & cum quærimus te medicum nostrum, jam quæсивisti ut quæreremus. Cum enim anima displicet sibi, & adversum se insurgit accusans peccatum suum, non hoc ipsa loquitur à se. Si ipsa lo-

396 P I A I N P S A L . C X V I I I .

Joan. 8. mendacium cum ex se loquitur. Cum
44. ergo deformitatem ipsa suam intelligit
& non tacet, verbum veritatis est ani-
mam liberantis; & qui audiunt in cœ-
lo gaudent: propterea Angeli hoc jam
Luc. usurpant; *Hodie salus huic domui facta est.*
19. 9. Non enim frustra veritas loquitur, &
audiri volentem quis non audiret?

Hoc vitæ initium quod in humilitate est, amator vitæ non tam petebat quàm optabat; quasi pauper qui maximo edendi desiderio teneretur, in domo divitis panem diviti ostenderet, hoc tantùm dicens: panis est. Nam si dives famem ejus non ignorat, satis petiit ostendendo.

Sic forsan Propheta ardens desiderio humilitatis, ipsâ ejus commemoratione votum suum confitetur. *Veritas* illi humilitas est; cum in hoc tantùm lucem veritatis adhiberet, ut fugeret seipsum & te quæreret. Hoc veritatis velut compendium qui affecutus est, omnem vim ejus, ut ita dicam, animo complexus est; cum illud novit, nihil seipso nequius & miserius, quod ad se odio habendum pertinet, & nihil te melius, quod pertinet ad amandum.

Veritas ergo ad salutem necessaria, in humilitate omnis & charitate includitur

ditur. Satis doctus est, Domine, qui se non amat & te amat. Hoc *principium verborum tuorum*, quod sapientiæ initium est, jam sapiens Propheta audire desiderabat, compungi desiderans & humiliari, ut mortem evaderet beneficio justitiæ, quæ cum æterna sit, ut salvemur semper amanda est. Nonne, Domine, hæc ipsa justitia, quam implere voluisti baptifandus & humiliandus, ipsa quoque humilitas est. Veritas est, quâ nos cognoscimus: justitia est, quâ Deo satisfacimus.

Da nobis ergo ut ad æternitatem justitiæ, perpetuâ quâdam humilitate perveniamus. Non desinit justitia; nec desinat humilitas. Quæ tam tarda est ad incipiendum, sit firma ad permanendum, quia justitia æterna est. Loquere, Domine, ut erubescat incircumcisum cor meum: loquere ut intelligam me non tantum mortalem, sed mortuum ad initium veritatis, & te æternum suspiciam ad initium charitatis. Amen.





ψ. 161. *PRINCIPES persecuti sunt me gratis; & à verbis tuis formidavit cor meum.*

N I H I L foelicius, quàm cum persecutionem humilitas antecedit. Cum enim adversitate non vincantur nisi superbi, non cedunt malignitati persequentium, qui humiles sunt. Quàm bonus es, Domine, qui militem tuum omni armorum genere, vel antequàm hostis se offerret instruxeras. Ipsum certaminis tempus victoriae triumpho quodammodo præveneras, & humilis factus, antequàm certaret jam vicerat. Quid enim timeret principem tam parvus, aut persequentem tam fortis & justus? Excelsa tantum evertunt excelsos; qui jacet non evertitur; & qui infra omnes descenderit, non habet amplius quò cadat, fiducia & securitate humilitatis. Ergo frustra persecuti sunt humilem, & ideo innocentem.

Hoc ipse tibi confitetur. *Principes persecuti sunt me gratis; ideo frustra, quia gratis.* Si enim aliquà suà culpâ occasionem dedisset certamini, facile vinci potuisset. Sed quis vinceret humilem in-

nocentiam, cujus ipse fortitudo es, qui vinci non potes. Da nobis, Domine, ut quos sæculum persequetur servorum tuorum, nihil in eis inveniat quod suum sit. Cùm enim reddenda sint Cæsari, quæ sunt Cæsaris; si bonis sæculi onustus sit, aut ejus spe turgeat qui ad certamen descenderit, omni ex parte invaditur, & sæculo velut in transfugam jus est. Sed si nihil eorum amet quæ ad sæculum pertinent, quomodo vinceretur qui nec apprehendi potest aut teneri?

Da mihi, Domine, arma paupertatis invictæ, bonorum jacturam temporalium nequidem sentientis, nec timentis mortem, quia non timet spoliari quæ tantum æternitatem cogitat, & quæ jam se spoliaverit, festinantibus votis ad sæculi exitum.

O beatum Prophetam, Domine. Principes minantur, & non timet. Imò timet, sed non comminantes. Plus timet intus loquentem quem amat & quem solus audit, quàm foris intonantes qui audiuntur ab omnibus, & quos non audit quia despicit. Cor prius occupatum timore casto potentissimi amoris, nihil aliud timere potest quàm quod amat.

Quis cùm audiret principes persequentes, superbisque comminationi-

bus frementes, si audiret etiam Prophetam confitentem timorem suum, non crederet eos timeri qui comminantur? & tamen eos non timet, & te timet. Magis admiror Prophetam in hoc certamine sic timentem, quam in aliis triumphantem: *Et à verbis tuis formidavit cor meum.* Cum sit hæc formido cordis, formido est amoris; nihil enim aliud formidat amor, quàm ne non semper amet. Hoc unum timet, qui te unum amat. Hinc nequidem advertit si loquatur servus, cum loquitur Dominus. Nam præterquam quod timetur Dominus & non timetur servus: quidquid hic loquitur vile & contemnendum est, quidquid ille loquitur, & timendum & amandum est.

ψ. 162. *Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui invenit spolia multa.*

NON dubitandum de conditione timoris quem gaudium comitatur. Si timeret Propheta, & non amaret, certe non gauderet. *Pœnam habet timor,* & ideò non lætatur qui timet. Sed cum timor castus sit qui amori jungitur, tam capax est gaudii quàm amoris. Ergo timet te, & lætatur in te; &

SOLILOQUIA. *Principes.* 401

quod amplius est, ideo lætatur in te, quia timet te. Cum enim amor tuus semper cuidam gaudio conjunctus sit, magis gaudet qui humilior est, quia major est ipso incremento humilitatis; quia fieri non potest, ut non major sit charitas, cum major est humilitas.

Letabor ego super eloquia tua. Rectè gaudet, Domine, qui te audit loquentem; quia nihil aliud loqueris quàm pacem audientibus te, & hoc ipsum quod loqueris gaudium est. Non enim sicut ego audio loquentem amicum & gaudeo, idem & hic accidit. Cum audio te ipsum, gaudium operaris in corde amantis. Absit ut tu loquereris, & ipse ex me gauderem. Non tantùm quod loqueris, sed quod audio, tuum est. Ut amor ipse amantis, ita & gaudium exultantis donum est spiritus tui; & si à meo tantùm proficisceretur, non verum esset, quia mendax sum.

Letatur ergo super eloquia tua, quia cum audiuntur, qui incipit audire jam incipit beatus esse. Ingratus esset qui audiret vocem liberantis, & non gauderet. Nonne ipse docuisti, quod nos veritas liberaret? Ergo exultandum est audienti eloquia veritatis, quia *loquitur pacem in* Joana. 8. *servos suos,* & non tantùm *appropinquat redemptionis* audientis & vicina est, quod suf-

ficeret ad lætandum ; sed jam vocat ad libertatem & solvit *vincula captivantis*. En vincitur fortis , & diripiuntur spolia superbi in sacrificium humilitatis christianæ. *Lætabor ego super eloquia tua , sicut qui invenit spolia multa*. O victricem veritatem , quam qui audit vincit ! Quàm plena & foelix erit victoria fruentium te , cum jam vincant qui tantò ab exulibus intervallo distantem audierunt !

Loquere , Domine , ut gaudeam & vincam. Utrumque misero necessarium & infirmo. Sed quàm hoc admirabile in victoriâ Domini nostri ! Non tantùm gaudemus & vincimus audiendo eloquia veritatis vincientis , sed ipso gaudio nostro vincimus ; & ipsum hoc gaudium unum est ex spoliis veritatis , fructus victoriæ tuæ.

Ego verò , Domine , non arbitrer audire me vocem veritatis , si nulla ostendere possim spolia. Veritas vincit. Quod vincitur , mendacium est. Si adhuc vincor , & vocem vincientis audire me profitear , decipit me cor meum , & *veritas in me non est*. Spolia fidem faciunt victoriæ. Victoria argumentum est veritatis. Da vincere inimicos tuos , ut tibi spolia offeram victoriæ , & gaudeam in veritate audiens vocem tuam. Amen.

1. Joan.

1. 8.

✠. *Iniquitatem odio habui, & abominatus sum: legem autem tuam dilexi.*

REGNUM inimici tui, Domine, regnum est iniquitatis. Quamdiu vincit, amatur iniquitas. Signum est ergo illum superatum esse, cum *iniquitas odio habetur, & lex tua diligitur*, quam nemo diligit qui regno illius servit. Iniquitatis odium & amor legis, optima sunt spolia Prophetæ in nomine tuo vincentis.

Quia jam antea vicerat, non primum nunc iniquitatem odio habet: & hoc ipsum jam dixerat, quod repetendum fuit, ut doceret non posse augeri salutem, & sanitatem confirmari convalescentium, nisi iniquitatis odium & amor legis tuæ similiter augeantur. Male nobiscum ageretur, si in viâ stantes tam periculosa in quâ currendum est, eodem semper iniquitatis odio teneremur.

Iniquitatem odio habuerat tantum, nunc verò illam etiam abominatur; quia quanto magis diligeris, tanto magis aperiuntur oculi amantium te, quibus majore iniquitatis foeditate perspectâ, necesse est ut illam graviore odio prosequamur.

Da mihi, Domine, ut magis oderim morbum meum, & hanc odii mei mediocritatem pertimescam, quæ sanitatis dubiæ argumentum est. Cum enim morbos corporis magis fugiamus, quò sunt acerbiores & magis urgent; non idem accidit in morbis animæ, ita illi omnem sensum adimentibus, ut quò sunt majores, magis etiam diligantur. Ad solam animæ sanitatem pertinet, odio habere iniquitatem, quæ illius morbus est. Sed cum adhuc ægrotat, illam adhuc amat.

Quàm mihi timendum est, Domine, ne cum morbo rediturus sim in gratiam, quem ita parum odi, ut adhuc fere amem! Ista odii velut urbanitas, urbanis inimicis, & non sævientibus servanda: sed maximus inimicus maximo odio infectandus est. Ideo animum odii capacem conformasti.

Ideo dictum erat Judæis odio habendū inimicum, ut solum hunc inimicum odifsemus: & solum hunc non odimus. Inimicos homines qui amandi sunt, non amamus. Inimicissimam iniquitatem quæ nunquam amanda est, hanc amamus. Væ mihi. Iniquitatem Propheta crescente odio abominabatur, quam nescio an leviter saltem oderim. Hinc ille ardebat amore legis tuæ, ad quam diligen-

dam ipso iniquitatis odio utebatur. Ego verò legem tuam parum amo, quia iniquitatem legi tuæ repugnantem parum odi, tam frigidus amator, quàm frigidus inimicus.

Miserere mei, Domine. Auge odium, ut magis amem. Auge amorem, ut magis oderim. Iisdem gradibus adoleſcant, hinc odium mendacii quo nulla major iniquitas, hinc amor veritatis, quæ lex prima est & lex legum.

Ps. 164. Septies in die laudem dixi tibi, super iudicia justitiæ tuæ.

LAUDET qui diligit. Hoc amoris tui privilegium est, Domine, idque maximum, ut laudet te. Nec jus laudandi, nisi amantibus: laus enim falsa, ejus qui laudandum dicit quem ipse non laudat. Si enim laudaret, rei pulchritudine incensus & amaret. Si amaret, & ipso abreptus desiderio laudaret, cum amantis affectum sequatur iudicium admirantis. Iudicio laudamus, quæ amore complectimur. Ergo laudat qui amat, & qui amat laudat.

Non mirum igitur si Propheta tuus, postquam iniquitatem abominatus est inimicam laudum tuarum, postquam legem tuam dilexit, quæ author est lau-

dandi, & fons laudis, *septies in die laudem dixit tibi.* Cum *septies* dixit, rationem magis habuit infirmitatis nostræ quàm desiderii sui; & quid possemus, non verò quid ipse vellet, indicavit; quantum enim ad eum pertinet, semper laudabat qui semper amabat.

Cum enim animus in ipsis occupationum molestiis & velut fluctibus, non avocatur ab amore tantæ pulchritudinis, quia eo inflammatus colligit se & tuetur adversus impetum sensuum; ita neque ab ejus admiratione & laudibus avocari potest. Sed cum nondum ab amore ipso, qui fortitudo nostra est, vim sumpsimus, sensus amore fortiores cor secum abducunt in externa hæc & mortalia, quod ab iis abripi se patitur quos magis coercere debuerat; quo fit ut langueat velut piscis ex aquâ attractus, & si diuturniori morâ quàm par sit detineatur, mori necesse est.

Hæc miseria nostra, Domine; & hoc tu remedium providisti qui curam habes infirmorum, ut quemadmodum plantæ naturâ caducæ quæ pondus feminum adultæ ferre non possent, quibusdam velut internodiis interjunctæ firmitatis nituntur: ita & in nobis fieret ad præsidium infirmitatis humanæ, ut horis occupationum & infirmitatis horæ

Fortitudinis & laudis tuæ succederent ;
ne non adjuta infirmitas utili hâc vicif-
situdine quietis , tandem aliquando suc-
cumberet.

Sic septies in die laudem dicimus tibi , &
valde dolendum si non sæpius. Dolend-
um si non semper , & si non perfectiùs.
Nam in re ferventissimâ frigemus , hoc
est in laudibus tuis. In re frigidissimâ
calemus , hoc est in curâ rerum tem-
poralium. Ideo certè non diu lauda-
mus , quia malè laudamus ; & jure tam
ineptos laudatores respuis , quos tædet
in laudibus tuis , & quos in suarum
commemoratione non tæderet.

*Amputa , Domine , hoc opprobrium nô-
strum. Laudemus judicia justitiæ tuæ. Nil*
pulchrius justitiâ judicante , aut amore
non judicante sed parcente magis ;
quamquam & amor sit qui judicet. Sed
cum læsus est , & non parcit , justitia est
judicantis ; cum parcit , misericordia
est amantis.

*ψ. 165. Pax multa diligentibus le-
gem tuam ; & non est illis scan-
dalum.*

PAX tua , Domine , præmium est
laudantium & amantium. Ut nihil
amore melius ; ita nihil foelicius pace.

Docet nos ipse hic ordo quem à Prophetâ servari voluisti , ut si pacem amaremus quâ omnes delectantur , eam tantùm in amore tuo & in laudibus tuis quæreremus. Ita inter se pax & amor connectuntur , ut neque pax esse possit absque amore , nec amor absque pace. Cum enim non amaris , amatur iniquitas , quæ crudelissimum bellum est in quo omnes pereunt.

Et verò si pax esset amanti iniquitatem , & te non amanti , bello ipso pax esset acerbior , ob cujus falsam suavitatem decepti , minùs tanti periculi magnitudinem declinaremus. Martyres verò nullâ tormentorum immanitate fracti , in bello etiam acerbissimo , pacis tuæ abundantiam percipiebant , & se hominibus fortiores experiebantur.

Patiebantur , & gaudebant. Bellum urgebat , & pace fruebantur. Hæc enim non magis naturâ quàm loco distinguebantur. Ubi gaudebant illi , non dolebant. Debilitato corpore , & laceris membris quorum nulla pax erat , cor integrum amori & paci servabatur.

Inde imperabatur membris patientibus , & in officio continebantur licet pereuntia. Membra , carnificum furori addicta absumentur , sed animus liber , non tantùm superior torquentibus,

sed tyrannorum etiam iudex Deo suo serviebat, nullâ affectuum discrepantiâ ad foelicitatem suam consentientium.

Et hæc illis pax erat, pati inimicum quem vincebant, & Deum suum amare quo fruebantur. Aliquid pacis hujus cœlestis quam intus præsens Deus concedebat, & quæ ideo eripi non poterat ab hominibus, ad membra etiam pereuntia pertingebat; ut non succumberent injustitiæ, quæ dolori succumbere sinebantur. Sed nihil teterrimi hujus belli quod in laniênâ membrorum exercebatur, ad animum perveniebat consentientem dolori ad gloriam amoris, & omnes injustitiæ machinas frangentem ad victoriam justitiæ.

Ecce, Domine, quomodo esset *scandalum diligentibus legem tuam*, vel cum ab imperitis incoelices judicantur, & ea perpetiuntur ab inimicis quæ gravissima videri possunt. Magnitudinem doloris videmus vincentis sensus & membra; sed magnitudinem amoris dolorem ipsum vincentis non videmus. Non tantùm ardentèr amant, quo nihil in naturâ potentius; sed te amant, & te amant amore tuo qui non vincitur; & ita amant totâ cordis libertate properantis ad bonum suum, & quo urgetur ad amplexus tam optatos & tam vicinos,

410 PIA IN PSAL. CXVIII.

ut ipsa ament tormenta, licet repugnante naturâ, quibus tibi conjunguntur.

O stultos! Intentabant mortem, ut non amarent; & ecce mortem adhibent ad amandum. Amant moriendo, & moriuntur amando. Moriuntur quia amant, & ut ament. Ecce mortem amant, & ipsa est corona amantium. *Non est ergo illis scandalum.*

ÿ. 166. *Expectabam salutare tuum, Domine; & mandata tua dilexi.*

QUOD esset scandalum, Domine, diligentî & *expectanti salutare tuum*, tantoque ardentius *expectanti*, quanto majora sunt scandala, aut plures qui persequuntur? Cedamus ergo, Domine, furentibus odiis inimicorum, tacentes & amantes, quia nobis vincunt. Ecce *illorum potentia quâ gloriantur nostra victoria est; & tunc magis vincuntur, cum se vicisse crediderint.*

Expectemus te, & misereamur non expectantium; illosque saltem votis & precibus vocemus ad expectandum te, qui non tantum cum inveniris beatos facis, sed etiam cum expectaris. Hinc rectè paci vincentis, adjuncta est patientia expectantis; tum quia pax indiget patientia, tum quia nullâ re magis pax

S O L I L O Q U I A. *Principes.* 411
ista fervorum tuorum comparari potest
quàm expectatione adventus tui.

Qui pace hâc fruitur, qualis hîc ha-
beri potest medios inter hostes versanti,
quid aptius faceret aut magis necessa-
rium, quam expectare te? Gustanti e-
nim quàm bonus es, & id non credenti
tantùm, sed intus experienti vilescunt
omnia, & aperiuntur deceptiones sen-
suum insidiantium salutis nostræ, &
mendacia sæculi falsam & turpem fœli-
citem promittentis, quæ magna mise-
ria est amanti te. Cum ergo non am-
plius ab istis avocetur somniantium si-
mulacris, quid aliud superest quàm ut
in luce tuâ vigilet, tenebris jam evanes-
centibus? Te igitur expectat, quia ni-
hil aliud expectat.

*Expectabam salutare tuum, Domine, &
mandata tua dilexi.* En expectat quod di-
ligit, & diligit quod expectat. Ipsâ ex-
pectantis patientiâ crescit charitas dili-
gentis, quemadmodum auctâ charitate
augetur etiam patientia expectantis.
Non tantùm expectat & diligit, sed
diligendo expectat, quia *charitas patiens*
est; & expectando diligit, quia *patientia*
opus perfectum habet, quod charitas est. 1. Cor.
13. 4.
Jac. 1. 4.

Non sicut cætera expectantur, ita
& tu expectaris, Domine. Expectatio-
nem paulò longiorem sequitur tædium

molestissimum, quia expectatur vanitas, quæ jam nocet ipsâ spe. Sed cum expectamus te, si quod inerat antea tædium, ab eo liberamur, quia expectatur charitas, cujus vel ipsa spes gaudio afficit, & jam mentem serenat. Ergo, Domine,

Ambros. qui expectat, speret charitatem, & nihil aliud expectet.

Cur expectarem divitias quæ fallunt expectantem, & non potiùs expectarem te, qui nunquam fallis cum expectaris? Expectem vitam, Domine, moriturus nisi expectem. Expectemus salutare tuum, diligentes mandata quibus salvamur. Diligamus quem expectamus, quia non merito nostro, sed illius gratiâ fit ut expectemus. Nonne quodammodo definiri posset Ecclesia, societas expectantium & amantium? *Expectabam, & dilexi.*

Ps. 167. Custodivit anima mea testimonia tua; & dilexit ea vehementer.

HÆc utilitas beatissimæ expectationis. Facile custodiuntur illius mandata qui expectatur, & qui mox speratur esse venturus. Qui non cogitat venientem, *percutit conservos &c.* & non obsequitur præcipienti, cujus præsentiam non timet. Quis tantæ Majestati non obediret, si cerneret? Sed oculorum defectum supplet vigilantis ani-

Matth.
24. 49.

SOLI LOQUIA. *Principes.* 413
mæ expectatio ; nec absentiam sentit
amor , cui præsens est qui tam ardentè
diligitur. *Custodivit anima mea testimo-
nia tua.*

Non solum corpus, quod litteræ ser-
vit & corticem tantùm mandatorum at-
tingere potest , sed anima ipsa quæ spi-
ritum intus gustat & percipit , custo-
dit mandata Domini sui , ut totus ho-
mo convenienti cultu adoret *Verbum car-
nem factum* ; cum caro carnem veneratur
officiis carnis , laborando aut patiendo ;
& anima ad colendum Verbo subditur ,
cogitando & amando , quod proprium
illius officium est.

Ad animam ergo magis pertinet custo-
dire thesaurum suum , qui in his vitæ
æternæ testimoniis absconditus est ,
quia sola cavere potest ab insidiis furan-
tium. Vigilant quidem & oculi cor-
poris , sæpiusque magnam utilitatem
affert cum somno non clauduntur ; sed
hoc latronum genus qui non videntur
sed intelliguntur , ab animâ tantùm vi-
gilante deprehenditur. Unde hoc *animæ*
proprium munus est *custodire testimo-
nia tua.*

Et dilexit ea vehementer. O vim chari-
tatis admirabilem , & semper necessa-
riam , sive certanti ut vincat , sive expe-
ctanti ut fruatur , sive custodienti ut

tuta sit. Hoc certum, Domine; tu es vita animæ meæ; & si recedas, moritur in quâlibet vitæ abundantia; & si advenias, vivit in quocumque mortis excessu: quia non magis tenebræ pati possunt adventum solis, quàm mors ipsa adventum vitæ. Dilige ergo, anima mea, Deum tuum vitam tuam. Dilige mandata quæ præcipit quem diligis. Dilige, & custodi. Non sufficit custodire nisi diligas: imo nisi diligeres non custodires.

Nonne, Domine, ut hoc nos doceres, voluisti ut Propheta tuus, postquam jam dixerat se testimonia tua custodisse, & hoc statim adderet, vehementi illa amore complexum; atque ita nobis constaret, non satis esse servari alia omnia mandata, nisi primum omnium mandatorum servaretur. *Quia pro testimoniis tuis, etiam flammis concremari, sine charitate nihil prodest, ideo addidit; Et dilexi ea vehementer.* En cum strenuitate custodiæ validam dilectionem apposuit, ut nullum omnino mandatum præteriremus tantâ autoritate impulsî ad obediendum, & tantâ charitate inflammati ad diligendum, ut & ipsi dicamus: *Custodivit anima mea testimonia tua, & dilexit ea vehementer.*



ψ. 168. *Servavi mandata tua, & testimonia tua; quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.*

PRÆCEPISTI ut custodirentur mandata tua, quia justus es. Sed & hoc nos doceri voluisti, quomodo servarentur, quia bonus es. Postquam jam hoc afferuerat, se custodisse testimonia, iterum confirmat ea à se servari, quæ non tam verborum, quam amoris repetitio est. Iterum ergo atque iterum dicatur; *custodivi & servavi*; ut semper dicatur & semper fiat. Quid utilius dici potest, quàm per quod vivimus? quid honestius fieri, quàm quod nos amanti amantes conjungit ad securitatem & gloriam.

Bis hoc dixit Propheta, ut ostenderet quam necessarium sit, & ipsa repetitione bonitatem Dei commendaret, & nos impleret gaudio ipsâ commemoratione foelicitatis nostræ. Aut fortasse hæc verba sunt gratias agentis, quæ nunquam semel agendæ sunt.

Custodivi testimonia tua, & servavi mandata tua & testimonia tua. Et rectè distinguit; quia etsi eadem esse possint, testimonia magis ad meditandum pertinent, ut mandata ad agendum. Et utrumque necessarium est; quia æquum est id co-

gitari quod locuta est veritas, & fieri quod jussit charitas.

Docet nos ergo, Domine, quomodo hæc sive testimonia sive mandata servaverit : *quia omnes via mea in conspectu tuo.* Intuebatur te oculis fidei coram præsentem, implebatur luce tuâ in ipso fonte lucis, unde satiaretur & non erraret. Facilè illi erat non fitire lutum, cum os apertum & velut inhians haberet ad hunc fontem limpidissimum aquæ salientis in vitam æternam. Quid aliud videat, Domine, qui videt te; aut quid aliud cupiat, qui se videri à te intelligit?

O! si nos tandem foeditatem nostram erubesceremus, apertam oculis tuis; & cum nos à nemine conspici nobis videmur, in medio sole versari crederemus, & sole justitiæ etiam lucente in tenebris nostris, quarum deformitatem exponit nondum oculis hominum, sed jam oculis Angelorum. Adjuva me, Domine, & absconde me. Nudus sum, & me intueris. Non video, & videor. Quædam velut folia occupationum & curarum mearum, mihi aspectum eripiunt, & claudunt oculos meos, sed non claudunt tuos. Quid absconderet me penetrantibus radiis lucis infinitæ mundum transgredientis, & quæ mihi ipsi interior est me ipso?

SOLILOQUIA. *Principes.* 417

Ecce ebrii more non imprimo certa vestigia : in utramque partem propendentis diversis erroribus titubantes gressus & ancipites labuntur, & tu intentissimus non attendenti *dinumeras omnes gressus meos*. Quæ ergo superesset spes, nisi mi-
fereris, & jam adjuvares me, ut *omnes via mea in conspectu tuo* dirigerentur ? Job. 41.
16.

ψ. 169. *Appropinquet deprecatio mea in conspectu tuo, Domine; juxta eloquium tuum da mihi intellectum.*

NON miror, Domine, si tam frigida sit oratio, & se oranti velut nubes opponat cogitationum & curarum inutilium. Non paravi cor meum; unde oratio mea quædam tentatio est, quâ iram tuam magis provocare possim quàm sedare. Ecce Propheta servat mandata, diligit, ambulat in conspectu tuo, & sic accedit ad orandum. Ego vero nec servatis mandatis, nec adhibitâ peccato pœnitentiâ, sequens cor meum, & ambulans in viis meis, non te diligens sed mihi placens, spiritum tuum interpellantem gemitibus inenarrabilibus, temeritate magis quam spe adepturum me confido.

Justus es, Domine. Quomodo audires

orantem , qui ne quidem seipsum au-
 diat ? Quomodo *appropinquaret deprecatio mea* , tanto non locorum sed affe-
 ctuum intervallo disjuncta à throno mi-
 sericordiæ tuæ ? Da mihi , Domine ,
 imitari prodigum , ante surgentem quàm
 orantem , & euntem ad patrem ut con-
 fiteretur illi peccatum suum. An ille
 oraret patrem , cum pasceret porcos ?
 Miserere , Domine , stupiditatis & a-
 mentiaë meæ. Nonne si orare velim ho-
 minem potentem , illum prius conve-
 nio ? Si nescio ubi habitet , locum dili-
 genter interrogo , vestem muto ne offen-
 dat si sit sordidior ; quo possum adhibi-
 to ornatu adeo ad ejus ædes , rogo do-
 mesticos ut liceat convenire & alloqui.
 Si non adsit , aut non vacet , sæpius do-
 mum repeto , redduntur familiares do-
 mestici , si aliâ re non possim , saltem
 humilitate & omni obsequio. Tandem
 nactus opportunitatem , quæ non se of-
 ferret nisi præsentem cum se dat in con-
 spectum & copiam sui facit , accedo sup-
 plex , nil moratus : & quâ non utor cor-
 poris inclinatione & humilitate verbo-
 rum ! Si aliquod jam beneficium tri-
 buerat , gratias ago , vix audeo petere ,
 & me indignum tali gratiâ profiteor ,
 sed ipsa necessitate , & ejus magnificen-
 tiâ , & perspectâ jam mihi bonitate

Basilus.

SOLILOQUIA. *Principes.* 419
impelli ad petendum. Si verò jubet ut
redeam, quamvis non annuat, id verò
quàm gratanter accipio!

Miserere nostri, Domine. Cur in
negotiiis quæ nugæ sunt prudentes su-
mus, & in tam magno salutis negotio
imprudentes? Cur non similis cura est
ut *appropinquet tibi deprecatio mea?* Cur
non desero me, & quidquid meum est,
ut ad te accedam? Cur non studeo pla-
cere Domino meo, oraturus Dominum
meum? Cur non medo in conspectum tuum,
nec videre jam volens nec videri? Cur
non ambulo in viis tuis, in quibus tan-
tùm inveniris? Cur alia adhuc cogitan-
tur? Qui quærit charitatem, nil aliud
meditetur quàm veritatem.

*Domine, juxta eloquium tuum da mihi
intellectum.* Nutriatur verbis tuis cor
meum, ut igne tuo ardeat. *Ut concalescat* Ps. 38. 4.
cor meum intra me, ab externis avocetur.
Ideò non appropinquat oratio, quia cor
ad quod orare pertinet, longè est à te.
Ideò defunt ferventia desideria, quia
defunt piæ cogitationes. Da mihi intel-
lectum ad meditandum, ut cor excite-
tur ad orandum.



ψ. 170. *Intret postulatio mea in conspectu tuo, secundum eloquium tuum eripe me.*

NON tu dees oranti, Domine, sed ille tibi deest. Si appropinquaremus, & intraremus; sed nec intrare volumus. Si nobis aperires cor nostrum, hoc ipsi agnosceremus, non te à nobis sed alia desiderari: ideò igitur à conspectu tuo removentur verba orantium, quia ipsi se removent. Subtrahimus nos, non tu subtraheris. Mundum sit cor, & videt te. Incipiat mundari, & incipies videri. Da nobis ergo, Domine, verum tui ipsius desiderium, ut *intret postulatio nostra in conspectu tuo*. Nihil aliud velimus, Domine, ut intrare velimus in hoc sponsi cubiculum, in quo uno quiescitur.

Ut non uno die corpus adolescit, ita neque cor. Suas etiam patitur ætates vita hominis interioris. Nec aves momento volant, quæ natæ sunt ad volandum; nidus necessarius volaturis. In eo formantur alæ, & sæpè inutili conatu explicantur ante volatum: sed neque hoc inutile, ut firmitatem paulatim contrahant, & assuescant aëri quo sustinebuntur. Suis ergo velut gradibus
feratur

feratur oratio; & adhibitâ vitæ mutatione quâ levare possit, suo ipsa utatur præsidio, & nihil magis oremus quam ut oremus. Qui hoc multum non cupit, non assequitur.

Hoc nos docuisti, Domine, cum audivimus Prophetam hoc primum à te postulantem, ut appropinquaret oratio ejus, postulaturum postea ut intraret. Ecce, Domine, si postquam hoc concesseras ut appropinquaret, hac proximitate contentus non curasset amplius, quomodo intraret uberiori profectu; quantum damnum passus fuisset, tum orationis ipsius, tum omnium virtutum? quo enim firmior oratio, & humili fiducia audentior, perfectiores quoque virtutes subsequuntur. Ergo semper orandum; & cum exaudis, hoc misericordiae tuæ incremento statim utendum est ad profectum orationis.

Habemus hîc exemplum quod sequamur. Statim ac appropinquavit, statim petiit ut intraret, & non dubito quin ampliorem ingressum optaret, cum primum intravit. Hoc nobis, Domine, largire orandi desiderium quod semper augeatur; ut oratio ferventior majorem charitatem obtineat, & ipsa adhuc amplioribus votis extensa refundatur in sinum tuum. Appropinquemus placendo

tibi, & omni virtutum genere, ut intremus orando.

Fortè, Domine, cum videmur à te recedere ut fratrum utilitati consulamus, tunc magis minuitur intervallum quo disjungimur, & appropinquamus, ardentius postmodum oraturi: majori enim profectu repetitur oratio quæ sibi anteposuit charitatem, quia ipsa est quæ intromittit in cubiculum Regis.

Omnis ergo hæc vita nostra sit; eò tendat omne studium omnisque conatus, ut appropinquemus & intremus. Intrabit oratio coram te, si intrem ipse in cubiculum meum, clausis ostiis omnium sensuum quæ me avocant à conspectu tuo. Intrabit illa, si intrem ipse in gaudium Domini mei, nullo mundi amore & desiderio ab amoris tui deliciis prohibitus.

Sed quia spiritus promptus & caro infirma est, intret prior illa in conspectu tuo, quæ tota à spiritu tuo est, si aliquid est; ut me in ipso aditu hærentem attrahat impetu quodam charitatis omnem naturæ tarditatem superantis. Ita eripies me non tantùm à peccatorum meorum nexibus, quorum pondere deprimor, sed ab ipsis etiam sensuum impedimentis, quorum strepitu & inanibus simulacris perturbor.

Ψ. 171. *Eructabunt labia mea hymnum ; cum docueris me justificationes tuas.*

CERTUM est intrasse jam Prophetam, cujus labia hymnum eructant. Qui sic laudat, ingressus est : nec de coelestis cibi abundantia dubitare possumus, cum videmus eructantem. Sed hunc charitatis ructum dilecto fruentis, ille tantum intelligit qui eodem cibo meretur impleri. Doce nos aliquid, Domine, quod ad vivendum valere possit, etsi non ad ructandum. Odore saltem reficiamur ructus coelestis, quo sanetur anima nostra.

Nonne, Domine, ut parvulus labiis fugens velut manu mulget lac matris : ita & pueri tui, charitate quidem adulti, sed humilitate parvuli, sua habent labia quibus velut sugentibus lacte tuo impleantur ut vivat cor eorum. Nonne illi cogitando lacte veritatis, & amando lacte charitatis implentur, ut confiteantur tibi misericordias tuas. Et hæc confessio eorum, si quid inde audimus, ructus est satietatis coelestis, quâ major quædam fames accenditur.

Utinam, Domine, aliquando intelligerem hymnum illum veritatis in silen-

tio cordis mei, quod non audiunt qui loquuntur, aut qui aliud audiunt. Utinam luce hac ampliori veritatis ita perfunderemur, ut neque nos neque alia videremus, sed ipsa tantum videretur, & sanaret nos. Utinam audirem quid cantet veritas cum sola cantat, & jam ardentior nil pati potest præter dilectum cui conjungitur. Nescio quid sint hæc. Frustra eructantem Prophetam audio, quia non eructat intelligenti, & nobis perit pretiosus ille ructus, quo forsan salvaremur.

Non sum dignus, Domine, cibo illo cœlesti, quamvis Corpus tuum in cibum animæ largiaris, & non magis merenti. Nimium est mihi tam parvulo, aut potius tam superbo, intelligere de ructu; sed *doce me justificationes tuas* quibus hoc affectus est ut ructaret. Noli tribuere ructum hunc, avido sagine mortalis, & adhuc cogitanti allia & porros quibus implentur Ægyptii: sed largire humilitatem & charitatem, quibus fiat ut nihil simile cogitemus. Subjiciam me æquitati judicantis; & justitia mea sit venerari & amare justitiam judicis mei. Oderim meam, Domine, quâ pereo & superbus sum. Quid mihi cum justitiâ faciente injustos & damnante?

Da mihi justitiam, Domine, sed salvantem, sed tuam. Doce me odio habere quidquid sum cum solus sum & sine te, ut amem quidquid es & quidquid jubes. Hæc *justificatio tua*, ut agnoscam me, & confitear indignum misericordiâ salvantis, quia *malum coram te feci, & in peccatis concepit me mater mea.* Hæc justificatio; quia hæc via justitiæ, ut agnoscamus iniquitatem, & ipse largiaris justitiam, ad quam nemo nisi humilitate pervenire potest. Si non vera sit, nec vera justitia est. Hoc me doce. Hoc largire quod vita est, & quod necessarium ad superiora tendenti; ructum verò, ut placuerit, & quibus volueris, largieris.

ψ. 172. *Pronuntiabit lingua mea eloquium tuum; quia omnia mandata tua æquitas.*

NON tantùm anima, Domine, fruatur veritate, cogitando & amando; sed quia *veritas de terrâ orta est*, usque ad terram etiam transmittatur. Quia *Verbum caro factum est*, caro ipsa sit particeps Verbi, & os meum confiteatur mirabilia legis tuæ. *Pronuntiabit lingua mea eloquium tuum.*

Multi sunt enim, Domine, qui si

paulo faciliùs aliquid meditentur & cogitent, quasi loquerentur linguâ Angelorum, dedignantur loqui jam linguâ hominum, ut illo abreptis æstu meditationum suarum, omnis alia ratio contemnatur, quæ linguæ officium & usum adhibeat. Humilior Propheta, qui post tam sublimem meditationis raptum & contemplationis delicias, ad consuetas linguæ ipsius preces revertitur, & eâ gaudens utitur ad benedicendum tibi.

Pronuntiabit lingua mea eloquium tuum.

Quid enim melius lingua præstare potest, quàm ut loquatur te? Quid justius, quàm ut narret laudes tuas, quæ narrandis hominum laudibus occupata est? Cur hoc illi remedium negaretur, quo sanari potest? Quidquid illi adhæsit ex mendacio & mundi iniquatione, verbo veritatis eluatur. Benedicat tibi, quæ aliquando maledixit. Verba otiosa & inutilia, verbis tam utilibus & necessariis redimantur. Domine, *pronuntiet lingua mea eloquium tuum*, ut non excludatur à regno tuo; & ipsa beata sit, hac vicinitate verborum appropinquans verbo.

Omnia mandata tua equitas. Justitiam tuam loquatur, ut justa sit. Usus verborum illi tribuisti: & artem admirabilem à te didicisti quâ hominum socie-

SOLILOQUIA. *Principes.* 427
tas inter se jungeretur. Ipsa interpres
tua est, & quod uni intus loqueris, fo-
ris omnibus loquitur; verbis tuis eos
adhibet articulationis suæ fonos, qui-
bus intelligantur. Aliorum saluti infer-
vit prædicando, nostræ etiam infervit
orando, annuntiatrice Evangelii, & lau-
datrice Crucis. Nonne eâ usus es ad con-
vertendum orbem terrarum? Nonne eâ
utitur sponsa tua ad partum & educa-
tionem filiorum tuorum?

Reddatur ergo tibi quæ tot nominibus
tua est, & *pronuntiet lingua mea eloquium
tuum*; sed ita pronuntiet, ut quæ ver-
bum Dei locuta est, non loquatur am-
plius verba hominum. Timeat ab otioso
verbo, quæ verba salvantia locuta est.
Otiosum verbum est, loqui opera hominum; ta-
ceat hominibus, ut loquatur tibi. *Non
mediocre periculum est, si cum habeamus tot
eloquia tua, Domine, & opera tua in Gene-
si, in Exodo, Levitico, Numeris, Deute-
ronomio, &c. in Evangelio, in Actibus Apo-
stolorum, & tot aliis Scripturarum tua-
rum libris utriusque Testamenti, illis
prætermittis, quæ sæculi sunt loquere-
mur & audiremus.*



Ÿ. 173. *Fiat manus tua ut salvet me ; quoniam mandata tua elegi.*

August.
hic.

CUM dono tuo pronuntiaverit lingua mea eloquium tuum , si quid inde accidere possit molestius , non reformidem ; sed timor hominum Dei amore comprimatur. *Fiat manus tua ut salvet me.* Infundatur amor , & cesset timor. Tunc enim salvas , si amaris. Tunc verò amaris , cum mundus contemnitur. Amorem Omnipotentis non capit indignitas hominum vel abjecta quæque mancipia timentium. *Hoc unum ergo timeam , ne aliquid timeam* , quod tuâ causâ non timeatur. Majestas verbi tui , sit securitas annuntiantis.

Grego.
Nazian.

Sed & aliud est quod me ad hoc salutis votum impellat. Non tantùm miserum , sed & indecorum est , perire prædicatorem verbi , quo salvari debent qui audiunt. Ecce , Domine , verbum salutis tuæ in ore meo est. *Fiat ergo manus tua ut salvet me.* Veritas tua quâ liberamur sit salus dicentis , ut etiam juvetur exemplo salus audientis. Quo genere orationis petam à Domino meo salutem aliorum , si me eâdem salute indignum exhibuerim. *Fiat manus tua ut salvet me.*

Verbo creatus est mundus , sed ut

salvetur tot peccatorum reus , necessaria etiam manus salvantis. Manum hanc auxiliatricem quæro , quocumque modo eam extendere placuerit in salutem pereuntis. Sive Angelos adhibere volueris ministros salutis nostræ , sive membrorum tuorum cœlesti calore uti malueris , ut salvetur membrum suo alioquin frigore periturum ; sive magis placuerit salvare per teipsum , ut magis in misericordiâ salvantis acquiescam , *Fiat manus tua ut salvet me.*

Tu manus Patris. Ut me hâc manu S. Hilar. salvet , & teipsum mihi largiatur , magnum est votum membri tui , sed necessarium. Unum te quæro , Domine , & unum hoc piè quærenti sufficit. Nunquam te frustra quærit , qui semper quærit. *Vim quero salvantis.* Vitam peto Theod. morti obnoxius. Divitias petentem ne audias : sed contentum salute tuâ ne asperneris. Cum salutem quæro , unus quæreris. *Cum enim te fruor , tunc salvus* Chryso. *sum.*

Fiat manus tua ut salvet me , quoniam mandata tua elegi. Neque enim salus esse potest aliud eligenti. Non salvamur , si non amemus salvantem. Sed si amemus , dubium non est quin eligamus quem diligimus. Cum eligit qui diligit , quid aliud sequeretur quàm votum suum ?

430 PIA IN PSAL. CXVIII.
non eligit nisi amor. Non ergo eligitur
nisi quod amatur.

Tantum me salvari credam, Domine,
si te amaverim. Nolo aliam salutem:
nec mihi alia fiducia sit. Tu me amasti,
me & elegisti. Amem eligentem. Eli-
gam amantem; ut verè dicere possim
aliquando: *Salvasti me, quoniam mandata
tua elegi.*

†. 174 *Concupivi salutare tuum
Domine; & lex tua meditatio
mea est.*

NON mihi satis sit, Domine,
thesaurum meum tam ingentem
comparasse *mandata tua eligendo*, nisi il-
lum possedero. Elegi Dominum meum
ad beatitudinem; fruor Domino meo
ut beatus sim. Non enim qui eligunt,
sed qui fruuntur, beati. Tu ipse Do-
mine, thesaurus meus, quia divi-
tem reddis; salus mea, quia redi-
mis; & vita mea, quia facis ut vivam
& de te vivam. Quare ergo morior,
Domine; & cur miser, cum sit mihi
vita tam beata.

O me dementem, qui volens desero
vitam meam! Quis me ferat, aman-
tem mortem tam crudelem ad morien-
dum, & non amantem vitam tam bea-

S O L I L O Q U I A. Principes. 431
tam ad vivendum? Sufficit mihi ad vitam plenissimam omnibus bonis, optare vitam. Nihil aliud optem, Domine. *Concupiscam salutare tuum*, & toto corde concupiscenti alia quælibet desideria finiantur. Cogitem Deum meum, & nulla intromittatur cogitatio quæ non legis tuæ sit.

Inimicus licet ad impugnandum tam pertinax, quid nocebit cogitanti veritatem, & nihil amanti quod non æternum est? Evehat me, Domine, supra mortalia hæc amor & meditatio veritatis, & velut duabus alis istis, quæ Angelorum sunt, sublato in altum, relinquuntur sensus hærentes in infimis, aut saltem contemnantur. Charitas & veritas bonum meum. Nihil aliud amem, & nihil aliud norim. Tantùm infœlices sumus amore nostro qui veriùs odium est, & cognitione nostrâ quæ veriùs error est.

Nimirùm creatis ad cognoscendum te & amandum, alia quævis scientia ut alius quivis amor, miseriam augere potest, non levare. Impunè occupari non potest thronus Dei mei in corde meo. Possum quidem te excludere quia liber, & nondum plenè liber. Sed si excludam, necesse est esse miserum, quia justus es. Solus bonus es. Nemo ergo te deserit, & bonus est. Sed ut non deseram, *Concu-*

piscam salutare tuum , Domine , & lex tua meditatio mea sit.

Necessaria amoris meditatio ; sed non minus necessarius amor meditati. Non invertam ordinem spiritus tui quem hic præscribis. Antecedat charitas fons & origo desideriorum cœlestium , sequaturque meditatio. Amor ducat ad meditandum , aut meditetur ipse. Quàm infœlix qui meditatur quod non amat , nisi saltem amare voluerit.

Totus sim in meditando legem Domini mei , quia amo , vel ut amem , & magis amem. Meditatio , securitas amoris ; quâ repelluntur ea undè intepuisset , & ligna in altari componuntur. Sed amor , fœlicitas meditantis. Optem meditando , aut meditaturus. Mediter optando , aut saltem optaturus ; ut *habeam partem in verbo hoc ; Concupivi salutare tuum , Domine , & lex tua meditatio mea est.*

ψ. 175. Vivet anima mea & laudabit te ; & judicia tua adjuvabunt me.

BENEDICTUS sit Dominus meus , qui voluit me legem suam meditari ut viverem. O fœlix *præmium meditationis* mortem prohibentis. Vivebat qui

SOLILOQUIA. *Principes.* 433.

dem jam corpus , sed absit ut peccatorem vivere arbitrer. Nativitas mortalis , non *vita causa* sed mortis est. Illa vera vita est quæ tua est , quam largiris meditantibus legem tuam. Idem:*

Vivet anima mea. Optima propositio. Quid enim melius tali vitâ ? Ut anima mea vita est corporis mei , ita Deus sit vita animæ meæ. Sit mihi fons vitæ , ipsa vita. Anima mea non est vita , & tamen ex eâ vivit corpus meum : quantò magis anima ipsa vivet ex Deo , qui vita est ? Hoc spes mea loquatur ; sit hoc votum cordis mei , & nihil aliud cupiam , quàm ut vivat anima mea. Reliqua omnia contemnantur ; sola vita quæretur , quæ vera est. Vita ipsa quâ vivitur in hoc mundo , & quæ corpori propria est , non ametur , ut certius vivatur.

Vivet anima mea , & laudabit te. Et hoc rectè. Nam ut credo me non mortuum , quia vivo ; ita & credam me vivere , quia laudo. Non vivit qui non laudat Dominum meum. *A mortuo enim , quasi nihil , perit confessio.* Eccli. 17.
26. Prorsus vivo si laudo. Prorsus non vivo si non laudo. Laus Dei mei , opus vitæ ejus. Nec inveniri potest in mortuis , nec à viventibus separari.

Ingrati non vivunt , & ideò non lau-

434. PIA IN PSAL. CXVIII.

dant. Qui vivunt amant, & ideò laudant. Ut cor, ita & os ipsum servit amori. Quid enim amatori vitæ ad loquendum facilius & foelicius, quam per quod vivit? Tam facilem nobis vitam præstitisti, Deus meus, ut satis sit ad vitam laudare vitam. *Propè est verbum in ore meo*, & sufficit si fuerit etiam in corde meo. Justificamur ex ore nostro, cum loquimur justitias tuas. Narrant filii hominum opera hominum, & moriuntur. Narrant filii Dei opera Dei, & vivunt.

Ita sit, Domine. Lingua nostra loquatur laudes tuas, quia vivit, & ut vivat. Laus tua in ore nostro, sit signum vitæ, quia mortui non laudant: sed sit etiam causa vitæ, quia nullâ re securius vivitur, quàm laude amoris. Augetur amor laude ipsa amantis, ut magis amet qui laudaverit, & iterum magis amando magis laudet.

Vivet anima mea, & laudabit te. Oblivisceretur vitæ suæ, si non laudaret; & ideò nec viveret. Vivit ergo quia non obliviscitur, & ideò laudat quia vivit. Cum vita perficitur, perficitur & laus; iisdem utraque gradibus crescit: & cum vita sit æterna, laus quoque ipsa æterna est. Nec laus ergo sine vita, nec vita sine laude est. *Vivet anima mea, & laudabit te.*

Et judicia tua adjuvabunt me. Cum iudex in tribunali sedes, & jam judicas fi-

S O L I L O Q U I A. Principes. 435
lios hominum, dolent qui non amant, sed gaudent qui amant te. Judicia tua dura queruntur ingrati, quæ lenissima videntur & æquissima amantibus. Judicium quod hic pronuntias, initium poenæ æternæ non amanti; sed amantibus, gloria, & foelicitatis initium est.

Inde juvantur, & beatos se credunt, qui puniuntur ne puniantur. Amant poenas suas, quarum levi sensu & brevis temporis, à poenis liberantur æternis. Sed & eas amant, quia te amant. Poena non dulcis; sed ab eo puniri qui amet nos & quem amemus, id verò dulce est. Inde liberor; inde proficio; inde gaudeo. Ergo *judicia tua adjuvabunt me. Amen.*

ψ. 176. Erravi sicut ovis quæ periit: quære servum tuum; quia mandata tua non sum oblitus.

QU I D à me dici poterat aut certius ad veritatem, aut securius ad veniam? Da mihi, Domine, spiritum veritatis tuæ, ut detester hodie coram te mendacium meum. *Erravi, & in peccatis concepit me mater mea.* Tu quidem bonus, qui voluisti ut nascerer, & hoc magnum opus misericordiæ Domini mei: sed ego malus, qui natus sum, quia jam conceptus, & ideò reus ma-

436 P I A I N P S A L. CXVIII.

August.

gni illius peccati, *quo natura hominis vitiata est* in ipso ortu, nullo defectu creantis, sed culpâ nascentis, quod non quidem in se, sed jam in patre peccaverit.

Ignovisti, Domine, peccatum hoc, quod justè in tot parvulis sine Baptismo tuo pereuntibus non ignoscis. Utinam, Domine, primum illum errorem non cumulasssem aliis pejoribus, spontè peccando. Ablatus morbus; sed relictâ infirmitate quæ admoneret humilitatis, & adhuc superbus sum.

Quod verbo dixi, tota vita est nil aliud quàm peccantis, cum non subvenis. Quod paucis syllabis complexus sum, nec à me dici potest; & volenti commemorare omnia, plura necessariò relinquerentur. O Domine, quàm latè patet istud *Erravi!* Utinam, Domine, sæpè illud usurpem coram te in amaritudine animæ meæ.

Confitear Domino alium errorem meum qui mihi multùm timendus est. Utinam, Domine, hoc ipsum loquendo non erraverim. Digna vox

Pf. 115.

Prophetæ tui: *Credidi, propter quod locutus sum.* Heu me miserum! *Erravi* fortè, & nimis verum est, quia non credidi & locutus sum. Certè poenitenti fides imperabat silentium, & tu terribiliter hoc intonas superbis: *Quare tu enar-*

Pf. 49.
16.

TAS

SOLILOQUIA. *Principes* 437
ras justitias meas? Audivi, & timui. Ergo
& ipse *erravi* loquendo, qui tacere debue-
ram, ut securius *exultarent ossa humiliata.*

Erravi sicut ovis. Væ non tantùm erran-
ti, sed etiam ita erranti. O ingratum!
Non errare oportebat sicut ovem, quem
tu, Domine, errantem redemeris sicut
ovis quæ coram tondente non aperuit os
suum. En fidelitatem imitantis. In ove
quæ mihi Dominum meum exhibere de-
bet, nil aliud magis placuit quàm stulti-
tia pereuntis exemplo præeuntium, &
sequentis ad lanienam, ideòque erran-
tis. Hoc unum imitari non debui, &
hoc unum imitatus sum, exemplis gau-
dens excusantibus, & latere quærens in
multitudine peccantium.

Ita *erravi* sæpius, sed *tti quære* erran-
tem ut revertar; quære non errantem,
ut occupet poenitentia lapsum si abesses
certò secuturum. Cum non quæris, erro:
quære ergo, ut non errem. Quære obli-
viscentem mandatorum tuorum, ut sal-
ves poenitentem. Quære non oblitum,
ut salves innocentem, & laudem salvan-
tem duplicis misericordiæ dono, quia
non oblitus sim, & quia laudavi. Sed si-
ve errantem, si ve non errantem, quære
me; aut pereo, non quæsitus, & non
quærens.

F I N I S.

V.

Errata sic corrige.

- P** *Ag. 33, lineâ 1, lege tuis,*
P. 45, l. 25, leg. Domine ;
P. 47. l. antep. leg. vivimus ut
P. 59, l. ult. leg. ne moriar
P. 69, l. 5, leg. tuam,
P. 73, l. 19. leg. Domine. Mirabiles
P. 77, l. 11, leg. non hoc postulat
P. 80, l. 28, leg. Hic fit
P. 83, l. 8, leg. quærentem. Omnia
P. 112, l. 23, leg. usus inolefcit
P. 119, l. ult. leg. potentius
P. 129, l. 15, leg. cum, carne
P. 122, l. 6, leg. subjeceres
P. 143, l. 12, leg. queant.
P. 223, l. 25, leg. ad patiendum ;
P. 344, l. 9, dele suos.
P. 347, l. 26, leg. frænatur concupifcentia,
P. 368, l. 5, leg. oculi mei
P. 286, l. 18, leg. oratio, fit & mea.
P. 388, l. 16, leg. Cur ergo

ORATIONES



ORATIONES DIVERSÆ

CHRISTIANI CORDIS GEMITUS
& desideria referentes ; Scripturæ
sacræ , Sanctorumque Patrum ver-
bis contextæ.

ANTE ORATIONEM PRÆPARA
animam tuam. *Eccli. 18. 23.*

Domine , doce nos orare. Luc. 11. 1.

AD te , Domine , perveniat oratio mea ,
ex desiderio æternorum bonorum excussa
& jaculata. Adjuva eam ut perveniat ,
ne deficiat in itinere medio , & quasi col-
lapsa corruat. Fac ut ipse orando non deficiam , eo
quod cito non exaudis. Nam etsi nondum eveniunt
bona quæ postulo , securus tamen sum , quia postea
cum scœnore venient : scio enim cui credidi. Novî
quia fidelis es omnibus invocantibus te , & dives
sperantibus in te.

Ad postulandum à Deo Spiritum sanctum.

Emitte Spiritum tuum &c. Ps. 103. 30.

DOMINE,*qui dixisti per Filium tuum : ***Quan-
to magis Pater vester dabit spiritum bonum pe-
tentibus se : etiam , Domine , da nobis spiritum
tuum optimum & lumen ejus indeficiens adversus
tenebras spiritus nostri & infirmitates pessimas &
perseverantes. Da nobis spiritum duplicem , illumi-
nantem intellectum , & inflammantem affectum ;*

*Tota ex S. Scrip. & SS. Patribus. **Luc. 11. 13.

Da nobis spiritum renovantem nos & cor mundum creantem in nobis, ad intelligendum & amandum & laudandum; ut ubi abundavit peccatum, ibi abundet gratia in laudem gloriæ gratiæ tuæ. Da nobis spiritum veritatis quem mundus accipere non potest, & quem mundus auferre non possit; ut digna verbo negotia gerentes, vivamus jugiter in conspectu tuo intelligentiâ veritatis internæ, intelligentiâ gratiæ christianæ.

Da nobis spiritum charitatis & humilitatis, ut nunquam deseramus viam veritatis, sed simus semper cooperatores ejus & coadjutores vitæ. Da nobis spiritum prævenientem nos in benedictionibus dulcedinis, spiritum adjuvantem nos in benedictionibus altitudinis, spiritum consummantem nos in benedictionibus plenitudinis. Da nobis spiritum timoris tui, quo ad te impellamur efficaciter; spiritum pietatis, quo attrahamur suaviter; spiritum scientiæ, quo instruamur vitaliter; spiritum fortitudinis, quo erigamur humiliter; spiritum consilii, quo meliora charismata, & voluntatem Dei bonam, beneplacentem & perfectam æmulemur utiliter, ad ædificationem Ecclesiæ quærentes ut abundemus magis; spiritum intellectus & sapientiæ, quo torrente voluptatis tuæ, torrente veritatis & charitatis inebriemur abundanter; ut pestiferam dulcedinem vitiorum jucunditas spiritualis unctionis excludat, & cœlestibus deliciis imbutos tristitia vel delectatio terrena non tangat.

Da nobis spiritum fidei, ut vivamus ex fide, contemplantes non quæ videntur, sed quæ non videntur; spiritum lenitatis, qui extinguat iram, & perficiat justitiam, ut instructi omni scientiâ, possimus monere alterutrum; spiritum sustentantem infirmitatem, ut virtus tua in infirmitate nostrâ perficiatur; spiritum concupiscentem adversus carnem, ut nunquam faciamus voluntatem carnis & cogitationum, ut non quæcumque volumus, illa

Faciamus ; spiritum testimonium reddentem spiritui nostro quod sumus filii Dei , ut sciamus quæcumque donata sunt nobis , & non simus nostri , gratias agentes tibi semper in omnibus & pro omnibus ; spiritum clarificantem te & Filium tuum , ut quodcumque agimus in verbo & in opere , omnia ad laudem & gloriam nominis tui faciamus ; spiritum postulantem pro sanctis , & interpellantem gemitibus inenarrabilibus , ut solliciti simus pro invicem in orationibus , orantes pro invicem , ut salvemur.

Da nobis spiritum docentem nos omnem veritatem , & suggerentem nobis omnia quæcumque dicta sunt nobis , ut simus docibiles tui , & non ultra avolare facias à nobis doctorem nostrum , sed sint oculi nostri videntes præceptorem nostrum , & aures nostræ audiant verbum post tergum monentis : Hæc est via , ambulate in eâ ; spiritum testificantem quoniam Jesus Christus est veritas , ut simus testes in Christo fideles secundum testimonium Israël , ad confitendum iniquitates nostras & gloriam magnificentiæ regni tui ; spiritum per singulos gradus pronuntiantem illum , & quasi principi offerentem illum , ut nunquam in conspectu tuo vacui appareamus ; spiritum quærentem faciē tuam semper , ut ambulemus , stemus , & habitemus coram te in conspectu tuo , providentes te in omnibus viis nostris , ut vincamus adversarios nostros præsentia tuâ magnificè delectati. Per Christum Dominum nostrum.

Ad postulandum à Deo ut creet in nobis novum hominem , detque nobis arma lucis , quibus vincamus inimicum.

DA nobis , Domine , memoriam æternorum semper recordantem :

Mentem puram , & lucentem ex consortio sermonis Domini :

Cogitationes sanctas , quibus charitas nutriatur & conservetur :

iv . O R A T I O N E S

Meditationem veritatis , ex ejusdem amore constantem & perpetuam :

Voluntatem rectam , & voluntati tuæ conformem :

Desideria , ex igne Cœli ardentia :

Fidem mundi contemptricem ; in paupertate , in contumeliis , in doloribus gloriantem :

Timorem præsentium quibus decipimur :

Spem æternorum quâ nobilitamur :

Timorem Dei omnibus sæculi malis & tentationibus potentiozem :

Charitatem fraternitatis patientem , quæ nullis vincatur injuriis :

Orationem nubes penetrantem :

Lacrymas salvatrices , quibus cor mutetur & laetetur :

Cor vigilans , sensibus perpetuâ mortificatione sopitis :

Cor contritum & humiliatum , quod nunquam erigatur :

Cor docile , quod semper erudiatur in plenitudinem scientiæ salutis :

Cor mundum , quod nunquam inquinetur :

Cor ardens , quod nunquam refrigescat :

Rationem fidei subditam :

Sensus subditos rationi :

Linguam innocentem , silentio & laudibus Dei honoratam :

Oculos castos , qui Cœlum magis quam terram noverint :

Odoratum , unguentorum tuorum odore affectum :

Aures non curiosas , clausas mundo & apertas verbo Dei :

Gustum christianum , cui deliciae fel sint , & fel deliciae :

Tactum mollitiei inimicum , ex perpetuo crucis contactu sanctificatum :

Ventrem parcum , & non repugnantem jejuniis :

D I V E R S Æ.

Renes præcinctos, & crucis mortificatione securos.

Manus non otiosas, laboris patientes, charitatis & obedientiæ ministras :

Genua ad orandum & adorandum semper flexibilia :

Pedes non inquietos, à mundo averfos, & in solitudine perseverantes :

Somnum necessitati tantùm & vigiliis servientem :

Vigilias amissi temporis compensatrices :

Tristitiam poenitentiae veræ, salutis operatricem :

Gaudium spiritus, quo vana mundi gaudia contemnantur :

Iram justitiæ famulantem :

Manuetudinem sapientiæ vincientis in bono malum :

Spei & timoris rationes mundo contrarias, quibus timeamus quod sperat, & speremus quod timet :

Omnes cordis affectus charitati servientes :

Humilitatem in charitate ita radicatum, ut quodlibet pondus, & cujuscumque dignitatis & gloriæ fastigium sustinere possit :

Mores ex perpetuo fidei influxu uniformes :

Dies plenos, quibus nihil desit quod nobis Christus suâ mortè comparavit :

Vitam, ut morituris sollicitam :

Mortem, ut victuris tranquillam & lætam.

Præcepta vitæ, in argumentum orandi.

DA mihi, Domine, ut hæc faciam, & vivam. Credam Evangelio firmiter. Sperem confidenter. Meipsum cum mundo timeam vehementer. Falsa mundi bona contemnā nobiliter. Bona æterna appetam insatiabiliter. Stet coram te perseveranter. Laudem te amanter. Antem ardenter. Adorem trementer. Orem ferventer. Gratias agam indefinenter. Vigilem prudenter. Abnegem me veraciter. Laborem diligenter. Taceam libenter. Loquar sa-

vj

ORATIONES

pienter. Cedam aliis reverenter. Omnia faciam obedienter. Obediam alacriter. Mea & aliorum onera feram patienter. Tentatori resistam constanter. Certem fortiter. Vincam humiliter. Vivam fideliter. Moriar lætanter. Amen.

Quid vis ut faciam tibi? Mat. 20. 32.

DOMINE, ut videam, quia cæcus sum, & lumen Cœli non video :

Ut te audiam, quia surdus sum, non habens aures audiendi :

Ut loquar, quia tibi mutus sum, & mundo loquax :

Ut curram in viâ tuâ, quia claudus sum :

Ut extendam manum, quia arida est ad benefaciendum :

Ut erigar, quia habeo spiritum infirmitatis, nec possum fursùm respicere :

Tangam te, Domine, ut stet fluxus lethalis sanguinis animæ meæ, quia non potui curari :

Ut surgam & ministrem tibi, quia jaceo, & te-
neor magnis febribus :

Ut sentiam & movear, quia paralyticus sum vitæ æternæ :

Ut liberer à pessimis spiritibus qui obsederunt me, & vim faciunt ut rapiant animam meam :

Ut sapiam, quia stultus sum, omnibus rebus utens ad exitium meum :

Ut non noceam conversantibus mecum, quia leprosus sum ; & ideo sana me :

Ut non sitiam, ut saner, quia hydropicus sum ardenti cupiditate pereuntium :

Ut vivam, quia mortuus sum, aut, nisi ad adiuvandum me festines, statim moriturus.

Adversùs distractiones.

DA mihi saltem , Domine , ut orem te cum oro te , nec tempus orationis sit tempus distractionis ; ne inde pejus ægrotem , unde sanari debueram.

Ad postulandum rectum passionum animi usum.

NON me delectet quod vetas ; nec me contristet quod jubes : sperem tantum quod promittis ; timeam tantum quod minaris ; nec malè irascar , nec malè mansuetus sim. Amem te , & quidquid tuum est : oderim me , & quidquid meum est , ut sim meus : æquum est enim , Domine , ut nec sibi vivat , qui tibi non vivit ; nec suus esse possit qui tuus esse noluerit.

Ad postulandas præcipuas virtutes.

PRÆCOR te , Domine , ut ad sis menti meæ suprema pax ; & eam spiritui meo spiritu tuo docilitatem omnis boni , facilitatem humilitatis , lucem veritatis , dulcedinem charitatis , pacem pietatis infundas , ut victor animi mei malim esse per modestiam , quam cujuslibet contradicentis per contentionem ; & vinci à veritate tam velim & merear , quam vincere per qualecunque mendacium odit anima mea.

DA nobis spem & consolationem pœnitentiæ ; rationem & orationem intelligentiæ ; sitim & sacrificium justitiæ ; modestiam & mansuetudinem sapientiæ ; continentiam & libertatem paupertatis ; silentium & humilitatem veritatis ; fortitudinem & patientiam charitatis ; per Christum &c.

DOMINE Jesu , Deus sapiens , fortis , fidelis ; & justus ; fac nos ex intelligentiâ & amore veritatis temperanter sapientes : ex gaudio & patien-

cientiâ eharitatis, humiliter fortes: in adimplentiônẽ
 omnis voluntatis tuæ, vigilanter fideles: in timore &
 pace humilitatis, mansuetè & constanter justos: af-
 picientes in Autorem fidei, nihil postulantes, nihil
 dicentes, sed audientes: Hæc à te passus sum. Hæc
 pro te passus sum. Hæc docui. Hæc promisi.

Vitæ christianæ compendium.

NOVERIM me, noverim te. Fugiam à me,
 & fugiam ad te. Et sufficiat mihi Dominus
 meus; nec timeam mala, quoniam tu mecum es.

Cor mundum crea in me, Deus. Ps. 50.

DOMINE, qui dixisti: Ad eum veniemus;
 & mansionem apud eum faciemus: quomodo
 fiet istud? Ecce enim vulpes foveas habent in corde
 meo, & volucres cœli nidos, & non possum abige-
 re eas, quia converti domum orationis tuæ in spe-
 luncam latronum. Sed tu, Domine, apud quem
 non est impossibile omne verbum, & cui facile est
 subito honestare pauperem, converte speluncam
 latronum in domum orationis; **Sanctifica sepulcrum
 hoc, & fac templum*; ut non sit amplius in intellectu
 meo spiritus mendax, & omnis similitudo reptilium
 & idolorum. Non sit in affectu spiritus infirmitatis,
 spiritus fornicationum, & omnis spiritus immundus.
 Sed cor mundum crea in me, Deus, ut oriatur in
 eo verbum veritatis, & simul diffundatur spiritus
 charitatis; ut renovati in agnitionem secundùm ima-
 ginem ejus qui creavit nos, corde mundo & fœcundo
 intelligentes & amantes & laudantes, ita adhærea-
 mus tibi, ut simus tecum unus atque idem spiritus,
 in laudem gloriæ gratiæ tuæ, qui vivis & regnas &c.

Clem. Alex.

Ad postulandam sensuum, mentis, & voluntatis rectitudinem.

LI B E R A corpus meum & sensus meos à tempestate corruptionis, tranquillitate mortificationis.

Libera intellectum meum à tenebris mendacii, & ab omni idolo & phantasmate vanitatis, luce tuæ veritatis.

Eripe voluntatem meam ab omni jugo iniquitatis, libertate charitatis.

Post sacræ Scripturæ, aut libri alicujus pii lectionem.

DO M I N E, qui me participem fecisti legis tuæ, ut licet indignus audirem verba quæ procedunt de ore Domini mei: da mihi iterum quod dedisti: dedisti litteram, da spiritum vivificantem, ne littera occidat incautum. Hoc verbum vitæ, quod mihi misericorditer largitus es per servos tuos, da memoriæ adversus errorem & mendacium: da voluntati & cordi meo adversus omnem iniquitatem; & nihil aliud volens quam quod jubes, utar verbis vitæ ad vivendum, & ad confitendum Domino meo quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus.

Mensa divitis, ex quâ pauperes nutriuntur; seu cibus animæ.

N O N in solo pane vivam, Domine, sed vivam in omni verbo quod procedit ab ore tuo: ut eodem verbo nutriar quo creatus sum.

In omni mortificatione, & in cruce Filii tui, quâ regeneratus sum, & quâ sedata est fames orbis terrarum.

In pane subcinericio, & in cinere poenitentiae,

X. O R A T I O N E S

qui tanquam panis manducatur, & deliciis abundat mundo incognitis :

In jejunio, quod fame corporis animam nutrit :

In sudore vultus, in quo comedendum est lassitudine utili lassam animam confirmante :

In absinthio quo cibus peccatores, cujus virtute si non respuatur, fiunt justi :

In virgâ & onere, quæ pigrorum cibaria sunt, quibus qui bene nutriuntur, pigri esse desinunt :

In pane egentium, qui non solum est vita pauperum, sed quo divites etiam felicius nutriuntur :

In panibus propositionis, & omni re quæ offertur Domino meo, quæ cedit in alimentum & robur offerentis :

In pane abscondito humilitatis, qui & ipse viscera nutrit, & majorem vim addit omnibus alimentis.

In lacte & pane fidei, ex quo justus vivit :

In quiete silentii, necessariâ comedenti, quâ & Angeli ipsi nutriuntur :

In adipe frumenti & mannâ veritatis, in corpore Christi, quo nutriuntur & vivunt quicumque vivunt :

In omni voluntate tuâ, quæ cibus Filii tui, & cibus est fortium :

In pane vitæ, in omni affectu & actione charitatis, cujus sapor, sapor mannae :

In rore Cœli, & spiritu orationis, qui & ipse nutrit, & omnium aliorum alimentorum condimentum est :

In pane lacrymarum qui suscitatur mortuos, sanat ægros, roborat infirmos, & perficit sanos :

In somno spirituali confirmante cor ad vigilandum, qui cibus est viscerum, & cibus sponsæ :

In solido cibo veræ Theologiæ & contemplationis, quo perfecti perveniunt usque ad montem Dei :

In cibo qui non perit christianæ perseverantiæ, quo salvantur quicumque non recedunt à convivio tuo, verum perseverant.

Post sanctam Corporis Christi participationem.

Dic mihi, Domine: Hodie salus huic domui facta est; sed ita dic ut audiam; & quandiu vixero, ob tantum beneficium gratias agam.

Imple cor meum ejusdem mannae suavitate qua implevisti os meum; ut anima mea & caro mea exultent in Deo meo.

Nihil mihi deerit, Domine, habenti te, si nihil amplius quaeram praeter te.

Habenti te, Domine, da mihi ut non quaeram me; aut si quaesierim me, non inveniam me; aut si invenerim, statim amittam me; ne ipse amittaris, quem cum quaero securus sum, & cum invenio salvus sum.

Non solum vitam, Domine, posuisti ante me, sicut olim dicebas, sed ecce eam misericorditer ponis in ore meo, ut mortem externam non timeam, cum intus vita sit.

Delinquat me cor meum & vita corporis mei; dum tu, Domine, qui major es corde meo, & qui es vita animae meae, non me derelinquas.

Quid hoc est, Domine, quod intra viscera mea abscondi voluisti, nisi ut viscera naturae, quae ob peccatum viscera mortis facta sunt, fierent te intrante viscera misericordiae, & in eis expulsam mortem vita regnaret?

Exi, Domine, & noli intrare, quia sepulchrum est, & foetet; sed potius intra, Domine, & ne exeas, ut sanctifices sepulchrum hoc, & fiat Templum.

Moriar mihi & mundo, beneficio corporis tui; ut per te moriens & in te vivens jungar tibi, & sis mors viventis, & vita morientis.

Cum panem Coeli & panem Angelorum mihi dede ris, da mihi famem Coeli & gustum Angelorum.

ut sentiam quod sentiunt qui nihil aliud præter te sentiunt.

Agnoscat in me, Domine, unde nutritior; & cum alimentum tam divinum sit, vita mea etiam divina sit.

Cum corpus tuum corpori meo conjungi volueris, cor tuum quoque cordi meo ita conjungatur, ut sim secundum cor tuum, nolendo quidquid nolueris, & volendo quidquid volueris.

Cum tu, Domine verbum Patris Altissimum; fac fieri volueris, ut ad parvulos pervenires; fac me fieri parvulum, ut ad altitudinem tuam merear aliquando pervenire.

Ut totus es in cœlo, Domine, & totus in corde meo, ita sim totus in exequendis mandatis tuis strenuâ obedientiâ, & piâ meditatione totus in Cœlo.

Fac tibi, Domine, spatium ad habitandum in corde meo, ut te in eo manente, grandescat in latitudine charitatis.

Cedam locum Domino meo, te intrante in cor meum; nec in me amplius maneam, ut semper in me maneam; atque ita in te maneam, nunquam à conspectu tuo separandus.

Ne frustra descenderis deorsum in hanc abyssum cordis mei, leva me sursum, ut non sim amplius de terra terrenus, sed de cœlesti habitatore cœlestis.

Sit mihi corpus tuum, Domine, collyrium oculorum meorum, ut formidandas aspiciam divitias quas respuisti, & optandam paupertatem quam elegisti.

Hominum laudes magis metuam, quam eorundem reprehensiones & contemptum; cum in contemptu securitas sit, & in nostri admiratione ingens fere semper damnum inveniat.

Ut mihi denique majus voluptatis periculum videatur quam doloris, cum dolor pars sit Crucis tuæ, voluptas verò desiderium & pars inimicorum Crucis tuæ.

Ad postulandum amorem Dei.

*Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde
tuo, &c. Deut. 6. 5.*

DE U S, qui diligens, jubes diligi, tam magnus à tam parvis, quod magnum beneficium est, & prorsus incredibile, nisi amoris omnipotentiam crederemus: da quod jubes, & jube quod vis. Da nobis ut diligamus te *ex toto corde* nostro, nihil aliud volentes; *ex totâ mente* nostrâ, nihil aliud cogitantes; *ex totâ animâ* nostrâ, nihil aliud sentientes; *ex totâ fortitudine* nostrâ, nihil aliud facientes. Totum eor tibi servemus, ut totum sanetur; quidquid ex eo usurpaverimus, corrumpitur, & sibi perit.

Ita est, Domine; sibi vivere non potest, qui moriatur. Si meum sit, perversum est; tuum sit, ut rectum sit. Scimus, & hoc revelare dignatus es, quia nihil in eo boni est. Totum mutetur charitate sincerâ, ut toti mutemur; nec simus amplius quod sumus, amando quod sumus, sed amando quod tu es; quia solus verè es, nec ipsi sumus. Non amemus quod non est, sed ineffabili pulchritudine tuâ ita capiamur, ut omnia quæ infra sunt, & nos ipsos contemnent, hoc bonum toti amemus, quod facit bonos, cujus dilectio certantis meritum, & vincen- tis præmium est.

Quis nos separabit à charitate Christi?

Rom. 8. 35.

CO N C E D E, quæsumus, Domine, ut nobis res & spes, unus sit amor. Infunde nobis hunc amorem, qui cæteros in se omnes traducat & captivet affectus. Ipse meritum, ipse sibi præmium sit. Præter se non requirat causam, non fructum. Sit fructus ejus, usus ejus. Amemus, quia amamus; amemus, ut amemus. Sed amemus ex toto corde,

ex totâ animâ , ex totâ virtute nostrâ. Amemus dulciter , amemus prudenter , amemus fortiter. Dulciter ne illecti , prudenter ne decepti , fortiter ne oppressi , ab amore Domini avestamur. Ne mundi gloriâ , seu carnis voluptatibus abducamur , dulcescat nobis præ his *Sapientia Christus*. Ne spiritu mendacii & erroris decipiamur , luceat nobis *Veritas Christus*. Ne adversitatibus mundi fatigemur , confortet nos *virtus Dei Christus*.

Zelum nostrum inflammet charitas , informet scientia , firmet constantia. Sit fervidus , sit circumspectus , sit invictus ; ut *nihil nos separare possit à charitate Dei , quæ est in Christo Jesu*. Non tribulatio , quæ crucem exhibet suavem amanti : *non angustia* , quam nescit , aut quam vincit latitudo charitatis : *non fames* , quam non timet qui justitiam & Deum esurit : *non nuditas* , quæ animam melius operit , & paupertatis ornamentum est : *non gladius* , qui vincentis præmium est , & martyrem facit : *neque mors* , quæ vitæ conjungit non amplius moriturum ; *neque angeli* , qui favent amantibus ; & si mali sunt , ipso amore vincuntur : *neque principatus* , quia Ecclesiæ ministri , si sancti , vicarii sunt amoris Christi ; si illi contrarii , se tantum separant à te non diligendo te , non eos separant qui te diligunt , & quos diligis : *neque Virtutes* , quia omnis potestas sæculi Filio tuo subjecta est : *neque instantia* , quæ eo facilius contemnimus quo tibi arctius inhæremus : *neque futura* , quæ non timet , cui tu Deus præsens es : *neque fortitudo* , quia nihil eo fortius quem amamus : *neque altitudo* extollens se adversus Deum , quia humili & amanti non nocent superbi : *neque profundum* , quia astutias Satanæ non ignorat qui amat : *neque creatura alia* , hoc est , nec ego ipse , quia tu potentior ad salvandum , quam ego ad perdendum.

Adjuva me igitur , & hæc omnia non separant à te. Sed nisi adjuves , certus sum quod tribulatio vincit me , angustia premit , fames dolori est , & nuditas

obprobrio ; periculum terret , gladius fugat , mors intercipit , vita decipit : ego ipse , cessantibus inimicis , major mihi inimicus. Si adsit spiritus tuus , vinco omnia ; si absit , vincunt me omnia. Da nobis ergo omnipotentem spiritum , ut in his omnibus superemus propter eum qui dilexit nos , Dominum nostrum Jesum Christum.

Qui manet in charitate , in Deo manet , & Deus in eo. Joan. 4. 16.

DA mihi , Domine , panem charitatis , quo mutatus & sanatus tibi placeam : quærens te , humiliter & indefinenter orando : inveniens te , sapienter & ardenter amando : fruens te , de te & in te gaudendo & adorando , ad saginandam omni bonitate & justitiâ voluntatem meam ; qui cum Patre , & Filio , &c.

Nolite diligere mundum , neque ea qua in mundo sunt. 1. Joan. 2. 15.

NEc mundum amem , Domine , nec ea quæ in mundo sunt , nec meipsum. Sed amem te in toto corde meo , ut nihil remaneat de eo , unde aliud diligam. Non occupetur amor meus , quo possum ad te tendere ; totus amem , & totum amem , ut semper amem ; nam si aliquid in te non amavero , aut si aliquid in me amavero (quod ejusdem est dementiæ) amor tam cæcus & imprudens , vel sine tentatione vincitur , & proprio pondere deficit. Nihil ergo in me amem , ut omnia in te amem , & placeas mihi , vel cum occidis , qui enim amat te cum percutis , jam sanatur ; & qui te amat cum occidis , tam certo vivit , ut amplius mori non possit.



Ad postulandam humilitatem.

Discite à me quia mitis sum, & humilis corde.

Matth. II. 29.

DOMINE Jesu, qui non venisti ministrari; sed ministrare; qui non venisti facere voluntatem tuam, sed voluntatem Patris tui; qui non venisti judicare, sed judicari; qui non quæsvisti gloriam tuam, sed gloriam Patris tui; qui non tibi placuisti: da nobis, ut vocati ad nuptias tuas recumbamus in novissimo loco, non alta sapientes, sed humilibus consentientes; non quærentes quæ nostra sunt, non nos amantes, non nos defendentes, non nobis placentes. Da mihi horrere gloriam meam, voluntatem meam, cogitationes meas, sermones meos, & actiones meas.
*Horream quidquid de meo est, ut sim meus, cum fuero tuus.

DEUS factus humilis, ut hominem superbum quæreres: utque is Deum humilem erubescens, desineret esse superbus: fac me humilem ut quæram te, & fac me adhuc humiliorem ut inveniam te, qui cum Patre &c.

SUPERBIA mea erubescat humilitatem præsepis tui, & infantiae tuæ. Stulta sapientia mea erubescat sapientem stultitiam crucis tuæ. Vita mea tam otiosa & delicata erubescat vitam tuam tam laboriosam. Denique erubescam tibi non vivere, cum pro me mortuus sis.

Humilis confessio miseriarum.

Homo peccator sum, Domine. Luc. 5. 8.

CONFITEOR tibi, Domine, quia bene omnia fecisti, nos autem omnia malè, quia dereliquimus te, & gratis venundati sumus pessimo inimico,

* Bern.

in quo in corpore mortis hujus captivi tenemur ad ejus voluntatem nobis ipsis inimici.

Confiteor tibi, Domine, quia nisi reliquisses nobis semen gratiæ tuæ, non vidissemus lumen Cœli; cæci à nativitate; & descendissemus usque ad fundamentum laci sicut plumbum in aquis vehementibus.

Confiteor tibi, Domine, quia ad salutem & regnum, unum nobis est necessarium, amare te; & quia hoc non potest fieri viribus nostris, nec nobis debetur, miserere nostri.

Domine, nihil sum, sed tu es qui es. Nihil possum, sed tu omnia potes. Non sum dignus salvari, sed tu dignus es salvare vel indignum. Domine, potes me mundare, & id potes tam in paucis quam in multis, quia in nihilo salvos nos facis.

Domine, omnis plaga in corde meo, & ipsum non est mecum. A plantâ pedis usque ad verticem non est in me sanitas, & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ: veruntamen dic tantum verbum, & sanabitur anima mea, qui vivis & regnas, &c.

Ad postulandum à Deo fructum Incarnationis Christi.

Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, &c. Tit. 2. 11.

D O M I N E * Deus, qui de Filii tui vitâ & morte remedium exhibuisti, unde sanaremur à cunctis infirmitatibus nostris; da nobis ut illud sentiamus efficax ad salutem: nec moriamur jam, pro quibus mori dignatus est Filius tuus. Quæ superbia sanari potest, si humilitate Filii tui non sanatur? Quæ avaritia sanari potest, si paupertate Filii tui non sanatur? Quæ iracundia sanari potest, si patientiâ Filii tui non sanatur? Quæ impietas sanari potest, si chari-

*Fere tota ex Sancto Augustino.

tate Filii tui non sanatur? Postremò , quæ timiditas sanari potest , si resurrectione corporis Filii tui non sanatur?

Erigat spem suam Genus humanum ; & recognoscat naturam suam , & videat quantum locum habeat in operibus tuis. Non se contemnant viri ; Filius tuus virum suscepit. Non se contemnant feminae ; Filius tuus natus ex feminâ est. Sed potissimum gloriantur in te virgines , quia Filius tuus ex virgine natus est , & virgo est , & virginum sponsus. Neutri tamen amemus carnalia , quia in Filio tuo neque masculus neque femina sumus. Aufer à nobis , Domine , amorem temporalium ; quia si benè amarentur , amasset homo quem suscepit Filius tuus. Non timeamus contumelias , crucem , & mortem , quia si nocerent homini , non ea passus fuisset homo quem suscepit Filius tuus.

Verbum tuum caro factum , sit medecina carnis nostræ , & per illud desinat esse carnalis. O medicinam omnibus consulentem , omnia tumentia comprimentem , omnia tabescentia reficientem , omnia superflua rescantem , omnia necessaria custodientem , omnia perditâ reparantem , & omnia depravata corrigentem ! Quis de se desperet , pro quo tam humilis esse voluit Filius tuus. Quis beatam vitam esse arbitretur , in iis quæ contemnenda esse docuit Filius tuus ? Quis adversitatibus cedat , qui naturam hominis à tantis persecutionibus custoditam credit in Filio tuo ? Quis sibi clausum esse Regnum Cœlorum putet , qui cognoscit publicanos & meretrices securos esse & imitatos Filium tuum ? Quâ perveritate non careat , qui facta & dicta intuetur , & diligit , & sectatur illius hominis , in quo se nobis ad exemplum vitæ præbuit Filius tuus ? Nil nobis jam deest habentibus Filium tuum , si nihil nobis deesse arbitremur ; sed væ hunc habenti , & aliud quærenti ; si tamen illum vere habet , qui aliud quærit.

Absit à nobis , Domine , tam cæca ingratitude. Nihil

aliquid quam Christiani sumus Gloria nostra, sit amplecti humilitatem Filii tui; divitiarum nostrarum, amare pauper-tatem Filii tui; victoria nostra, imitari patientiam Filii tui; omnis denique fortitudo nostra & spes no-stra, sit charitas Christi. Contemnamus quod contemp-sit. Pati non formidemus quod passus est. Fugiamus quod fugiit. Diligamus sicut dilexit. Non aliam habeamus silendi legem & loquendi, quam silentium & sermonem Filii tui. Omnia faciamus secundum exemplar quod nobis monstratum est in vita & mor-te Filii tui. Illum cogitare, scientia nostra sit; illum amare, virtus; illi placere, nobis non placendo, sapientia & foelicitas. Hoc unum speremus, quod promittit: hoc unum timeamus, quod minatur. Inde tantum gaudeamus, quia dilexit nos, vel cum non diligeremus. Inde tantum contristemur, quia parum diligimus quem satis diligere non possumus. Hoc tantum optemus, ut illum sine fine diligamus, qui tecum vivit & regnat, &c.

Qui percussus aspexerit eum, vivet. Num. 21. 8.

DE U S, qui Filium tuum incarnari voluisti, ut Medicum omnipotentem haberemus, qui mor-bis insanabilibus mederetur: da mihi verba, quibus illi aperiam morbum meum: quibus impetrem sa-nitatem, & gratias agam indefinenter sananti me, qui tecum vivit & regnat, &c.

Ad postulandum amorem Crucis.

Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu-Christi. Gal. 6. 14.

DA mihi, Domine, ut non tantum a mem legem tuam, sed crucem; frustra enim illam amo, si hanc non amo. Inter tot legis tuarum inimicos, non diu certe illam amabo, crucem averfatus: impa-tientiam enim & odio crucis facile vincetur amor legis

tux. Fac me ergo amare crucem Filii tui; non qualem etiam diligunt qui crucis inimici sunt, sed qualem colunt qui amici sunt.

Amem crucem, non amando me: amem crucem, ferendo crucem. Nam quicumque sit cultus, illam non amo, si non fero: & quicumque non ferunt, inimici sunt. Crucem Filii tui feram, sed semper feram, & totam feram; nihilque desit foelici mensuræ foelicitatis nostræ. Sit profundum humilitatis; Deo tantum teste gaudentis; sit sublimitas spei auxilium de cœlo expectantis; sit latitudo charitatis omnia amplectentis.

Quidquid est transitoræ infamiæ, hoc profundo crucis tuæ absorbeatur: quidquid est pœnarum, amoris magnitudine, in latitudine crucis mulceatur. Crux nuda, non horreat angustias paupertatis. Crux profunda, non terreatur opprobriis. Crux lata, non vincatur doloribus & ærumnis. Crux longa, non deficiat in diuturnitate passionis. Talem crucem amem; talem feram.

Da mihi crucem Jesu portare post Jesum. Si non feram crucem, pereo; si solus feram, deficio: si feram ante Jesum, superbus sum, & vincor: si feram post Jesum, humilis sum, & salvor. Non ergo mihi est salus, nisi dones crucem portare post Jesum, per spiritum Jesu, qui tecum vivit & regnat, &c.

Lux mentis & puritas cogitationum, ex amore Crucis.

Non judicavi me scire aliquid nisi Jesum-Christum, & hunc crucifixum. 1. Cor. 2. 2.

O Verbum, gratiâ & misericordiâ caro factum; miserere verbi mei, quod peccato & miseriâ caro factum est. Verbum meum, cogitatio mea: en cum debuisset adherere æternitati tuæ, & esse

tecum unus spiritus, adhærendo vanitati rerum transeuntium, voluptate inquinatum est, curiositate dissipatum est, elatione conquassatum est.

O Verbum sanctum, affige cruci verbum malum, propter quod hominem assumpsisti, qui crucifigeretur. Tantum amet crucem tuam, ut mundum sit. Tantum sciat crucem tuam, ut unum sit. Tantum gloriatur in cruce tuâ, ut humile ac sanum sit.

Erigat verbum jacens, ad altitudinem tuam humilitatis altricem, charitas. Jungat sibi verbum tenebrosum, ad sanctæ lucis delectationem, veritas. Firmet verbum inquietum, ad securam stabilitatem, humilitas; ô Domine Jesu, Deus & Homo, qui cum Patre & Spiritu sancto vivis & regnas, &c.

Simplicitas inter patiendum.

Ego quasi agnus mansuetus, &c. Jerem. I I. I 9.

DOMINE, qui dixisti de servo tuo Joanne, quoniam * *fecerunt in eo quaecumque voluerunt; fac nos imitari sanctam illius simplicitatem; ut quasi agni mansueti portemur ad victimam; nec cognoscamus, cum cogitabuntur super nos consilia: omnem sollicitudinem nostram projicientes in te, non retrorsum abeuntes, sed nec contradicentes, nec aperientes os, nec omnino curantes quid de nobis fiat, quia tibi cura est de nobis, qui cum Patre, &c.*

Consideratio dolorum Christi.

Christo confixus sum cruci. Galat. 2. I 9.

DA mihi, Domine Jesu, ut non sentiam quodcumque pati possum, sentiendo quod pateris; nec sim ex iis qui passioni tuæ ingrati, suam tan-

Matth. 17. 12.

tum aspiciunt, & ideò deficiunt. Sit ergo vita mea pendens ante oculos meos, & credam vitæ meæ, ut vivam, & non credam mihi ne moriar. Offeram vitam meam auctori vitæ meæ; ne eam mihi vindicando, amittam. Aspiciam te, Domine, salutare manus extendentem in ligno vitæ meæ, & vivam. Aspiciam te, qui in Serpente æneo figurabaris, & sanabis me à vulneribus serpentis; quia de teipso fecisti nobis remedium, quod potentius est omnibus morbis. Qui vivis, &c.

Erit vita tua quasi pendens ante te . . . & non credes vitæ tuæ. Deuter. 28. 66.

DOMINE lux & vita animæ meæ, qui pendere ante oculos nostros voluisti in argumentum scientiæ, & spectaculum amoris, ut nihil aliud sciremus, & nihil aliud amarem: fac nos memores tanti beneficii, ne Judæos imitemur, qui vitæ suæ non crediderunt. Credam vitæ meæ, Domine, quæ mentiri non potest, quia veritas est. Sperem in vitam meam, quæ omnia potest, quia charitas est. Amem vitam meam, quæ victrix mortis est, & redemit me,

Averte oculos meos ne videant vanitatem, ut videant veritatem. Inclina cor meum in testimonia tua, ne diligam mortem, ut diligam vitam. Quidquid aliud videro, mendacium est, quo decipior. Quidquid aliud amavero, pœna est, quâ morior. Ne decipiar, sit vita mea ante oculos meos. Ne moriar, sit vita mea in corde meo; ut te uno contentum, nec mendacio deceptum, nec amore alieno morientem, beatum me reddat & securum amoris scientiæ, & scientia amoris: Qui vivis, &c.

Pro obtinendâ pace in quacumque
tribulatione.

In pace in idipsum dormiam & requiescam.

Pfal. 4. 9.

QUIESCAT in te, Deus meus, cor meum: Cor meum enim est mare magnum tumens fluctibus. Tu qui imperasti ventis & mari, & facta est tranquillitas magna, veni & ingredere super fluctus cordis mei, ut tranquilla & serena fiant omnia mea; quatenus te unicum bonum meum amplectar, sine cogitationum tumultuantium cæcâ caligine. Confugiat, Domine, mens mea sub umbrâ alarum tuarum, ab æstibus cogitationum hujus sæculi; ubi in tui refrigerii temperamento absconsa, lætabunda cantet & dicat: *In pace in idipsum dormiam & requiescam.* Dormiat, obsecro, Domine Deus meus, memoria mea ab omnibus malis, iniquitatem odiat, justitiam diligit. Quid enim pulchrius, quidve dulcius, quam inter tenebras hujus vitæ multasque amaritudines, divinæ veritatis dulcedini inhiare, & æternæ beatitudini suspirare, illicque teneri mente, ubi vera sunt gaudia?

Concede, misericors Deus, ut hæc cuncta mala quæ nos circumstant, nusquam perveniant ad animam nostram. Tu, qui claudis & nemo aperit, ita cordis nostri occlude ostium, ut illud nec injuriarum, nec inimicorum, nec mundi quantumlibet sævientis, ulla unquam cogitatio perturbet, & si fieri potest, ne subeat quidem. Fac, Domine, ut nullum aliud negotium sit in tribulatione quæ nos apprehendit, nullum aliud studium, quam recedere ab eo strepitu qui foris est, & ire in interiora mentis secretaria, ut ibi te invocemus, ubi nemo hominum videt: ibi nos videas gementes, & ibi te

sentiam subvenientem. Sed tu ipse intra in secretum cordis nostri, ut ibi te solum adoremus, & amemus benignissimum Patrem, qui filios percutis ut fenes, corripis ut emendes, mortificas ut resuscites. Illumina, Domine, oculos nostros, ut agnoscamus quàm salutaria sint hæc tua flagella, quæ si non respuimus, cœlorum nobis præparant hæreditatem. Da nobis, hæc non libenter modò, verum & ardentè, tanquam ornamenta & delicias amplecti; ut leve hoc & momentaneum tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus operetur in nobis.

Fac, Domine, ut dum qui oderunt me insurgunt in me, te invocem intus in corde meo. Fac cum servo tuo hanc magnam misericordiam, ut nunquam eos à quibus quid patior oderim; sed in his tentationibus ad te confugiam fontem dilectionis; ut ex te, inimicos, quò crudelius persequuntur, eò misericordius amplectar. Si cum patior illos, dilectio in me non conturbetur, quàm diligo illos, odisse possunt, lædere non possunt: si cum his qui oderunt pacem sum pacificus: si diligam ex toto corde homines aperte sævientes, victus recedet à me diabolus occultè sæviens: si cedo illis qui insidiantur famæ, bonis, & vitæ meæ, vinco illum qui deprædari vult innocentiam, fidem, & salutem meam.

Domine Deus, protector animæ meæ, & spes mea in sæculum sæculi; si consistant adversum me castra, in hoc ego sperabo, quoniam tu mecum es; si maledicunt mihi totâ die inimici mei, gaudebo & exultabo, quia tu mihi benedices in æternum. Sævire in me homines possunt, terrere non possunt. Securus sum inter illos odientes & malignantes; mihi quippe dictum est: Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Extrema igitur mala minari desinant; nam sagittæ parvulorum factæ sunt omnes plagæ eorum, & infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum. Quid enim?

enim? divitias eripient? non repugno, quia non egeo: nihil enim deest timentibus te, Domine. Crucem parabunt? non fugio: in hoc enim positus sum, ut eam tollam, & in eâ glorier. Mortem si ostentant, non metuo, sed cupio dissolvi, & esse cum Christo: utinam citò faciant quod facturi sunt; utinam citò in me moriatur quidquid mortale est, ut totus consequar immortalitatem. Forsitan edent carnes meas? misereor, non mei, sed ipsorum; se solùm lædunt, & inde ego perficiar; consumptis enim carnibus, spiritus ero. Denique, si tribulatio & angustia veniunt super me; si in terrâ locus non est ubi caput reclinem, terras relinquam; confugiam ad te, Domine, & tu eris merces mea magna nimis in cœlo.

Contra mortis metum.

Mihi vivere Christus est, & mori lucrum.

Philipp. I. 21.

DEUS, qui per Unigenitum tuum æternitatis nobis aditum devictâ morte reserasti, vince in servo tuo metum mortis. Quotidie moriar cum Apostolo tuo, ut semel mori non reformidem: neque enim satis moritur, qui timet mori. Non sim ex iis, Domine, qui delectantur periculis suis; & cum se mortem fugere putant, fugiunt vitam. Fallimus nos; sed non te fallimus, qui nosti corda omnium. Vitam æternam multùm amare non possumus, cum mortem temporalem multùm averfamur; quia nisi per istam non pervenitur ad illam. Vitam meam, Deus meus & vita mea, junxisti morti meæ, ut calcarem mortem spe vitæ. Quid est enim tantilla mors, quæ victa est sanguine Filii tui, ut propter illam sejungi patiar à tanto bono? Timeam potius vitam meam, sive præteritam, sive adhuc futuram, quia tota timenda est timenti te &

diligenti te. Timeam præteritam vitam; est enim undè multum displiceat tibi, quia peccator sum; timeam futuram, ne displiceat, quia infirmus sum. Inter tot timores positum, consoletur me spes mortis, quia peccato finem imponit, licet nata sit per peccatum. Mortem non fecisti, Domine; & tamen ipsa amoris tuo erga nos servare coacta est, cum origini suæ contraria, & emendat quod peccavimus, & præstat ne peccemus.

Pœnam nostram in præmium convertisti, misericors Deus; & de malo nostro fecisti undè sanaremur, nec amplius ægrotaremus. Gratias tibi, Deus meus. Confirma hoc quod operatus es in nobis. Intelligamus misericordiam tuam, & lætemur. Rectè iussisti ne timeremus eos qui occidunt corpus, ut non ipsi occideremus animas nostras. Etiam Domine, fiat mihi secundum verbum tuum. Absolvat me ab hoc metu amor Christi. Cupiam dissolvi, & esse cum Christo, Quarumvis minarum, rerumque omnium facilis contemptus, mortem non contemnti tantum, sed optanti. Da mihi contemptum hunc, qui valdè necessarius est, crucem Filii tui portaturis. Inter tot scandala quæ crebrescunt, nemo potest tutus incedere qui timet mortem. Nemo descendet de cruce, qui desiderio Christi mortem amat. Quid enim ad mortem hanc felicius quam ipsa crux, ex quâ tam brevi tempore ascenditur ad Christum.

Non me ergo delectet amplius vivere, nisi quia patiendum est. Etiam, Domine, utere morte meâ ad augmentum vitæ meæ. Non parum vixi; & mihi multum est temporis, sed parum vitæ. Vitam negligentius actam emendet finis vitæ. Sit mors supplementum pœnitentiæ. Alia remedia salutis meæ frustra insumpsi; timeo ne parum profuerint. Ultimam hoc superest remedium, quod si avidè sumatur, quamvis infirmum & ægrum, mox sanabit. Neque enim tantus medicus fallere potest aut falli.

Quamcumque mortem præscribat, & quocumque tempore, non recusem. Fiduciam præstet amor præscribentis; nec mihi aliquid utilius contingere posse arbitrer, quàm quod, illo jubente, contigerit. Arripiam verbum de ore jubentis; verba enim vitæ æternæ habet, & quodcumque loquitur salus nostra est. O anima mea, quæ sponsa es Christi, ecce sponsus venit, exi obviam ei. Sponsæ parum est expectare sponsum, nisi quâdam festinatione amoris venienti occurrat. Si timet mortem, non tantùm non occurrit, sed penè fugit.

Hoc unum habet mors durius, quòd cum proxima est, aut cum adest, laudare te non possumus, cujus beneficio viximus, & cujus majori dono morimur. Hanc jacturam compensemus jam laudibus nostris, & faciem tuam præveniamus in confessione. Sit talis vita, ut Judicem meum adorare possim statim ac judicaverit. Quodcumque in morte laudari non potest, laudem ante mortem, quòd spero me laudaturum esse post mortem. Primùm benedicta sit mors Filii tui, per quam factum est, ut posset etiam mors ipsa laudari. Benedicta sit mors peccatoris, postquam amplius non sum peccaturus. Benedicta sit mors mea, quia etsi ob iniquitatem meam vituperanda est, ob Salvatoris misericordiam laudanda est. Benedictum tempus mortis, quod me vitæ meæ conjunget, nunquam postea moriturum. Benedictum genus mortis, quod ante mundi constitutionem placuit salvanti me. Benedicti dolores mortis meæ, qui judicium meum justum probant, & qui me facient justiore.

Quidquid humanâ trepidatione averfari potero in morte meâ præter iniquitates meas, christianâ nunc pietate amplector; & mihi jam placet, quodcumque displicebit. Damno judicium meum, quod non satis congruat judicio Dei mei. Nec mihi imputes stultitiam hanc, sed eam oro te, abluas, ut & alia peccata mea sanguine Agni, cujus mortem in mor-

te meâ intuere, ut illi benedicas. Etiam, Domine, benedic morti meæ, ut in te moriar, & in amplexu salvantis me. Non mereor mori pro Domino meo, quod tribuas perfectioribus. Saltem moriar cum illo, & sufficit mihi. Annue votis servi tui, Deus meus, & ne me prives voluntate labiorum meorum. Per Dominum nostrum.

Præparatio ad mortem.

Quotidie morior. 1. Cor. 15. 31.

QUID mihi prodesset non timere mortem, si non me pararem ad mortem? Da mihi ergo Domine, continuâ recordatione mortis, omnem ejus vim infringere. Tua hæc æquissima sententia est; *Pulvis es, & in pulverem reverteris.* Amen. Pereat corpus ob carnem peccati, quia in peccato conceptum est, mox resurrecturum ob misericordiam tuam, quia templum spiritus tui factum est. Non obliviscar unquam verborum Domini mei. Quidquid egero, & in quocumque rerum statu, versetur semper ante oculos meos pulvis meus; & quod aliquando in sepulchro futurus sum, humiliante te cor meum, semper sentiam.

Non frustra dixisti me reversurum in pulverem; sed hoc misericordissimè providebas, ut de mortali hoc pulvere oriretur in nobis humilitas, omnium parens fœcunda virtutum, unde mors ipsa arceretur. Qui enim cogitat semper quod minatus es, Domine, non in hoc incurrit quod minatus es. Ipsa sui evacuatrix est sententia tua, quia pius & clemens es; fitque mihi, dono spiritus tui, causa non moriendi, & præstantissimum adversus mortem remedium, scire me moriturum.

• Sed hoc mihi concede, Domine, ut non putem solâ mentis cogitatione destrui mortem. Accingam me ad hoc prælium, non inutiliter meditando, sed piè sancteque vivendo: otiosas enim cogitationes,

& quæ unum ex capillis immutare nequeant, nec diu duraturas, mors non timet, sed crucem Filii tui quâ spoliata est reformidat. Discam igitur adversus inimicam meam pugnare sicut pugnavit Filius tuus, in omni humilitate & patientiâ, in laboribus, per ignominiam & paupertatem; neque enim vincî potest, nisi ut victa est. Ars vincendæ mortis, scientia crucis.

Doce me hanc artem, Domine, ut cum fidelem me tibi in portandâ cruce exhibuero, fidelis sim & in morte. Periculum est ne in hoc ultimo conflictu vincantur, qui inexperti sunt, nec diu aut nunquam cum illâ pugnaverint. Horrendum est incidere in mortem victricem, & quæ tota sentiatur. Væ non expavescentibus pondus illud immensum & importabile mortis cum totâ peccatorum mole incumbentis; alio enim quovis pondere gravior sarcina iniquitatis, quam pœnitentia non deleverit, cum damnandi remedium hoc putent, obrui repentino lapsu montium, sitque illis voti loco, perire tam stupendo exitio, plus peccato perituris. Nempe jam malum suum intelligunt, cum illud intellexisse, non remedium, sed pœna sit.

Horream, Deus meus, pondus hoc mortis; & quandiu vivo exonerem me peccatis meis, ut gravem illam non sentiam. Timeam modò hos montes, ne aliquando optentur. Cogitem semper mortem, sed ita cogitem ut destruam opera mortis, mortificans membra mea quæ sunt super terram; ut cum, te adjuvante, peccati victor extitero, in quo vis tota mortis sita est, tunc demum & ipsa vincatur. Absque stimulo nocere non potest. Aufer ab eâ arma hæc tenebrarum in quibus confidit, & circumcinge me servum tuum armis apostolicis, quæ sunt arma lucis, ut per te armatus vincam faciliè non armatam.

Nunquam pactum ineam cum morte; sed quidquid illi favere potest, quamvis leve videatur, exhorrescam. Habet enim hoc à serpente, qui illi ini-

tium dedit, ut sensim serpat, & nisi adjuves, mox tota fit ubi aliquid ejus influxerit. Nihil in me fit mortis, & languebit mors; nec impugnare poterit adhærentes Domino meo, qui Dominus est vitæ & mortis. Amara mors pacem in mundo habenti, sed hanc pacem non habenti suavis est. Non diligam hanc pacem quam dat mundus, & ad moriendum excellentissimo præsidii genere munitus sum, quod nunquam fallit. Qui enim pacem mundi & oblectamenta spernit, pace tuâ fruitur, & teipso lætatur, Deus meus, unde vinci non potest.

Sed cum multa sint ad bene moriendum subsidia, hoc potissimum amplectar de quo scriptum est, quod vincit mortem; * *Fortis enim ut mors dilectio, & fortior morte.* Moriatur anima mea morte amantium; quia revera non moriuntur qui diligunt, & in quibus vivit spiritus tuus; sed de morte & per mortem transferuntur ad vitam. Miserere mei secundum judicium diligentium nomen tuum. Minuitur mors, cum augetur charitas & perficitur. Quid ergo esset mors, si perfecta esset charitas? Amem te, Deus meus, & sufficit mihi. Fuga mortis, perseverantia amoris. Amem te perseveranter, nihil præter te amando, & non morior, quia non amitto te; aut foelicius morior, ut perfectiùs vivam, adhærens tibi. Per Dominum nostrum &c.

Mors Christi, mortis nostræ solatium,
sanctificatio, & meritum.

Moriamur cum eo. Joan. II. 16.

UT beatam horam mortis tuæ adoremus, Domine, da nobis & horam mortis nostræ quam solus nosti, perfecto corde & vivendo & moriendo adoremus.

*Cant. 8. 6.

Domine Jesu, qui mori voluisti, ne moreremur, sed ut de morte ad vitam transiremus; recordare mortis tuæ in tempore mortis meæ, cum nec tui nec mei recordari potero.

Mortem meam quæ pœna peccati est, tutetur & protegat mors tua quæ tollit peccata mundi; ut tam pie cogitando quia mortuus es, tunc moriendo non moriar.

Verfetur semper ante oculos meos tempus mortis tuæ, quæ mihi sit fons vitæ, cum vita mea defecerit; ut in morte tuâ vitam invenire possim, qui in vitâ meâ mortem singulis diebus invenio.

Fac, Domine, semper jungam cogitationem mortis tuæ cogitationi mortis meæ, ut quod in morte meâ amarum esse potest, benedictione mortis tuæ dulcescat; sicque vitæ permanentis amore, mortis transeuntis levem ictum non reformidem.

Bene vivam, Domine, ut bene moriar: ut bene vivam, vivam de te; ut bene moriar, moriar in te; vitam meam informet vita tua, ut sancta sit; & mortem meam defendat mors tua, salus nostra, ut sit salutaris. Qui vivis & regnas, &c.

Eleemofina pauperis.

Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam.* Sed quia nemo potest offerre Filium tuum, nisi etiam offerat & seipsum, da mihi ut sumam de optimis terræ meæ fructibus, quos in eam contulisti nil merentem, ut tibi offeram; pavendum enim esset mori & videre te, antequam placassem te muneribus tuis. Omnia nobis donas; sed aliquid tibi donari vis. Nec calicem aquæ frigidæ respuis, sed respuis ingratos, & ab eleemofinâ tuâ alienos, qui ignem æternum paratum esse dixisti nihil dantibus.

* Psalm. 115. 3.

Ecce, Domine, propter te reliquimus omnia; aut propter te ablata sunt. Nunquid hæc dabimus, quæ amplius non nostra sunt? Tu scis, Domine, quod absque corporibus nihil habeamus. * De nobis igitur ipsis regnum cœlorum promerendum est; nec aliud magis donum à nobis exigit, quam nos ipsos. Da nobis ergo ut exhibeamus tibi corpora nostra hostiam viventem, sanctam & tibi placentem. Sed væ nobis; multa donaveras, quæ tibi donaremus, sed omnia peccato amissa sunt. Scio enim quia non habitat in me, hoc est, in carne meâ, bonum. Quid ergo offeram, nisi malum meum? Perficere enim bonum non invenio. Non indigeo sanguine tauro- rum, nec tu ipse vis. * Habeo in me quod occidam. Sit eleemosina mea, liberari à passionibus meis, & à lege peccati, quæ militat in membris meis.

Si induam Dominum Jesum, ut non inveniar nudus coram te, illum vestiero. Si cibaveris me pane vitæ & intellectus, & manducavero carnem Filii hominis, illum quoque cibavero; nec me genus hoc eleemosinæ patietur ire in tenebras. Verumtamen est adhuc undè pascam esurientem. Subtraham ab inimicis Domini mei, quod dem Domino meo. Venter meus, inimicus tuus; quia inimicus est omnis justitiæ: negligam esurientem, ut minus esurias; minus impleam, ut magis implearis. Fragmen panis eruat de ore bestię hujus *** *Quomodo si eruat pastor de ore leonis duo crura, aut extremum auricula.* Nec fastidiet Dominus meus, quia misericors est, quod est semicomestum à bestia; licet olim in veteri Testamento prohibuerit Populo suo, ne quod ab eâ captum esset, comederet. *** Nec tantum de reliquiis cibi mei offeram Domino meo primitias, quasi de areâ & torculari; sed & de reliquiis somni, quæ magnam partem furatur temporis, quod servituti tuæ debebatur. Pessimum hunc exactorem conver-

* S. Hilar. ** S. Aug. *** Amos, 3. 12. **** Num. 18. 30.

tam in munus Dei, & in eleemosinam utilem animæ meæ.

Quàm jugum tuum suave est, Domine! & in veritate comperi, quia mandata tua gravia non sunt. Quidquid volens non videro propter amorem tuum, eleemosina est. Si verbum durius neglexero, sepiens aures meas spinis, quibus coronatus est Dominus meus; aut si cunctis sermonibus qui dicuntur non accomodavero cor meum, eleemosina tua est. Si taceam mundo, loquens ad Dominum meum silentio humilitatis & voce patientiæ, eleemosinam hanc quoque accipis in odorem suavitatis. Si sedero solitarius, aut egredi prohibitus fuero, vel ingredi, est quod dem Domino meo; & imputabit mihi etiam eleemosinam hanc, licet redditam in die angustiarum mearum, & profectam à necessitate temporum. Quodcumque damnum passus fuero, lucrum tuum est; aut potius lucrum meum, quia mihi illud acceptum feres. Etiam dolores infirmitatis meas in eleemosinam charitatis, nec sine mercede morbi nostri sunt.

Si boni æmulatores fuerimus, quid nobis non erit loco eleemosinæ, cum paupertas ipsa, quæ minus apta videtur eleemosinæ, maxima eleemosina sit, & quæ nulla tibi sit acceptior? Da nobis ergo, Domine, ut pauperibus quidem tuis quantum poterimus misericordes, ex substantiâ nostrâ faciamus eleemosinam; sed nunquam ipsi ab eleemosinâ tuâ cessemus, ut quovis tempore, aut rerum statu, munera nostra ad altare tuum offerentes, nunquam in conspectu tuo vacui appareamus. Per Dominum nostrum Jesum-Christum, &c.

Eleemofina humilis, ex cognitione veritatis, seu ipsiusmet autoris de se humillimè sentientis Oratio.

Domine, qui servum inutilem damnasti, quòd non commisisset pecuniam tuam Numulariis, miserere mei; quia in eâdem damnatione sum. Abiens fodi in terram, & abscondi pecuniam Domini mei, non humilitate latendi, sed negligentia non operandi. Adjuva me, Domine, ut vel serò pœniteat me talenti perditum. Adhuc tempus est committendâ pecuniam tuam Numulariis, ut veniens recipias quod tuum est cum usurâ; & tuum est quidquid bonum est. Inveni bonos Numularios; & scio quia quærunt lucrum Domini sui & prosperitatem Israël. Jube ut emendent talentum situ squallidum, & operentur in eo lucrantes tibi, ne superscriptio, & imago tua oblitteretur amplius rubigine peccatorum meorum, sed splendescat in actionibus eorum. Ita nempe servos fideles laudabis: & servum inutilem, qui damnandus fuisset, forsan absolves.

Etiam, Domine, pone rationem cum eis de talento, quia reddes eis coronam justitiæ; sed noli mecum, quia damnares; talentum enim aliud non lucratus sum, sed offero tibi quodcumque lucrabuntur. Sit lucrum meum, lucrum eorum; ut non minus læter in eis, quam de me contrister. Heu me! amisi incuriâ meâ quæcumque donaveras, & quæ valere potuissent ad remissionem peccatorum. Fodere jam non valeo, quia corpore infirmus sum; & mendicare erubesco, adhuc animo infirmior, quia humilis non sum. Refrigescit in me charitas, quæ sola operiret multitudinem peccatorum. Hanc si haberem, dicerem audacter: Scio quid faciam; nam in eâ salutis scientia est. Sed verè nihil scit, qui hanc nescit.

Quid ergo faciam, Domine, quia non vis mortem peccatoris? Utinam haberem aliquid de bonis Domini mei, ut ea, mox cariturus, profunderem in servos tuos, qui me reciperent in domos suas. Sed plane inops sum paupertate virtutis, malè dives abundantia vitiorum. Ne quidè aurum & argentum est mihi, quod dem tibi, subveniendo pauperi. Væ mihi tamen, si non fecero eleemosinam, quia absque salute est qui absque eleemosinâ est. Nil superest mihi præter talentum, quod lucro vacuus cogor numulariis committere. Sed non celabo Dominum meum, quia ipsum talentum, quodcumque est, præterquam quod in fossam est, etiam furatus sum; nec enim ad me pertinebat erogare pecuniam Domini mei.

Miserere mei secundum magnam misericordiam tuam, ut non tantum condones quod furatus sum, & quod infodi; sed ampliorem largiendo gratiam, ipsum hoc talentum accipias pro eleemosinâ, quod restituendum est pro debito. Sit mea eleemosina, talentum tuum; & quamvis apud me sterile remanserit, sic redundet in fructus piæ nundinationis, ut lauderis in donis tuis. Da mihi ergo facere parvulam eleemosinam ex qualicumque scientiâ veritatis, ut quæ scire donaveris, sint mihi vel duo minuta Viduæ, quæ mittam tremens in gazophylacium tuum. Sed mittam ut Vidua hæc; de penuriâ meâ mittam, nil me esse, & nil me scire cognoscens. Omnia quæ habuero mittam; ut de gratiâ tuâ, licet per me transeunte, nil manibus meis adhærere contingat. Et mittam totum victum meum; quod continget, si nullum alium cibum requiram præter verbum tuum, sed vivam de eo, nec aliunde vivam. Damnas enim pigrum servum, qui ad os suum applicat manum suam, bona dicens & mala faciens.

Utinam, Domine, tacerem. Sed si loquendum est, qui res ipsas velut fructus malè insumpsi, verba saltem velut folia reddam verbo. Aut taceam tibi,

aut loquar tibi ; veritatem nec commutans in mendacium , nec detinens in injustitiâ , sed veritati reddens donum optimum , quod à te descendit. Etiam ; Domine, sit hæc eleemosina. * Si enim amicos qui nos recipiant in æterna tabernacula facere jubemur de mammonâ iniquitatis , quantò magis de intelligentiâ veritatis , ut nos docuerunt patres nostri servi tui? ** Si iniquitas bene dispensata vertitur in justitiam ; quantò magis sermo divinus , qui omnis iniquitatis remedium est & causa innocentix , justitiam potest conferre dispensanti ! Sed quia hic jam quaeritur inter dispensatores , ut fidelis quis inveniatur ; da mihi ut meminerim semper infidelitatis meæ ; malimque silere tutò , quam periculo è loqui. Etiam , Domine , mitte operarios in messem tuam , qui lucrentur tibi animas fratrum suorum ; ut qui operarii non sunt , ipsi animæ suæ detrimentum non patiantur ; sed curent seipsos in nomine tuo , qui cum Patre , &c.

Ad obtinendum donum paupertatis.
Ex S. Paulino.

NIHIL nobis , Domine , sed omnia tibi servemus , ut ditiores simus ; quia si propter te nihil habeamus , in te omnia possidemus.

Monachorum Syriæ gratiarum actio
post coenam.

Ex Sancto Chrysostomo , hom. 55. in Matth.

In omnibus gratias agite.

1. Thess. 5. 18.

BENEDICTUS Deus , qui pascis me à juventute meâ , qui das escam omni carni ; imple gaudio & lætitiâ cor nostrum , ut semper omnem sufficien-

* S. Anselm. ** S. Hier.

tiam habentes, abundemus in omne opus bonum in Christo Jesu Domino nostro, cui tecum gloria, honos, imperium cum sancto Spiritu. Amen.

Gloria tibi, Domine; gloria tibi, Sancte; gloria tibi, Rex; quia dedisti nobis cibos in lætitiā: imple nos Spiritu sancto, ut inveniamur in conspectu tuo acceptabiles, nec pudore afficiamur, cum reddes unicuique secundum opera sua.

Ad postulandam unitatem & pacem.

Solliciti servare unitatem spiritûs in vinculo pacis. Ephes. 4. 3.

I

DOMINE, qui rogasti patrem ut essemus unum, sicut unum estis; imple in nobis tantæ hujus veritatis affectum & effectum. Congrega nos sub alis tuis, sicut gallina congregat pullos suos; ut fiat unum ovile & unus pastor, ut sit multitudinis credentium cor unum & anima una. Qui vivis & regnas, &c.

II.

PAx huic domui, & ædificetur ambulans in timore Domini, & consolatione sancti Spiritûs repleatur; ut sicut abundant passionēs Christi in nobis, ita & per Christum abundet consolatio nostra, qui tecum vivit, &c.

Orate pro invicem ut salvemini.

Jac. 5. 16.

I.

Fac me, Domine, sollicitum semper in orationibus pro fratribus meis, ut sint stabiles in fide,

radicati in charitate, immobiles à spe Evangelii; abundantes in opere Domini semper, custoditi in fasciculo viventium, perfecti & pleni in omni voluntate Dei; ut oblatio eorum accepta fiat & sanctificata in spiritu, ut si frangendum sit alabastrum, impleatur domus odore unguenti. Per Christum, &c.

II.

DA nobis, Domine, non sollicitos esse nec turbari circa pluriina, ne excidamus à simplicitate quæ est in Christo Jesu, & à sinceritate Dei. Nihil solliciti sumus; sed in omni oratione & gratiarum actione, petitiones nostræ innotescant apud te, & pax tua, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda & intelligentias nostras in Christo Jesu.

Ad postulandam proximi conversionem.

Rogate Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. LUC. 10. 2.

ECCE pauperes facti sumus valdè, & pauci numero. Adduc ergo aliquos de fratribus nostris, ut epulentur nobiscum, quia non est Domino difficile salvare vel in paucis vel in multis, qui neminem vis perire, sed omnes ad agnitionem veritatis venire. Adduc aliquos de fratribus nostris lapsis; quia omnia tibi possibile sunt, qui das laqueo virtutem; & iis qui non sunt, fortitudinem & robur multiplicas. Adduc aliquos de inimicis nostris, de Hæreticis, de Ethnicis, & Judæis, quia non est apud te impossibile omne verbum, qui vocas ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt.

Tu dixisti: Quoniam Judæi inimici facti sunt propter nos. Etiam, Domine; sit nomen tuum benedictum, quia fecisti nobiscum misericordiam tuam,

Sed da nobis jam ut fiant amici propter nos, quia non sufficimus ad esum agni, & quia participes facti sumus pinguedinis olivæ: fiant amici propter Patres, quia radix sancta, & ut Prophetæ tui fideles inveniantur. Fiant amici propter nomen tuum sanctum, ut glorificeris in eis, & vincas cum judicaris, qui vivis, &c.

Ad postulandum sincerum veritatis
amorem.

Quæ societas luci ad tenebras?

2. Cor. 6. 14.

O DOMINE Jesu, qui vera lux es, illumina omnem hominem qui te videt, ne cæcus fiat, & desinens te videre, desinat etiam & vivere. Hic enim in regione morientium, & apud mortuos, qui cæcus est, non propterea moritur; apud te verò, qui lux es & vita es, mortui sunt omnes, qui cæci sunt. Da nobis ergo ut ambulemus in luce, ne nos tenebræ comprehendant, in quibus nemo ambulat & vivit. Foris pugnæ, & intus timores; & inimici hominis domestici & extranei. Alii insidiantur malignè, alii apertè vim faciunt; & ipsi per nos infirmi sumus. Thesaurus noster veritas est. Thesaurum hunc portamus in vasis fictilibus, quæ facile franguntur, & in medio latronum, qui furantur & mactant. Solus adjuvas. Sed si adjuvas, securi sumus, quia nemo furatur, & nullus habet nocendi vim.

Veni, Domine Jesu. Da infirmis famulis tuis spiritum fortitudinis tuæ, & nulla prævalebit adversitas. Da cæcutientibus spiritum lucis tuæ, & nulla decipiet falsitas. Adjuva nos. Sed ut adjuves, non ipsi adjuvemus te quasi infirmum, sed amemus ut salvantem nos; veneremur ut Deum. Cum interdum apparet vinci te ab hominibus, non ex-

pectas auxilium nostrum; sed tentas & experiris affectum. Non vinceris, Domine Jesu, nec adjuvaris, ipse adiutor noster, ipse victoria nostra. Semper veritate indigemus, nunquam nobis indiget veritas.

Ab sit ut quasi sapientiores aliud eligamus, quasi magis profuturum, quam quod ipse præcepisti. Absit ut quasi titubantem veritatem, industriâ nostrâ, non voluntate tuâ prævenientes fulciamus, & ipsi cadamus. Qui te infirmum suspicatur, infirmus; qui te labi putat, ipse labitur. Da nobis potius ut nihil veritati tuæ opportunum aut utile præter ipsam arbitremur. Quidquid affine mendacio, à veritate alienum est. Nunquam confugiamus ad tenebras, pro luce certantes; ne crimen sit in tam flagitioso turpique auxilio; & ad vincendum nihil aptius veritate judicemus, quæ sola vincit ut tibi vincamus, qui cum Patre, &c.

Pro Præposito.

I.

Vincenti dabo edere de ligno vitæ quod est in Paradiso Dei mei. Apoc. 2. 7.

DOMINE Jesu, Pastor bone, qui posuisti animam tuam pro ovibus tuis, offers mihi edere de ligno tuo, cruce tuâ, quæ est in Paradiso tuo, Ecclesiâ tuâ; fac ut tibi confixus cruci, hauriam ex eâ fidem firmitatem, ad passionis tolerantiam. Parasti in conspectu meo mensam, id est, crucem, dum me Pastorem designasti. Hortaris ut pugnem & laborem; adjuva ut vincam, & athleta tuus inde sublever unde premor. Esto mihi & lignum & baculus, cui securus incumbam, ne succumbam. Jubes ut sedeam ad mensam tuam, & edam; da verbum in ore meo.

ut quasi divinæ legis gladio perimam quidquid carnale fuerit in populo tuo, quem & vitæ sanctitate & puritate doctrinæ condiri voluisti.

Da cor rectum & sapiens, quod ex te sumat audaciam, ut opportunè & importunè arguam, obsecrem, increpem in omni patientiâ; & cum tentationum procellas increfcere extrinsecus videro, secessum spei Dominicæ appetens, fugiam intra conscientie portum, ubi coram te effundam cor meum. Esto brachium meum in mane, & salus mea in tempore tribulationis. Curram ad te pedibus dilectionis tui & proximi, ut sim Vicarius amoris tui. Sit amor, sed non emolliens; sit rigor, sed non exasperans; amem bonos, ut perseverent; malos amem, ne pereant; omnibus prosum, ut in æterna pascua deducantur, ubi de te satientur. Non reputo laborem, dummodò consummem cursum meum, paratus laborare & mactari, ut sic edam de ligno vitæ, quod est in Paradiso Dei mei. Amen.

II.

Qui præest, in sollicitudine. Rom. 12. 8.

Fac me, Domine, **in regendis servis tuis vigilantem, in adjuvandis strenuum, in consolandis humilem, in corrigendis vehementem, in amandis ardentem, & in sustinendis patientem. Pro eis tibi me interponam consulenti, & opponam irascenti. Sed ut me opponam irascenti, ignosce prius confitenti; parce peccatis meis, & noli irasci. Peccata hominum in diffidentibus ut Judex agnoscis, & in confitentibus ut Pater ignoscis. Ecce peccata mea confiteor tibi, Domine, ut mihi ignoscendo, & illis ignoscas. Ignosce, Domine, & quod pecco, & quod peccant. Nam mihi omni ex parte non parcis, nisi & illis parcas, quorum me curam habere voluisti.*

* S. Aug.

Ad alios pertinet propriorum cura peccatorum; ad me pertinet cura omnium. Et meis lædor & alienis, quæ etiam mea sunt, & quæ imputas. Sed utinam mihi tantùm noceret infirmitas mea, & non aliis. Væ mihi, quia fortè pondere peccatorum meorum premiatur & qui minus peccaverunt; adjuva me, ut illos adjuvem. Tu scis, Domine, quia cura peccatorum meorum, & illos spectat. Mihi magis timeo, quia illis timendum est; & ut spero, Majestati tuæ placere majus votum est, ut magis placeant.

Etiam, Domine, salutis servorum tuorum sollicitudo tam paterna, totum me occupet atque urgeat, ut meipsum obliviscar. Tu spes mea, Domine; confido, quia si mei sic obliviscar, tu non oblivisceris. Magnum hoc onus; sed si in alterius humeros conjectum esset, an ideò securus essem, quia liber? Non arbitror. Quod facilius, non ideò mihi facile; & quod difficilius, non ideò tibi difficile, quia ita potes salvare vel in paucis vel in multis, ut solus hoc possis. Salva me, Domine, quia omnia potes; & tantò magis salva servos tuos, quantò minus idoneus sum, cujus ministerio salventur.

III.

Curam illorum habe, & sic confide . . . ut lateris propter illos. Eccli. 32.2.

VERBA hæc tua, Domine, valdè me anxium reddiderunt. Tu dixisti cuicumque pro aliorum salute vigilanti: *Curam illorum habe, & sic confide.* Ergo frustra confidit, & ideò perit qui curam aliorum non habet, quamvis suæ ipsius salutis curam magnam habere videatur. Non se curat, qui alios non curat. Non enim ideò aliis præficimur, ut vulnera nostra curemus, sed ut aliena. Væ mihi, Domine,

si non parcis. Si nobis tantum vivimus, quæcumque sit virtus, non vivimus, quia aliis vivendum est. Quid faciam, Domine, non hoc agitur ut salvemur, sed ut salventur.

Ut lateris propter illos. Tua verba sunt, & hoc injungis. Quomodo propter illos lætabimur, nisi propter nos non lætemur. Adjuva me, Domine; da mihi cor paternum, quod privatos affectus nesciat, quod totum sit servorum tuorum. Insolens, sed vera precatio, si faveas: fac me velut extraneum in corde meo, in quo habites cum servis tuis. Ibi minus es, ubi magis sum. De illis cogitem, non de me; propter illos læter, non propter me. Totam meam tristitiam vindicent sibi, & non sit pars mihi in eâ. Timor meus pro illis sit, non pro me. Illis laborem, non mihi. Ita meus ero, si meus non sim; quia tuus ero, si pertinuerò ad servos tuos, hoc tantum ambiens ut salventur.

Proprias injurias, si fortè lædimur, semper obliviscamur; sed nunquam obliviscamur tuas. Non sit quod condonemus; sed sit tanta pietas, ut sentiamus tantum quod aliorum est, nec unquam dolore proprio torqueamur. Absit hoc à me, Domine, ut despici me agnoscam, cum despiceris, & cum periclitantur qui despiciunt. Sensus meus sit Domini mei, & filiorum Domini mei. Non sum mei juris, nec jam me spectat quod tantum meum est. Non est cor paternum, quod aliâ curâ tangitur quam filiorum. Sit in eo fornax amoris tui, in quâ peccata purgentur, nobis, seu potius tibi obedientium. Nunquam succendatur igne privato. Ignis enim quem venisti mittere in terram, non privatus est, sed communis; & totius corporis vita est, non unius tantum membri. Etiam qui privati sunt, illum extinguerent, si privatim de eo gaudere vellent: quantum hoc magis in corde paterno cavendum est, quod non est suum.

In eo tribunal constitue, in quo audias vocem

lacrymarum mearum, antequam iudices causam fervorum tuorum. Fœlices filii, quorum causam cognoscis in corde patris: fœlix pater, in cujus corde filii absolvuntur. Da mihi, Domine, lacrymas istas absolutrices, quæ tibi famulentur in condonandis omnibus iniquitatibus fervorum tuorum; ut omnium unum te amantium hoc sit unum negotium, Ecclesiæ tuæ amor & cura. Etiam, Domine, jube & fac, ut sic fiat. Amen.

Pro Præpositâ.

Da mihi liberos, alioquin moriar.

Gen. 30. 1.

DA mihi liberos, & tantam infunde charitatem, ut addere possim, *alioquin moriar*. Non impetares, Domine, sterilitatem hanc te amanti, si præ dolore orbitatis contingeret mors charitatis. Sed ut aliæ vivant, libens eligam mortem minus coram te petiosam. Elegerunt me in matrem. Tu fac matrem, qui ejusdem es cum patre naturæ. Concipiam de spiritu tuo. Da viscera miserationum tuarum, quæ sunt viscera matrum christianarum. Da unde concipiam, da unde pariam. *Serva & multiplica partus ancillæ tuæ*. Redde mihi dolorem, à quo sunt liberæ virgines tuæ. Magnâ gratiâ tuâ abstulisti à me tribulationem carnis, & dolorem parientium mulierum filios mortis; sed da mihi pios gemitus spiritus tui, & dolorem virginibus congruum, ut pariam filios vitæ Domino meo, qui est vita matris & filiorum.

Da mihi, Domine *cor desideriorum*, parturiens vitam in vitam æternam. Magno horrore fugiam quidquid est sæculi, ne noceat parvulis; & non aliud timeam, quam ne minus vivat per me, quod vivit per te. Placuit tibi ut me indignam in ministerium vitæ eligeres: nihil aliud faciamus. Tu da vitam, & auge vitam; ego mirer, & laudem authorem vitæ.

Tu creas carnem & spiritum filiorum in utero matrum; absit ut spiritum tuum qui est vita novæ creaturæ sibi tribuerent virgines matres, & ideo neque essent virgines, neque matres. *Da mihi liberos, sed eos agnoscam non esse à me, & ipsi agnoscant se esse à te. Ut sim mater digna tali sponso & talibus filiis, hoc sit unum negotium meum, rogare ut vivant, & gratias agere cum vivunt, ut solus semper glorificeris, qui vivis & regnas cum Patre & Spiritu sancto, &c.*

Pro Ædituo.

Domine dilexi decorem domus tuæ, &c.

Pf. 25. 8.

DOMINE, qui ædis sacræ tuæ obsequiis inservire me voluisti, da ut labor ille, qui templo tuo exornando impenditur, sit testimonium munditiæ cordis mei. *Diligam, Domine, decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ; ut ea mente cogitem, quæ manibus tracto. Da cor sanctum, da manus sanctas, da cogitationes sanctas, da ut in me nihil sit non sanctum. Sit ministerium fons votorum, fidei incentivum, pignus hæreditatis æternæ. Paveam ad Sanctuarium Agni immaculati; sit hic ille timor amoris, & horror honoris; dignior est enim, Domine, miseratio hæc tua in me, ut illud meum sit negotium adesse semper throno misericordiæ. Eadem sit cura, ne quid obrepat in moribus quod fratrum animos turbet; quæ inest ne pulvis vel quid immundum supersit in templo tuo, quod fidelium oculos offendat, vel eorum in te pios minuat affectus. Ut religiosus cultus patitur nihil in templo tuo, quod Deum meum minus deceat; sic curet amoris cultus, ut cor quod templum est Spiritus sancti, liberum sit ab omni maculâ & sorde peccati, sit plenum charitate Dei & proximi. Ardeat amor ille, qui extingui*

nunquam debet ; luceat indefinenter in templo tuo ; in corde meo ; sit lucerna pedibus meis , affectibus meis ; ut lumen afferam dum tuam domum ingredior. Dominetur in me charitas tua , conterat omnes affectus carnales , ut finitis carnibus , totus sim spiritus , dum tibi servio , qui spiritus es , & qui vis in spiritu & veritate adorari. Sint mores sine avaritiâ , contenti præsentibus ; ut tu , Domine , pars hæreditatis meæ , & portio mea in hac valle gementium , sis æterna mea fœlicitas in terrâ viventium. Amen.

S O L I L O Q U I U M .

De verbis mortis, & de verbis vitæ.

O S T U L T U M , populum Israel qui dicebat ad Moysen : * *Loquere nobis tu : non loquatur nobis Dominus , ne fortè moriamur.* Absit hoc à nobis , absit : imò , Domine , non loquatur nobis homo , & nos ipsi non loquamur , ne moriamur ; sed loquatur Dominus noster in corde nostro , & vivamus. Ecce , Domine , tam infirmi sumus , & morstam vicina in hac tantâ ægitudine filiorum Adam , ut si fortè verbum aliquod minùs submissâ voce , sed paulo contentiùs prolatum fuerit , in magno periculo mortis versemur ; & nisi misereris , ex tam levi causâ moreremur. Nihil refert quàm levis sit causâ , cum tam magnus est morbus.

Sed vœ nobis , Domine ! Non timemus morbum nostrum , & periculo nostro delectamur. Placet nobis stilus sonantioris eloquii , quia superbi sumus ; & tempestate quâdam verborum vehementiùs infirmam animam concutientium , quam ipsi adversum nos excitavimus , mirificè delectati , in præceps rapimur ; & ut nihil addi possit tam immani stultitiæ ,

* Exod. 20. 19.

cum in nostro hoc naufragio perimus, gloriamur.

Miserere nostri, Domine. Rem manifestam negare non possumus. Sapientiores fuerunt Ægyptii cum in eos iram tuam effunderes, & plagis tuis, dignis magnitudine percutientis & tanto eorum stupore qui percutiebantur, attriti peribant. Ipsi enim saltem perire se intellexerunt; & cum grandinem tuam pluebas habentem vim fulminis ad comminuendum, * *Qui timuit verbum Domini de servis Pharaonis, fecit confugere servos suos & iumenta in domos.* Prudentiùs egerunt illi cum servis suis & pecoribus suis, quàm nos cum animabus nostris. Nam si verbis interdum grandioribus, & ad similitudinem grandinis & majori impetu fluentibus utendum sit, cur nos interim non abscondimus sub alistuis, redeuntes ad cor, ** *sicut vir qui absconditur à vento, & celat se à tempestate?*

Non sic nos, non sic. Non tantùm eximus isto verborum grandine ferendi, sed nudatum pectus, & rejectâ loricâ fidei ne leviùs feriamur, periculo objicimus; & cum magis obruimur, tunc magis nobis placemus. Væ nobis. Cum sub carnifice diabolo morimur, hoc gloriam insanâ & crudeli interpretatione arbitramur. Supplicium nostrum nobis ornamentum est; & cum plures sunt gradus quibus patibulum altiùs conscenditur, honorificè nobiscum agi existimamus.

Libera nos, Domine, ab hoc vanitatis & stultitiæ nostræ opprobrio. Aperi oculos nostros, aut potiùs excæca oculos carnis nostræ, oculos Adam, quibus semper decipimur, oculos somniantium, seu veriùs, oculos morientium, & quibus morimur. Da nobis oculos christianos; & ut sint christiani, nihil aliud in rebus omnibus intueantur quam Christum tuum, ut cognoscamus te, & cognoscamus nos. Contemnamus verba transeuntia, ne ea amando, miserè cum illis transeamus. Non nos multùm delectet æ sonans & cymbalum tinniens,

* Exod. 9. 20. ** Is. 32. 2.

quod nisi spiritu Filii tui impellatur, nobis cimbalum mortis est, & triumphus inimici in miseris nostris & in cæcitate nostrâ exultantis.

Loquimur, Domine, & morimur. Loqueris, & vivimus. Cur ergo non filemus, ut loquaris tu, qui ferè semper files cum loquimur. Habes verba vitæ æternæ, quæ audientibus vitam infundunt. Apud te est fons verborum æternorum à verbo æterno, fluentium, quæ qui audiunt, fiunt æterni: apud nos verò fons est verborum lethalium, quæ mortem sæpe inferunt & loquenti & audienti. Obsigna, Domine, fontem hunc mortis christiano silentio, ut mors in sinu suo coercita, saltem non augeatur. Non enim se habet ut aqua fontium nostrorum quæ augetur cum non fluunt, & cum multùm hauritur, minuitur. Nam quo latiùs fluit hic fons mortis, dici non potest quantum augeatur; sed quo arctiùs continetur ut nihil ex eo effluat, eo magis minuitur.

Adhibe ergo custodem Angelum huic fonti exitii mei; & tu ipse custodi eum, ut minuantur aquæ mortis, & aliquando desinant. Aperi vero fontem tuum, fontem aquæ vivæ, ex quo vivunt quicumque vivunt. Hoc ipse docuisti nos cum dixisti per Prophetam tuum: **Et omnis anima vivens, quocumque venerit torrens, vivet.* Rapiamur, Domine, hoc torrente verborum viventium, qui antea torrente verborum mortuorum rapiebamur. O fœlices, qui sic fluminis impetu lætificantis Sanctos rapiuntur ad vitam, quia nullo impetu tentantis inimici rapiuntur ad mortem; cum vita tua, Domine, nostrâ morte sit fortior. Ædifica mihi domunculam in ripâ torrentis hujus, in blando illo & suavi murmure aquæ salientis in vitam æternam, quod silentii causa est. Lætificetur, & confirmetur cor meum. Maneam in verbo manente in æternùm; ut quamvis in perpetuo fluxu sim mortalitatis hujus, maneam ipse, non quia maneo, sed quia manes. Amen.

* Ezech. 47. 9.

S O L I L O Q U I U M

In Parabolam Samaritani. LUC. 10. 33.

BENEDICTUS Dominus, qui calamitatis nostræ non tam Parabolam quam historiam in suo Evangelio scribi voluit; ut illam legendo, & de nobis confunderemur, & de tantâ misericordiâ tuâ gloriaremur. Ego sum, Domine, ego sum qui incidi in latrones. Adam in nobis, & nos in Adam descendimus ab Jerusalem in Jericho. Civitas tua, Domine, latronibus non est obnoxia; sed væ descendentibus; væ relinquentibus te. Nihil tibi adhærenti timendum: omnia deserenti te timenda sunt.

Ecce spoliatus sum, & te amisso, omnia perdidimus. semivivus relictus sum, & utinam semivivus; nam veram vitam amisimus, & vita hæc tam saucio superstes vera mors est. Tibi & justitiæ tuæ mortui sumus, & iniquitati adversum te & adversum nos vivimus. A plantâ pedis usque ad verticem non est in nobis sanitas, & universum corpus una plaga est. Nec ut latrones isti, ita homicidæ nostri recesserunt: pœnis nostris satiari non possunt; adhuc in mortuos sæviunt.

Quàm verò vulnera illa descendentis ab Jerusalem levia sunt, si cum nostris conferantur! Quid vulnera mortalium corporum, ad vulnera animæ? Immortalia animæ immortalis vulnera nunquam sanarentur, nisi nacta fuissent Medicum immortalem. Ille quidem æger invitus vulneratus est, & vulnerari se doluit, & postquam vulneratus est, ingemuit: ego autem in latrones volens incidi, volens vulneratus sum; imò ipsâ meâ voluntate vulneratus sum; nam liberum hominem quis vulnerare potest invitum? Sed hæc ingens miseria est, quod vulnerari jam & mori volumus; cumque mortem

momentaneam, quæ vitari non potest, tam anxie reformidemus, mortem æternam, quæ vitari posset si timeretur, non timemus. Et ille qui spoliatus est, ante adventum Samaritani sanari voluisset: nos illo miseriore, vulneribus nostris favemus, & crudelitatem homicidarum adjuvantes, quidquid illis nocere potest ultrò quærimus, nec curari nos patimur. Quamobrem cum sanari volumus, hoc Medico nostro debet tribui, non ægrotanti. Desiderium sanitatis, quod jam illius quoddam initium est, opus tuum, Domine, & beneficium tuum est. Voluntas nostra, in nobis & nostra est, sed non ex nobis.

Sed quid oleum & vinum Samaritani, ad remedium quo curamur? Beneficium quidem contulit, sed quod illi non valdè molestum erat, oleum & vinum, obvia cuique remedia, nec quæ caritate multum commendentur. Duo denarii, & si quid forte amplius supererogavit, pretium leve. Non sic, Domine, non sic curasti nos. Mortuus es ut viveremus. Quidquid cogitari potest acerbum & atrox, pati voluisti, ut illud non pateremur. Dolorem vulnerum nostrorum tibi ipse sumpsisti, & nihil ferè nobis relictum est, præter gaudium sanitatis. Mors tua vita nostra est: remedium nostrum, Sanguis tuus. Quod tanto dolore fudisti, en quanto lætitiæ sensu bibimus; & hoc nobis ad sanitatem sufficit. Oculis fidei & amoris videmus patientem pro nobis, & adhuc magis amantem quam patientem: videmus, & sanamur.

Ecce dolores tui etiam in delicias nostras conversi sunt. Ipsa tua curatio, non tantum fœlix, sed reddit fœlicés. Imputas nobis quod sanasti nos, & merces ea quæ maxima sananti debebatur, ægris, postquam sanati fuerint, redditur. Non ita Samaritanus. Mercede suâ Stabularius non est privatus: pecuniam illi largitus est, quia in curando laboraverat, sed numquid saucio, quia sanatus fuerat? Gaudentem & gratias agentem dimisit in domum suam;

Sed numquid heredem bonorum suorum constituit, quod nequidem somnium est? Num Rex constitutus est, quod sanari voluisset?

Confiteamur hic Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus. Tu remedium morbi nostri; tu præmium sanitatis nostræ. Tu ipse sanas; & ut sanari velimus, tu ipse præstas; & tamen sic sanatis regnum, & regnum æternum, majus omnibus regnis, tanquam mercedem pollice-
ris. Nam hæc Apostoli tui vox est: * *Reddet mihi coronam justitiæ in illâ die justus Judex.* Domine, quod novum hoc remunerationis & justitiæ genus est, quam in sinu viscerum tuorum misericordia tua parturivit!

Sed planè justum est, Domine, ut ii vivant & tecum regnent, pro quibus idè mortuus es, ut viverent & regnarent. Absit ut meritis careamus, aut simus injusti; Sed tu Justus noster, Justitia nostra, & meritum nostrum. Miserere mei, Domine; non sufficio, vel commemorandis tantùm magnis misericordiis tuis. Tacebam illum qui tantam misericordiam Samaritani expertus est, nunquam læsisse Samaritanum; ego verò pugnando adversum te, vulneratus sum. Ille in jumentum Samaritani impositus est; tu verò ovem perditam, aut potius inimicum tuum, alligatis vulneribus ejus, super humeros tuos ipse portasti.

Parce, Domine, hoc dicenti: imò non parceres, nisi hoc diceremus & crederemus. Jumentum nostrum, Corpus tuum: & nos & peccata nostra [onus non solùm tam grave, sed etiam tam fœdum] ipse pertulisti in corpore tuo super lignum. Sed quanta est virtus patientiæ tuæ! Ecce portando ægros reddis sanos; & portando tam deformes reddis pulchros. Caro tua, in quâ habitat plenitudo divinitatis, contactu suo nos immutat, Spiritu tuo jam immutatos. Quid retribuam Domino pro omnibus

* Tim. 4. 8.

ORATIONES

que reddidit mihi, nisi ipsum Dominum meum? Et pro tanto beneficio gratias agam, novum beneficium restitua. Hoc largire, ut semper me in latrones incuisse meminerim, nec alio me remedio quam sanguine Filii tui potuisse sanari. Hoc si semper meminerim, gratus ero, nec amplius incidam in latrones. Amen.

Vere Samaritane, qui vulneratum Stabulario committere voluisti, da nobis Pastores secundum caritatem tuam, qui morbos tam graves animarum nostrarum ex arte tua curent. Sed cum eos dederis, nec ipse recede, sicut recessit Samaritanus; quia sine te Medici ipsi statim aegrotarent, & sine te aegri perirent.

Unius vinum vulneribus nostris, quod vi sua pungit, ut a tanto sapore excitati, timeamus te, & periculum nostrum fugiamus. Infunde oleum conciliationis, laborem poenitentiae lenientis, ne nimis tristitia adurbeat.

Aliga vulnera nostra, ne amplius serpent; infunde vinum, quod lenium excitet, ne malis meis obdormiam; unius oleum, quod leniat, ne desperem.

Amenus te, Domine, ut amemus nos sicut oportet, & ex hoc amore amor tuus augeatur. *Vna nostra cuiquam agamus diuina contemptu. Simus nobis ipsi cruciatae quam nostra, quae cum auferre non possimus, nos nostra sunt. Sit nobis vera beatitudo, beatitudinem mundi spernere; & in locum desideriorum serua, non solum viliam, sed etiam infanorum, amoris tu praecordia & salutaria desideria succedant.*

Ecce, Domine, advesperascit. Mors vicina est, & vultum incipit. Accedens opus, quia piger sum, & alere vult, quia infirmus sum. Alleva me, non liberantem crucem, sed addendo charitatem; ut computretur iugum à facie olei, quod nimis durum est, & multum amari levissimum erit.

* S. Eucher.

Ad Sanctos Angelos Custodes.

Angelis suis Deus mandavit de te

Pf. 96. 11.

SANCTI Angeli Custodes, qui semper videtis faciem Patris nostri; adjuvate nos ut sentiamus quam gravis sit pœna hujus exilii, quo eandem faciem videre prohibemur. Fide saltem, præsentem ubique illius majestatem revereamur & adoremus. Adorationis nostræ balbutientem infantiam, adorationis vestræ perfectio emendet & consoletur. Gaudemus vos posse quod non possumus, & tanto securi præsidio, mundum non formidemus insurgentem adversum nos, quia plures nobiscum sunt quam cum illo. Astutias Satanae quas ignorare non potestis, nec ipsi, vobis revelantibus, ignoremus. Malignos spiritus quos in cœlo vicistis, nobiscum in terrâ vincite.

Docete nos humilitatem & obedientiam, quibus superbos & Deo non acquiescentes de Cœlo expulistis. Facite ut erubescamus cum jumentis partiri cibum terræ, quia panem angelicum, panem fastidivimus cœlestem. Erigite nos ad gustandum ut possumus, cibum illum invisibilem quo utimini. Panem nostrum quotidianum, quem vobiscum communem habemus à Patre communi postulate nobis, nec illum postulate scientibus; quia tam Deo muti sumus quam mundo loquaces. Orate ut silentium vestrum amemus, sine quo vobiscum conversari non possumus. Subtrahite nobis verba mortua, quibus non vivitur; & linguæ in cœlo usitatæ rudimenta docete balbutientes infantulos, ut loquamur linguam matris nostræ Jerusalem, & audiamur.

Fidelium orationibus præestis; excitate nos ad orandum; & ut bene oremus, vobis ad hunc fontem vitæ nos impellentibus, semper oremus. Solitudinem æmulemur, in quâ semper degitis; quantum

fieri poterit, soli simus, ut vobiscum simus: & cum exiget conversationis humanæ necessitas, imitemur vos qui nobiscum estis in mundo. Quietis vestræ amantes reddamur, quæ robur vestrum est; & quibuscumque negotiis implicari fugiamus, quæ ita* charitatis otio contraria sint ut ea non exigat necessitas charitatis. Sed in hoc etiam, exemplo vestro erudiamur; & servatâ inter agendum religionis modestiâ, sic incipiat esse actio, ut non desinat esse quies: ne pax nostra, quæ ab actione charitatis firmior & constantior redire debuerat, ipso actionis quæsitæ strepitu & tumultu aut amittatur, aut certe minuat.

Ut pacis filii primogeniti, estote nobis pacis doctores, & fraternam concordiam promovete, quos nobis Deus, ut novum mutui amoris vinculum largitus est. Nec Deo nobis tam necessariam & salutarem custodiam concedenti, nec ipsi custodiæ ingrati simus. Vobis, & de vobis Deo, nobis gratiæ agenda sunt, & tanto utendum auxilio. Væ nobis si præsidium de Cælo, à quo omnis fortitudo est, neglexerimus. Cum tempus est pacis, vobiscum lætemur; cum tempus est belli, & miles trepidantibus ingruit, sub umbra alarum vestrarum fugiamus clamantes: *Domini, invadit nos; ut pugnetis ipsi bella nostra, & Deo largiente victoriam, superemus.

Omni vero tempore, nil sine magistrorum nostrorum consilio conemur, aut faciamus. Vos amici dulces, consilarii prudentes, auxiliarii fortes. Nullius nobis hominis amicitia sit suavior; nullius consilium ante vestrum requiramus; nullius auxilium præferamus auxilio quod nobis à Deo mittitur, & quod nullum aliud potentius esse fatendum est. Eas maxime virtutes æmulemur, quæ homines reddunt Angelis similiores. Virginitas, quæ natura vestra est; virtus nostra sit; & nunquam nobis desit humile gau-

* S. Aug. ** Tob. 6, 3,

ñum servatæ , aut dolor amiffæ. Spirituales oculos, qui nunquam in vobis clauduntur , frequentibus & majoribus vigiliis imitemur. Vilioris cibi necessitatem , quæ in vobis non reperitur , quotidiano jejuni-
nio , aut saltem quotidianâ temperantiâ compense-
mus.

Eodem loco miseras & egentissimas divitias ha-
beamus , quo vos eas habere cognoscimus ; & cum
hoc mundo non utamini , qui vobis indignus est, eo
saltem utamur tanquam non utentes , ut vester Pau-
lus , quia vestri etiam ordinis est, sæpius nos docuit.
Docete nos planctum & lacrymas , non solum dolo-
ris , sed amoris , quas nobis invideretis , si posset
invideri tam amicis , & si possent invidere tam beati.
Hoc uno fortè naturam vestram in hoc corpore mor-
tis antecellimus , quod pro gloriâ Dei vestri & Dei
nostri aliquid pati possumus , quod non potestis. Sa-
tagite ut nullâ inimicorum nostrorum astutiâ aut vi
hominum , gloria nostra evacuetur in hac parte.

In quovis loco , in quovis angulo, vobis reveren-
tiam habeamus. Non audeamus vobis præsentibus ,
quod homine vidente non auderemus. Præsentia ve-
stra excitet reverentiam; benevolentia devotionem;
custodia fiduciam. Hortamini & impellite ut ambu-
lemus ; custodite ambulantes in viis nostris , & quod
nobis utilius erit , in viis vestris. Si quando vires
defecerint quia infirmi sumus , sicut vobis à Pa-
tre nostro injunctum est , portate nos in manibus
vestris ; ne remanentes in viâ , tandem extra viam ,
& procul à patriâ cum desertoribus Angelis (quod
malorum omnium maximum est & quod à nobis ,
Deo favente , vestra cura avertat) inveniamur.



Ad Angelum quem vidit Ezechiel fig-
nantem *Thau* super frontes gementium,
&c. *Ezech. 9. 4.*

O ANGELUM amicū pœnitentiæ, cujus mi-
nisterio salvati sunt qui gementes, impetra mi-
hi hunc gemendi affectum. Signa *T.* super fron-
tē meam. *Væ* mihi; non enim salutare hoc sig-
num imprimebas ut gementes, sed quia gementes.
Verumtamen quia bonus est Dominus tuus, & mi-
serationes ejus super omnia opera ejus, pete ab eo
in gratiam peccatorum, ut prima hæc conditio si-
gni mutetur, sitque non solum præmium gemen-
tium, sed causa gemendi. Signum istud crucis po-
tentius esse debet postquam crucifixus est Dominus
Jesus. Sumat efficaciam à sanguine agni. Quod ab
ipso significatur, etiam impleat, ut significet gemen-
tes, & faciat gementes.

Sed memineris, Angele sancte, nihil esse durius
fronte peccatoris. Iterum atque iterum signa. To-
tam frontem distingue vestigiis salutaris Sacramenti;
ut nunquam nisi mundum erubescam. Non pingatur
foelix signum, nam colores facilius eluuntur, sed
insculptatur. Tam altè imprimatur vulnus quod sit
causa sanitatis, ut nec miserè sanetur in morbum,
nec unquam cicatrix obducatur. Tam profundum
sit, ut cor ipsum penetretur. Nam si integrum re-
maneat & liberum à salutari compunctione, non
sum amplius ipse integer; liber non sum amplius,
& perire necesse est non amantem. Noli cessare:
unicum *T.* ei sufficere non potest, qui sibi gemere
debet & fratribus; qui gemere debet ipsi Ecclesiæ;
cui non tantum lacrymas meas debeo, sed meipsum.
Gemam mihi, gemam meis, gemam alienis, si quid
alienum est à discipulis ejus, qui pro omnibus mor-
tuus est, ut omnes ad eum pertinerent, Gemam;

quia tam pauci sunt qui gemant. Gemam, quia non gemo, & ut gemam. Si sunt qui gemant, lacrymas mutuâ charitate lacrymis jungamus. Si defunt, adhuc dolentiùs gemendum est; ut lacrymæ non solum ex meis, sed etiam aliorum oculis eliciantur. Si posses aliquid invidere tam miseris ipse tam fœlix, nobis certè lacrymis invideres. Hoc uno superamus fortè fœlicissimam conditionem tuam, quod flere non potes, nobis flentibus; beatus quidem, sed sine cruce & sine lacrymis, in quibus præcipuum est Christianorum decus & ornamentum.

O fœlices nos, si Christo compateremur patienti! sed quid infœlicius, quibus tot causæ doloris suppetunt, dolentibus tam sæpè, & dolorem suum perdentibus. Fiemus corpori, naturæ, cognatis; & non flemus nobis ipsis. Cum veræ non sint miseræ quas tam facilè deflemus; quid dicam, nisi flere nos mundo, ut miseri simus; & incredibili dementiâ, non flere Christo, ut simus fœlices. Lacrymæ steriles & noxiæ, æterno supplicio puniuntur, & profluunt. Lacrymæ pœnitentiæ sanatrices, lacrymæ charitatis, quæ jam sanorum sunt, æterno regno remunerantur, & sicci sunt oculi. Si quid potes, & multum potes, quia nihil posse vis nisi in Deo, adjuva infirmitatem meam. Prohibe gemitus homicidas. Nec pericula, nec damna gemam, nisi æterna. Nimum fieri non potest, quod non potest satis fieri. Nihil aliud fleam, ut flere possim uberiùs totum Adam, omnesque qui pereunt, & qui pereundo lætantur.

Ad sanctum Joannem Baptistam.

I.

SA N C T È Joannes Baptista, qui tam innocens stantam egisti pœnitentiam; intercede pro nobis, ut qui innocentiam tuam imitari non possumus, pœnitentiam imitemur; dignos ejus fructus sic facien-

tes, ut quod aliis virtutibus deerit, dignâ saltem humilitate compensemus, per Christum, &c.

II.

DOMINE Jesu, qui sancto Joanni Baptistæ qui tibi testimonium perhibuerat, hoc ipse gloriosum testimonium perhibuisti, quod in eo fecissent quæcumque voluissent: da nobis, quæsumus, eo intercedente, ut non curæ sit resistere temporalia hæc & vitam ipsam eripere volentibus; ut thesauri potioris direptionem aggredientibus, qui in fide nostrâ repositus est, toto corde & ideo libero resistamus; eligentes potius humiliari cum mitibus, ne veritatem humiliari contingat, quam periculum nostrum illius periculo redimere: hunc te nobis dante intellectum, ut credamus quia pro eâ humiliari vera gloria; pro eâ captivari vera libertas; & pro eâ mori vera vita est; qui cum Patre & Spiritu sancto vivis & regnas, &c.

Ad sanctum Paulum.

DEVS, qui sancto Paulo securitatem in periculis, charitatem in scandalis, & virtutem in infirmitate pertecisti; da ut piâ ejus intercessione, mala aliorum & nostra nobis proficiant ad salutem, & ne frustra fortes simus aut infirmi, da nobis fortitudinem laudantem te, & infirmitatem nihil à se, sed omnia à tuâ, misericordiâ sollicitè & humiliter expectantem; per Dominum, &c.

Litaniæ in honorem sancti Joannis Evangelistæ.

SAncte Joannes, Dominici pectoris particeps,
 qui inde haufisti Theologiam, unde haufisti amorem,
 ora pro nobis.

Sancte Joannes, qui duplicem thesaurum in cenâ

& in Cruce solus reperisti ; in Cœnâ pectus Christi
& in Cruce matrem Christi, ora pro nobis.

Sancte Joannes , cui tanquam Virgini datum est
Virginem habere matrem , & matrem Dei , ora
pro nobis.

Sancte Joannes , qui Cruci Mariam debes , & qui
matrem non haberes matrem Dei , si Crucem mor-
rientis horruisses , ora pro nobis.

Sancte Joannes , qui fuisti filius Crucis , ut esses
filius Virginis , & vel hinc pateret , Crucem quan-
tumvis amaram , fructus afferre dulcissimos , ora
pro nobis.

Sancte Joannes , qui matri Verbi non tantum
filius fuisti , sed nutritius & pater , pascens eam
verbo Dei , & Eucharistiâ filii ejus , ora pro nobis.

Sancte Joannes , quem diligebat Jesus , Discipule
veritatis , & Magister amoris , ora pro nobis.

Sancte Joannes , Prædicator dilectionis , qui ni-
hil aliud docebas , ut hoc magis doceres nihil aliud
esse discendum , ora pro nobis.

Sancte Joannes , qui magnus fuisti contempla-
tione , sed major amore , quia foelicus est possidere
quam intueri , ora pro nobis.

Sancte Joannes , qui majorem horum non habuisti
gratiam , quàm ut audires filios tuos in veritate am-
bulare , securior in dilectione fraternâ , quam in
contemplatione Dei , bono nostro plus gaudens
quam tuo , ora pro nobis.

Sancte Joannes , qui tantæ utilitatis & necessitatis
Evangelium non scripsisti nisi senex , & ad illud scri-
bendum non adductus es nisi impellentibus Ecclesiis ,
ora pro nobis.

Sancte Joannes , qui ut dignè nos pasceres verbo
Dei , & jejunare ipse , & Ecclesiam ipsam jejunare
voluisti , ora pro nobis.

Sancte Joannes , cujus Theologia nec sublimior
esse potuit , quæ ad Verbum usque in sinu Patris
ejecta est ; nec humilior , quæ ad Verbum car-

nem factum descenderit, ora pro nobis.

Sancte Joannes, qui Magistrum tuum imitatus, errantem miserè ovem sollicitus quævivisti vel inter latrones; & inventam lætus propriis humeris reportasti, ora pro nobis.

Sancte Joannes, qui fuisti Apostolus, Evangelista, Doctor Ecclesiarum, Propheta & Martyr, ora pro nobis.

Sancte Joannes, exemplum innocentium, & consolatio pœnitentium; qui non minus fuisti magister pœnitentiæ quam charitatis, ut ostenderes neminem magis amare, quam qui adducit ad pœnitentiam, ora pro nobis.

Sancte Joannes, quem opus non fuit Martyrem esse passione, qui fuisti Martyr amoris, ora pro nobis.

Sancti, qui per viam charitatis pervenistis ad patriam veritatis, orate pro nobis.

Sancti, qui amando transistis de morte ad vitam, ut adhuc perfectius amaretis, orate pro nobis.

Sancti, qui in ipso charitatis opere mortui estis; & sic non estis mortui, quia non moriuntur qui amant, orate pro nobis.

Sancti, qui in ipso fraternæ charitatis ardore morientes, nihil mortis in morte ipsâ invenistis, orate pro nobis.

Sancti, quos ipsa mors vitæ conjunxit, cum invenit amantes, orate pro nobis.

Ad sanctum Augustinum.

DEUS, qui sanctum Augustinum tuâ charitate flagrantem, & veritatis contemplatione supra humana evehit, Ecclesiæ tuæ lucere voluisti, quam scientiâ & sanctitate defenderet & solaretur; da nobis piis ejus intercessionibus, ut tantæ virtutis imitatione, nullo gaudio nisi veritatis, nullo fructu nisi charitatis delectati, mortalem vitam, vitæ divi-

næ gustu & experientiâ facile contemnâmus; ut te unum amantes, te uno beati simus; per Dominum nostrum, &c.

Ad sanctam Mariam Magdalenam.

DOMINE Jesu Christe, Salvator mundi, qui cum iter faceres per civitates & castella, prædicans & evangelizans regnum Dei, indulxisti Mariæ Magdalensæ, ut amoris, grati animi, & piæ erga te sollicitudinis officiis emineret inter mulieres, quæ curatæ ab infirmitatibus sequebantur te, ministrantes tibi; da ut sequar te quocumque ieris, ministrans tibi de facultatibus meis, si quas ancillæ tuæ contuleris, & reddens Domino dona sua, hoc teipso largiente ut reddam. Sequar & usque ad crucem, & ascendam tecum Jerosolymam; ubi enim foeliciùs staret Magdalena, sive quæcumque mulier quam sanaveris, nisi juxta crucem cum matre tuâ. Hic stem, Domine, sumptâ à cruce morientis audaciâ; nec me terreant qui crucifigunt, sed invitet qui crucifixus est. Sim testis mortis, tecum patiendo; ut sim testis resurrectionis, non amplius moriendo.

Sed quomodo testis essem resurrectionis, nisi venirem ad monumentum. Non impediar, licet adhuc tenebræ sint, lucem visura in sepulchro. Quicumque enim tecum consepultus est, absque verolumine esse non potest. Utinam, Domine, sic resurgerem, ut nunquam desererem sepulchrum tuum, Angelorum contenta consortio, cui contraria est consuetudo vitæ mortalis. Non facilè Angelos videt, qui aliud videre vult; & minus beatis Spiritibus familiaris est, qui cum hominibus conversatur.

Da mihi ergo, Domine, ut nunquam intrem in sepulchrum meum, quia locus est corruptionis; & nunquam egrediar de sepulchro tuo, quia locus est quietis, & schola beatissimi otii, in quâ ad immortalitatem erudimur. Sed si exeundum erit, da ut

non exeam nisi locutura Apostolis tuis, nec locutura nisi de resurrectione. Et quamquam sic utile sit exire de sepulchro, da ut non exeam, nisi mox reversura, nihil præferens otio sponsæ nisi teipsum.

Dic mihi etiam, Domine, sicut dixisti amantissimæ mulieri: * *Noli me tangere*, ut jam ** *non cognoscam te secundum carnem*. Non avida sim tactus, & cujuscumque consolationis humanæ, habens solatium spei divinæ. Non te tangam, Domine, sicut tangunt ii, quibus *nondum ascendisti ad Patrem tuum*, ut ibi te tangam. Tangeris fide, tangeris cordis munditiâ, tangeris charitate. Da mihi pennas columbæ, ut evecta per te super consuetudinem sensuum, tangam te in altissimis, in quibus glorificaris, & quo non ascendunt nisi humiles. Ibi tangam te sicut tangit te sponsa, sic tuis beata deliciis, ut omnes mundi delicias meliori gustu fastidiat. Ibi te tangam fide tam plenâ, ut *** *meipsum oblita*, nec tangam meipsam; vacua humanis, ut impleri merear divinis, per Spiritum tuum, qui cum Patre tecum vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Ad Sanctam Mariam Bethanidem.

O FOELIX Virgo, quæ, donante Christo, optimam partem elegisti, à te non auferendam; fave clientibus tuis, & adjuva me. Ipsa quoque optimam partem elegi, quia ut eligerem, gratiâ Dei mei præventa sum; sed timeo ne auferatur à me, quia in statu perfecto imperfecta sum. Pars quidem optima electa est, sed non ideò bona quæ elegit: & tanto indigna beneficio, proxima est periculo amittendi. *Unum est necessarium*, & multis occupamur. Negotium charitatis cedit interdum negotio vanitatis & rerum transeuntium, quæ foeliciùs succedunt contemnentibus, quam sollicitè curantibus. Pars optima à malitiâ diei corrumpitur; hinc perit.

* Jean. 20. 17. ** 2. Cor. 5. 16. *** S. Bern.

Solum ne auferatur à nobis regnum Dei, & detur genti facienti fructus ejus. Subveni tanto periculo, & roga Sponsum ut nil aliud quam sponsæ simus.

Quæ Martha est, virtutis profectu assurgat aliquando supra seipsam, sed nunquam infra se descendat Maria. Nec sollicitæ sint, nec turbentur quæ ministrant; quanto magis quæ Deo vacant. Imitentur Mariæ Mariam. Nil aliud quam *sedebas secus pedes Domini*, audiens verbum illius; surgant qui aliud noverunt utilius quiete sponsæ, gloriosius pedibus sponsi, aut melius verbo Dei. Quò iremus relinquentes sponsum; aut quæ superesset vitæ spes, non audientibus amplius verba vitæ æternæ. Hoc unum oramus Patronam nostram, ut solummodo sollicitæ simus circa unum; aut potius ne quidem sollicitæ simus, quia non tam curâ & sollicitudine, quam spe & humilitate ad illud unum pertingitur, in quo jam tota exultas inter amplexus sponsi, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Ad Sanctam Peccatricem. *Luc. 7. 37.*

DEUS clemens & misericors, qui Peccatricem proposuisti in exemplum pœnitentiæ & amoris; da nobis imitari pœnitentem & amantem. Ubi-
que audiero accumbere Dominum meum, religio-
sâ festinatione accurrâ. Nec spernam domum
Pharisæi, propter tantum convivam; nec curem
fastidium ejus, dummodo osculer pedes tuos. Stem-
retro, nolens videri ab hominibus, & tantum quæ-
rens videre Salvatorem meum. Non desinam rigare
lâcrymis pedes Domini mei & osculari, ut compun-
cta propter fletum, & læta propter osculum, jun-
gam tristitiam pœnitentiæ gaudio spiritûs tui; atque
ita nec lacrymis dejecta, nec osculo elata, adhæ-
ream semper vestigiis tuis.

Deus misericordiarum, qui Peccatrici remisisti

peccata multa, quia dilexit multum, largire nobis abundantiam charitatis tuæ, quæ operiat multitudinem peccatorum. Remitterentur nobis peccata multa, si multum diligeremus. Sed cum magna sint peccata & charitas parva, ingens morbus tam inæquali remedio non solvitur, & breve pallium tantam nuditatem operire non potest. Quid nos ultra fallimus? * *Si laverimus nos nitro, & multiplicaverimus nobis herbam Borith, maculati sumus in iniquitate nostrâ coram te, nec ablui potest nisi in spiritu ardoris.* Nulla alia remedia sufficiunt: ** *Plaga nostra insanabilis, nisi charitate sanetur.* Non amando te, cecidimus; nec surgere possumus, nisi te amando. Quam suave remedium, Deus meus, amore sanari, & tuo amore! Tam insipientes sumus, ut nec sic nobis placeat sanitas nostra, quæ etsi per se minus optanda esset, ob remedium optaretur.

Sana me, Domine; sed sic sana, & sanabor. Peccatricem lego, non aliam audio pœnitentiam. Justus es, Domine. Remedia tua magis quam te poscentibus, teipsum negas, sine quo non profunt. Alia remedia solum remedia sunt; charitas verò, Medicus est; neque enim pœnitentia, sed *charitas* es. Ante ipsam fœlicitatem quam polliceris, quanta jam fœlicitas per te sanari, cum charitate sanamur. Ipse remedium ægrotantis, ipse præmium sani. Nullum remedium respuam, Deus meus, quod imperaveris; sed fiducia mea in charitate sit, quæ sola medetur, & quæ aliorum omnium remediorum tota vis est. Plus de Medico meo sperem quam de quocumque remedio; & ipse mihi Medicus remedium est, cum sanat amando, quia amor est. Etsi non eadem esset ratio sanandi alios, sponsas tamen tuas deceret amore sanari. Quam infœlices essemus, si cum alios omnes sanat sponsus quicumque sanantur, non ipsum nos magis in auxilium vocaremus, quæ sponsæ sumus.

* Jerem. 2. 21. ** Isai, 44.

Amem te, Deus meus ; sed multum amem, quia multum ægrotō ; & ad omnem sanitatem sufficit mihi amor tuus. Imò delectet me magis remedium tuum, quam sanitas mea. Sed ipsum hoc remedium sanitas est, & vita est, & sola fœlicitas. Remedium est, quia sanat : vita est, quia non aliundè vivimus, & sine eo morimur : fœlicitas est, quia cum illo caremus, nullum malum deest, & miserimæ sumus. Cum illud possidemus, omne bonum adest, & fœlicissimæ sumus. Amplius lava me, ut amplius amem te. Amem te, Domine, quia sponsa sum. Amem te, quia ægra sum. Amem te, quia pereō. Amem te, ne peream. Amem te, ut sim ubi es, & beata sim, sed de te, quæ major beatitudo est, qui cum Patre & Spiritu sancto vivis & regnas in sæcula sæculorum. Amen.

O Sancta Peccatrix, quæ virgines ipsas verâ virginitate antecedis, intus virgo, & ideò virgo, quia sponsa Christi, * *cui conjungi virginitas est* : pœnitentium Patrona & virginum, adjuva me ancillam Christi apud Christum.

* S Paulin.



VARIA SCRIPTURÆ LOCA,
in argumentum orandi.

Vigilate. Math. 24. 42.

VIGILEM, Domine, quia nescio quâ horâ venturus sis, ne me invenias imparatum. Vigilem, ne deficiente oleo extingatur lucerna, & tenebræ succedant sempiternæ. Vigilem ne intrem in tentationem. Vigilem adversus furem insidiantem, ne suffodiat domum, everso charitatis & veritatis fundamento. Vigilem adversus mundi amorem, tam altè insitum atque intimis infixum medullis. Vigilem, ne ulla salutis occasio inutilis elabatur. Vigilem, ne dormiam. Vigilem, ne me amem. Vigilem, ut te amem. Vigilem, ut semper orem. Sed vigilem tecum, quia sine te vigilare, dormire est, & quovis somno periculosius.

Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipsum audite. Mat. 17. 5.

DOMINE, ecce Filius tuus dilectus in quo tibi complacui. Ecce legifer noster, judex noster, & justus noster, advocatus noster, frater noster, & pater noster; medicus noster, remedium nostrum, & sanitas nostra; caput nostrum, vita nostra, & beatitudo nostra. Placeat nobis, Domine, tam ingens donum, quod à te accepimus ut tibi redderemus. Solum nobis placeat, quod solum tibi placet, & per quod tibi placemus: ut non ingrati beneficio infinito, amemus, & amemur, quod sufficit nobis.

Jussisti ut audiremus Filium tuum. Etiam, Domine, audiamus illum, & docti simus. Paucis christiano ad scientiam opus est; unctio spiritus ejus docet de omnibus. Nihil aliud audire, nihil aliud scire præter Christum crucifixum, omnia scire est. Ma-

gister noster est; illum humiles & admirantes audiamus; quod ut fiat, claude in nobis aures quibus auditur mundus, & da nobis aures audiendi quibus auditur Christus tuus.

Offerre spiriuales hostias, acceptabiles Deo per Jesum Christum. 1. Petr. 12. 5.

MIHI ipsi sacerdos sim, ut immolem Domino meo hostiam beneplacentem. Absint hostiæ judaicæ; habeo intus quod occidam. Da mihi, Domine, gladium spiritus, ut interficiam in me quod vivere non deberet. Fundatur omnis sanguis Adæ, beneficio sanguinis Filii tui; & digna erit victima quæ tibi offeratur. Offeram tibi & Christo tuo hostias Christianorum, hostias fidei, spei & charitatis, quæ cum tuæ sint, tibi displicere non possunt.

Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis. Galat. 3. 27.

HEI mihi! cur tantum mediâ ex parte Christianus sum? Quomodo abscondam me à Domino meo, qui tam multa videt in me ex mundo, tam pauca ex Christo? Totus sim Christianus, Domine; & ut tanta dignitas salva sit, quidquid in me aut ex me est, sit suo modo christianum. Vestis mea & omnis suppellex referat paupertatem Christi. Cibus ipse & potus sapiat mortificationem Christi. Mores imitentur mansuetudinem Christi, & zelum Christi. Os meum muniatur silentio Christi, aut verbis Christi. Servetur cor meum charitate Christi, & meditatione veritatis Christi. Hei mihi! vel levis imitatio mundi, magna jactura; vel ipsum initium imitationis & meditationis Christi, magnum lucrum

e

**Nulla particula boni doni nos prætereat, & nihil*

**Eccli. 14. 14.*

amittamus maximi doni tui, quod est filius tuus; Cum omnis locutio, omnis actio & omnis passio Christi, sit remedium & vita Christiani. In cibo & potu nostro, meditemur temperantiam ejus; laborem nostrum erigamus, consolatione laboris ejus; in lassitudine nostrâ, veneremur lassitudinem ejus; in convivio admiremur simplicitatem conversationis ejus. Si factio aut dictio lædimur, imitemur mansuetudinem ejus. Si quid nobis displiceat & nimis amarum videatur, recordemur fellis ejus quo potatus est. Si adversitate premamur, gloriemur in tribulationibus nostris ob spinas coronæ ejus; nec fugiamus quod elegit in coronam. Denique omnis vita nostra sit imitatio vitæ ejus; ut in morte nostrâ inveniamus requiem mortis ejus.

Non est regnum Dei esca & potus:

Rom. 14. 17.

TERRET me, Domine quod dixit unus ex servis tuis: *neminem intemperantem esse simul & fidelem;* & quod ab alio audivi eminenti magistro morum christianorum: *nunquam se vidisse intemperantem verè conversum.* Non solùm ista me terreat, sed immutent. Non propter fragmen panis deseram Dominum meum & spem regni ejus, magis prophanus quam Esau. Non enim vendidit regnum cœlorum, sed tantùm jus hereditatis terrenæ in quâ nihil præter terram cogitabat; ego verò panem morientium & panem mortis præfero miser & insanus pani vitæ, pani æterno, pani regum & facienti reges! tantùm enim verè regnatur quantùm verè manducatur.

Non sit nobis mensa negotium cupiditatis, sed tantùm sanitatis, ne quod vitæ necessarium est militet morti. Timor tuus, Domine, optimus omnium officiorum magister, subtrahat voluptati quidquid futurum esset oneri; & ratio mortificationis habeatur, ne, quod absit, crux Christi per quam vivit, excludatur à convivio Christiani.

*Da nobis auxilium de tribulatione , quia
vana salus hominis. Ps. 59. 13.*

TIMEAM magis quam amem auxilium hominis , in quo cum confidimus , tuo privamur. Firmissimum verò credam esse præsidium , pœnitentiam orantis , & orationem pœnitentis. Qui enim conversus à viis suis , affligit animam suam coram te , & orat Dominum tam misericordem , confidens in eo , jam salvus est.

*Dilectus meus mihi , & ego illi.
Cant. 2. 16.*

TE mihi das , dem me tibi. Mortuus es pro me , saltem vivam tibi. Amasti ab æterno ; non patiar ut pars ulla temporistam brevis effluat , in quo non amem.

*Videte qualem charitatem dedit nobis
Pater &c. Joan. 3. 1.*

NEMO amat , Domine , sicut tu amas. Et ipsa patrum patientia deficit , & ipsa matrum viscera angustiantur , & amici sæpè absunt , & si adsint , semper dare non possunt. Infinitæ inopiæ , finitis & circumscriptis divitiis & angustâ charitate subveniri non potest ; cavendum ne ipsis etiam simus importuni. Non ita tecum , Domine. Semper das , & te ipsum das ; & displicet tibi non esse importunos. Semper ades , quia ubique es. Semper amas , quia amor es. Potenter amas , quia Deus es. Cum nihil esse volumus , nobis es omnia : lux quâ cernimus , panis quem edimus , vita quâ vivimus. Non solùm nobiscum , sed intra nos es , sed in cordibus nostris habitas per fidem. Quid nobis conjunctius membris nostris ? Non solùm membrum & pars nostri , sed

caput & vinculum omnium membrorum. Tam amas nos ut nolis esse sine nobis : tam amas nos , ut suavissimam nobis necessitatem amandi te imposueris ; ecce enim vivimus amando te , & morimur non amando.

Nolite conformari huic seculo.

Rom. 12. 2.

INDIGNUM arbitremur , filios tuos contristari & gaudere cum sæculo , quos discernis à sæculo , liberas à morte æternâ , & quibus promittis vitam æternam. Magnitudine fidei æternitati inhærentes , mala & bona non solùm transeuntia , sed etiam momentanea contemnamus. Da nobis gaudium spiritus tui , vana mundi gaudia & vanam tristitiam vero gaudio & utili tristitiâ excludentis ; ne si non gaudemus de supernis , necessarium sit gaudere & contristari de infimis.

Nos sumus circumcisio , qui spiritu servimus Deo. Philip. 3.

DA mihi , Domine , ut circumcidam quidquid circumcidi potest bonorum externorum , ut plus abundem divitiis simplicitatis tuæ paucis egentis , in quibus est Christi tui pretiosa paupertas , quæ non tantùm divites , sed reges , sed Angelos facit.

Abcondes eos in abscondito faciei tue.

Ps. 30. 21.

ECCE , Domine , adhuc tenebræ super universam Ægyptum ; ecce adhuc Angelus occidit primogenitos Ægypti ; nulla est domus , in quâ non sit mortuus. Adjuva me ut non egrediar tam periculoso tempore grandinis & fulgurum , cum etiam vel securiori tempore sine periculo non exeat. Con-

lineam me intus, Domine; foris infideles, intus
justi; foris damnas, intus absolvis.

Particeps ego sum omnium timentium te,
Pl. 118. 63.

IN O P S sum, Domine; non pecuniæ, cujus defectu filii tui divites sunt, sed bonorum operum, quæ intolerabilis paupertas est; & præterea nihil patior, quia parcis infirmitati meæ, & hoc periculosum genus inopiæ. Da mihi ergo, ut sustentem utcumque inopiam bonorum consolatione & gaudio fraternæ virtutis; & magnam nihil patienti inopiam levem, compatiendo patientibus; ut nuditatem meam cooperiat coram te gloria tribulationis alienæ, si aliena dici potest gloria membrorum tuorum, in quibus me esse voluisti.

Aut pati, aut mori. S. Theres.

O Vocem * sponsæ dignam sponso, quam igne amoris tui accensa, ex fundo viscerum ardentium verbis ardentibus expressit ut doceret nos mater in Israël. Sed hoc multum ad parvulos, qui nondum valent consistere pedibus suis, & ingredi. Aiebat illa: *aut pati, aut mori*; sed infirmitati nostræ convenientius rogamus te, Domine: aut tibi vivere, aut mori. Cur enim vivimus, si tibi non vivimus? Aut vivam tibi vivendo, aut certè moriar; ne tuus esse desinendo, in æternum moriar, quod absit à nobis.

Revera quidquid mihi fingam me ipsum decipiendo, non placet mihi vita, nec eam quæro, si viam vitæ aut fugio, aut reformido. Væ mihi, Domine, si vitam hanc amo, quæ via est mortis, & mortem odi quæ est via vitæ & via compendii. Qui vitam amat, mortem expectet, ne mortem fugien-

*S. Theres.

do fugiat vitam, & mortali hac vitâ, seu veriùs morte delectetur. Da mihi ergo ut patienter vivam, & lætanter moriar, ut benè vivam & benè moriar.

Timuimus valdè, & providimus animabus nostris, timore compulsi.

Josue 9. 24.

IGNOSCE mihi, quia peccavi, & nondum placavi faciem tuam. Adhuc vellem vivere, ut converterer ad Dominum meum in toto corde meo. Quæro spatium vitæ, quia quæro spatium pœnitentiæ. Sed vœ mihi, si amo vitam, & non amo pœnitentiam, Da mihi, Domine, ut timor hic mortis oriatur ex timore judiciorum tuorum, & amor vitæ ex amore pœnitentiæ. Sed ita mortem timeam, ut timendo provideam animæ meæ; nec velim vivere, nisi ut sanctiùs vivam, & sanctiùs moriar.

Sed quid agam, Domine? Vita hæc mea magis servit peccatis quam pœnitentiæ. Si timeo mortem timore judiciorum tuorum, cur non timeo vitam timore peccatorum meorum? Timor inferni parit timorem mortis; sed cur timor peccati non parit timorem vitæ, cum peccatum ipsum infernus sit, & causa inferni?

Miserere mei, Domine. Etiam cum peccatum timeo [quod erubescendum est] non tam illud amore tui timeo, quam amore meiipsum, qui amor peccatum est, & causa peccandi. Peccata quæ sunt ad mortem timeo, mortem animæ & pœnam inferni timens; peccata verò quæ levia ab hominibus judicantur, & morbum magis animæ quam mortem inferunt, non valdè reformido. Heu me! minor mihi est animæ cura quam corporis. Ecce febrem non parum metuo, quia non parum metuo mortem, quæ ex febre oriri potest, & sæpè mortem affert, licet Medicis aliter opinantibus; & morbos animæ in peccatis levioribus contemno miser, quamvis
morti

morti æternæ locum dare possint , & id sæpè judicio Dei grave sit, quod hominum judicio leve videbatur.

Non quod volo bonum, hoc facio ; sed quod nolo malum , hoc ago. Rom. 7. 19.

ECCE, Domine, inimicus meus utitur me ipso adversus me ipsum. Voluntas mea gladius illi est quo me interficit, animam occidens immortalē. Eripe frameam hanc ab inimicis manus tuæ. Voluntas mea Redemptori meo serviat, non trucidatori. Da in animo meo constantiam, ut reddam illi quod meretur, eandem belli rationem initurus. Ipsa ejus nequitia in caput ejus convertatur. Da mihi, Domine, ut cum tentat, & adversum me insurgit, exindè humilior fiam; & sic suo ipse gladio vulnerabitur.

O Domine , ego servus tuus , & filius ancille tuæ Psal 115. 16.

DA mihi amorem matris meæ, quam multum amari præcepisti. Vivam tibi, & Ecclesiæ tuæ, adjuvans illam bonis operibus, & quod adhuc illi gratius, bonâ voluntate & desiderio cordis mei; nihil enim magis amat quam charitatem, cum sit sponsa charitatis; & nunquam magis à filiis suis adjuvari se arbitratur, quam cum magis amant.

Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Rom. 8. 28.

DOMINE, cui non minus tempestates serviunt quam sudum & tranquillitas; res corpori adversas fac prosperas animæ meæ; calamitatibus ipsis, & malis temporum momentaneis utar ad salutem æternam; & sicut prosperitas etiam spiritualis occi-

IXXIV ORATIONES

dit stultum spiritualem, ita adversitas etiam spiritualis, efficiendo me humilem, sapientem efficiat & spiritualem.

Dimittite, & dimittimini. Luc. 6. 37.

O AMANTISSIMAM legem & plenam misericordix: *Dimittite & dimittimini!* O plenitudinem charitatis! Ecce mihi decem millia talentorum debenti, dimittis omnia, si dimittam ipse debenti denarium. O infelices, quibus nihil debetur, cum tantum ipsi debeant! O mihi felices inimicos, quibus cum parco, mihi parcis! O me beatum, Domine, si donum tuum intelligam, cui tanto suo labore, otianti, tantum thesaurum inimici suis ipsi humeris advehunt, sub immenso onere expirantes! Tantæ patris optimi charitati gratias agam; tantæ inimicorum miserix ex animo condoleam, pro illis orans; in tantâ meâ felicitate humiliter exultem.

Ostendam vobis quem timeatis. Luc. 12. 5.

UT non timeamus timore ubi non est timor, da nobis, Domine, ut timeamus quod timendum est; timentes ne te non amemus, ne parum amemus, ne amare cessemus; timentes, quia peccavimus, timentes ne peccemus, timentes ne timeamus eos qui occidunt corpus, timentes ne mundum, aut aliquid mundi timeamus & amemus; & ita timentes, ut à facie peccati (etsi leve interdum videri posset) tanquam à facie colubri fugiamus.

Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.

Philipp. 2. 8.

O ACERBAM & crudelem tyrannidem superbiae & voluptatis, quæ totum hominem involvit miserâ servitute animæ & corporis! Auxi-

liare nobis, Domine, adversus pessimos inimicos, destruens in nobis regnum voluptatis amore crucis, & regnum superbiæ amore crucifixi, qui humiliatus est usque ad mortem, & talem mortem.

O regnum amabile humilitatis, & mortificationis tuæ, sub quo totus homo securus est ab omnibus inimicis, & nullâ vi alienâ amittere potest regnum charitatis! Quid enim eum vincet, qui seipsum vincit? Sim, Domine, sub hoc regno crucis, quod parat ad regnum æternum. Sapienter contemnam quidquid hominibus altum est, ne me contemnas ut parvulum insipientem. Sapienter contemnam quidquid carni & sensibus jucundum, ne displiceam Domino meo, & contemnas me. Libera me, Domine, ab hoc utroque inimico superbiæ & voluptatis, quem cum vicimus, omnia vincimus, & à quo cum victi sumus, ab omnibus inimicis vincimur.

Omni custodia serva cor tuum.

Prov. 4. 23.

ECCE, Domine, si diceretur avaro: Serva pecuniam quam habes, & thesaurum maximum invenies; tam facili mandato in lucrum suum obediret. Si diceretur superbo: Vilem vestem ne induas, & regnum maximum consequeris; certè non defset felicitati suæ. Ecce dicitur christiano, & tu ipse hoc dicis, qui veritas es, *Serva cor tuum*, & time mortem animæ tuæ ut times mortem corporis tui, & eris mensæ meæ socius, ut regnes mecum in regno æterno rex æternus. Væ nobis, Domine; audimus hoc, & pro nihilo habemus panem vitæ desiderabilem, quem qui edunt non moriuntur. Audimus hoc, & contemnimus regnum æternum, quamvis quicumque illud contemnant, mancipia fiant mortis æternæ.

Mori lucrum. Philipp. 1. 22.

QUAM bonus es, Domine, qui dum punis; etiam misericors es! Non sumus amplius immortales, ut peccatum saltem morte finiatur, quod non minus misericordix tuæ quam justitiæ effectus est. Mors ipsa, quamvis pœna peccati, nobis adversus peccatum auxilio est. Cogitamus mortem, & periculofiori morte non morimur. Ecce qui te audiunt & prudentes sunt, in morte vitam inveniunt. Imprudentes verò, qui non obediunt mandatis tuis, in vitâ ipsâ inveniunt mortem.

Det vobis Deus illuminatos oculos cordis.

Ephes. 1. 18.

DEDISTI oculos quibus viderentur opera manuum tuarum: dedisti intellectum quo ipse videreris sicut videri potes. Væ mihi! salvi sunt oculi carnis quibus video creaturas; amisi verò oculos cordis quibus viderem Creatorem. Sed quod omnem fidem superat, & nimis verum est, multum dolerem de cœcitate oculorum, quamvis tristitiâ hac sanari non posset, & nullus mihi est dolor ob cœcitatem cordis, quo tamen sanaretur.

Radix omnium malorum est cupiditas.

1. Tim. 6. 19

QUAM miseræ divitiæ, quæ nos pauperes reddunt! Quam infelix gloria, quæ nos coram Deo & Angelis reddit infames! Quam crudeles voluptates, quæ amatores suos æternis & maximis doloribus obnoxios reddunt! Libera nos, Domine, à periculo & miserâ falsæ & momentaneæ felicitatis amore æternitatis.

Os meum aperui, & attraxi spiritum.

Pf. 118. 131.

MAGNA respirandi necessitas, quia sine aere moritur corpus; magna invocandi auxilii tui necessitas, quia sine te anima moritur. Cur ergo tam

solliciti sumus ut non præcludatur respiratio, & non solliciti sumus ut non intermittatur oratio? Da nobis, Domine, verum sensum necessitatis nostræ, ut nos id magis urgeat quod magis necessarium est.

Templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis. I. Cor. 3. 16.

ONos felices, si felicitatem nostram intelligeremus! Ecce unusquisque christianus, si christianus, templum Dei est, & ipso spiritu Dei consecratum. Da mihi, Domine, ut faciam in hoc templo quod sacerdotes tui faciunt in templis tuis. Celebrentur in eo laudes tuæ in hymnis & canticis spiritualibus, ut nullâ unquam irreligiositate violetur. Fiat cor meum ob sanctitatem spiritûs inhabitantis, ara sanctitatis, & altare mundum oblationis mundæ, in quo adoreris & immoleris pro salute corporis tui.

Mementote vincitorum, tanquam simul victi. Hebr. 13. 3.

DEUS, qui Patriarcham Joseph spiritu charitatis, Joannem-Baptistam spiritu zeli & piæ sollicitudinis, Petrum spiritu pacis & quietis, Paulum & Silam spiritu laudis tuæ in carcere implevisti; concede nobis, quæsumus, iisdem intercedentibus, ut famuli tui, qui pro nominis tui gloria descenderunt in foveam, eodem spiritu impleantur. Concaptivis utile charitatis ministerium impendant ut Joseph; & quia verbum tuum non est alligatum, licet absentes corpore, sed spiritu præsentis, pro salute nostrâ solliciti in orationibus, discipulos ad Christum mittant ut Joannes; inter quælibet pericula securiores, in fide suâ requiescant ut Petrus: quicumque sit carceris horror, te laudent ut Paulus; & qui socii sunt in vinculis, sint etiam socii in laudibus ut Silas. Sanctifica, Domine, has victo-

Ixxviiij O R A T I O N E S

rum tuorum catenas in spem & remedium libertatis; ut qui aliquando succedent oneri, succedant unctio-
ni, crucem Jesu similiter portantes post Jesum, in
simplicitate cordis, cum gaudio & consolatione Spi-
ritûs sancti. Sed tu, Domine, qui abundantiam pie-
tatis tuæ, & merita supplicum excedis & vota; qui
dixisti per os servi tui Tobixæ, * *Si cuius vita in tri-
bulatione fuerit, liberabitur; qui post tempestatem tran-
quillum facis, & post lacrymationem & fletum exulta-
tionem infundis*, subleva nos interim auxilio parvulo,
sicut pollicitus es, ut solutâ jam captivitate servo-
rum tuorum, gratia hæc abundet per multos in gra-
tiarum actione, in gloriam Dei. Per Chr. D. N.

Sanat contritos corde. Ps. 146. 3.

UNICE, sicut creator, sic dominator spirituum
Deus, cujus solius gratiam sanari potest humanus
animus à morbo desideriorum noxiorum: concede mi-
sericorditer misero peccatori, perficiendæ justitiæ san-
nam, plenam, perfectamque voluntatem; & illum
adhuc turbidum parturitione novæ vitæ muta intus,
ubi tu vides; ut exutâ mundo mente illius, & charitate
æternitatis veritatisque succensâ, fugiat in beatæ soli-
tudinis & sanctæ poenitentix portum; sibi que moriens
tibi vivat, per Christum Dominum nostrum.

*Corripe me, Domine; verumtamen in iudicio
& non in furore tuo. Jerem. 2. 24.*

MISERICORS Deus & sapiens, qui à tuis quan-
doque recedis ut salves: scio ad correptionem
meam pertinere quod minus abs te adjuver, ut perfectè
dirigantur gressus mei. Sed hoc mecum noli sic agere
tanquam in furore, quo iniquos damnare statuisti; sed
tanquam in iudicio, quo doces tuos non superbire.

In Orationem Dominicam,

Ex Epistolis S. Pauli.

Pater noster qui es in cœlis.

BENEDICTUS Deus & Pater Domini nostri
Jesu Christi; Pater misericordiarum, & Deus
totius consolationis, qui prædestinasti nos in adop-

* Tob. 3. 21, 22.

tionem filiorum per Jesum Christum : solus habens immortalitatem, & lucem habitans inaccessibilem : cum gaudio gratias agimus tibi, qui dignos nos fecisti in partem fortis Sanctorum in lumine : Non enim accepimus spiritum servitutis iterum in timore; sed accepimus spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater. Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei. Si autem filii, & heredes: heredes quidem Dei, coheredes autem Christi.

I. *Sanctificetur nomen tuum.*

DA ut imitatores tui simus, sicut filii charissimi: & ut filii lucis ambulemus, in omni bonitate & iustitiâ & veritate: probantes quid sit beneplacitum tibi; nec communicemus operibus infructuosis tenebrarum, ne nomen tuum per nos blasphemetur inter Gentes. Dignè Evangelio Christi conversemur, ut simus sine querelâ, & simplices filii tui, sine reprehensione in medio nationis pravæ & perversæ, tanquam luminaria in mundo, verbum vitæ continentés, ad gloriam tuam in die Christi, ut ambulemus dignè Deo, per omnia placentes, in omni opere bono fructificantés, & crescentes in scientiâ Dei. Da ut sive manducamus, sive bibimus, sive aliud quid facimus, omnia in gloriam tuam faciamus.

2. *Adveniat Regnum tuum.*

QU I A caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt; hinc flectimus genua nostra ad te Patrem Domini nostri Jesu Christi: ut des nobis secundùm divitias gloriæ tuæ, virtute corroborari per spiritum tuum in interiori homine: Christum habitare per fidem in cordibus nostris, ut non regnet peccatum in nostro mortali corpore. Tu enim eripuisti

nos de potestate tenebrarum , & transtulisti in regnum Filii dilectionis tuæ. Scimus autem , quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur , quod ædificationem ex Deo habemus , domum non manufactam , æternam in cœlis : dum autem sumus in corpore , peregrinamur à Domino ; ideo desiderium habemus dissolvi , & esse cum Christo.

Propter quod non deficimus. Sed licet is , qui foris est homo noster corrumpatur ; tamen is qui intus est renovatur de die in diem. Id enim quod in præsentibus est momentaneum & leve tribulationis nostræ , supra modum in sublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis , non contemplantibus nobis quæ videntur , sed quæ non videntur : quæ enim videntur , temporalia sunt ; quæ autem non videntur , æterna.

3. *Fiat voluntas tua &c.*

TU enim es , Domine , qui operaris in nobis velle & perficere pro bonâ voluntate tuâ. Itaque fac ut impleamur agnitione voluntatis tuæ in omni sapientiâ & intellectu spirituali , tibi per omnia placentes : hæc est enim voluntas tua , sanctificatio nostra.

Nolimus conformari huic sæculo ; sed reformemur in novitate sensus nostri , ut præbemus quæ sit voluntas Dei bona , beneplacens & perfecta : nam nostra ad bonum per se nimis infirma est ; non enim sufficientes sumus cogitare aliquid à nobis , quasi ex nobis , sed sufficientiâ nostra ex Deo est. Da gratiam tuam , ut perficiamus eandem ex animo , sicut administratorii spiritus , in ministerium missi propter eos qui hereditatem capient salutis.

4. *Panem nostrum quotidianum &c.*

ÈST magnus quæstus pietas cum sufficientiâ ; Nihil enim intulimus in hunc mundum , haud dubium quod nec auferre quid possimus. Habentes autem

tem

tem alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus.

Sint ergo mores nostri sine avaritiâ, contenti præsentibus. Tu enim dixisti : non te deseram neque derelinquam ; ita ut confidenter dicamus : Dominus mihi adjutor. Propè es , Domine. Nihil solliciti simus , sed ubique & in omnibus instituti , sciamus satiari & esurire , abundare & penuriam pati. Ante omnia verò exerceamus nos ad pietatem , quæ ad omnia utilis est , promissionem habens vitæ quæ nunc est , & futuræ.

Da nobis non sperare in incerto divitiarum , sed in te Deo vivo , qui præstas nobis omnia abundè ad fruendum ; bene agere , divites fieri in bonis operibus , facilè tribuere , libenter communicare , thesaurizantes nobis fundamentum bonum in futurum , ut apprehendamus vitam æternam.

Potens es autem , ô Deus , omnem gratiam abundare facere in nobis , ut in omnibus omnem sufficientiam habentes , abundemus in omne opus bonum. Qui autem administras semen seminanti , & panem ad manducandum præstabis.

5. *Et dimitte nobis debita nostra , &c.*

QUONIAM non habitat in carne nostrâ bonum , ut non quod volumus bonum hoc faciamus , sed quod nolumus malum , hoc agamus : & regnante peccato in nostro mortali corpore obedimus concupiscentiis ejus : heu quam sæpe exhibuimus membra nostra arma iniquitatis peccato ! & divitias bonitatis , patientiæ , & longanimitatis tuæ contempnimus , non curantes quoniam benignitas tua ad pœnitentiam nos adducit ; secundum autem duritiam nostram & impœnitès cor , thesaurizavimus nobis iram in die iræ & revelationis justi judicii tui , qui reddes unicuique secundum opera sua.

Sed veniat , Pater benignissime , super nos misericordia tua ; & ostendens divitias gloriæ tuæ , fac nos vasa misericordiæ tuæ , præparata in gloriam

LXXXIJ ORATIONES DIVERSÆ.

tuan; & ubi abundavit delictum, superabundet & gratia.

Ecce remittimus & aliis minas, ut te Dominum nostrum in cœlis pro opitium habeamus. Tu nos quoque indue sicut electos tuos, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam: ut simus invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut & tu in Christo donasti nobis; nulli malum pro malo reddentes, sed si fieri potest, quod in nobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes; non defendentes nosmetipsos; sed demus locum iræ, tibi relinquentes vindictam; nec sinamus nos vinci à malo, sed vincamus in bono malum. Quæ pacis sunt fac sectemur; & quæ ædificationis sunt, in invicem custodiamus.


6. *Et ne nos inducas &c.*

MEMORES fragilitatis nostræ, rogamus te, Pater piissime, ut tentatio nos non apprehendat, nisi humana; ne sicut serpens Evam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus nostri, & excidant à simplicitate, quæ est in Christo Jesu. Fidelis es Deus; non parieris nos tentari supra id quod possumus, sed etiam facies cum tentatione proventum, ut possimus sustinere.

7. *Sed libera nos à malo.*

CONFIRMA nos denique & custodi à malo, contempe satanam sub pedibus nostris velociter, ut non circumveniamur ab eo: non enim ignoramus cogitationes ejus. Da ut induamus nos armaturam tuam, ut possimus stare adversus insidias Diaboli; & resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare, induti lorica fidei & charitatis, & galeam salutis. Non simus fidentes in nobis; sed in te, Deus. Ideoque confidimus hoc ipsum, quia qui cœpisti in nobis opus bonum perficies usque in diem Jesu Christi. Fidelem credimus esse te, qui repromisisti: quotquot enim promissiones tuæ sunt, sunt Est, & Amen.

F I N I S.



-se.

7310





